H. E. Wilcox.
June 11, 1906.

VITA ET DOCTRINA

D. N. JESU CHRISTI

EX QUATUOR EVANGELISTIS

COLLECTA

ET IN MEDITATIONUM MATERIAM
AD SINGULOS TOTIUS ANNI DIES DISTRIBUTA

PER

NICOLAUM AVANCINUM

—

Reimpressio XII. stereotypa

—



TAURINI
TYPOGRAPHIA PONTIFICIA
EQ. PETRI MARIETTI
Via Legnano, 28
1905

44452

NICOLAI AVANCINI

NOTITIA

Hic ortum habuit in Tridentina Dioecesi anno MDCXII. Annum agens XV Societati Jesu Graetii Stirorum nomen dedit; eandemque votorum quatuor nuncupatione dein professus est. Idem Rhetoricen, Ethicen, Philosophiam, Sacram Morum Disciplinam annos IV, Theologiam Scholasticam annos VI tradidit Viennae Austriae, qua in civitate et studiis moderandis annos XIII praefuit. Cum deinde Collegiis Passaviensi, Viennensi, Graetiensi regundis praefuisset, anno MDCLXXII, Romam ad conventum Procuratorum a Provincia sua missus est anno MDCLXXVI, quo hæc a Sotvello conscribebantur Praepositus Provinciae Bohemiae pro potestate invisendae erat; quo autem anno decesserit, atque ad pietatis omnisque virtutis coelestia praemia venerit, litteris consignatum non reperio. Plura cum prosa tum versu, quae ad Dei gloriam provehendam, et salutem hominum sempiternam procurandam unice spectant, conscripsit: inter quae, salutares istae de *Vita et Doctrina D. N. J. C.* contemplationes maxime eminent.

AD LECTOREM RELIGIOSUM

Oeconomiam totius opusculi paucis accipe. Adventus tempori ea attribuo, quae Incarnationem et Conceptionem Dei Filii contingunt. A Nativitate Domini ad Dominicam Septuagesimae ea complector, quae sunt infantiae et pueritiae Christi. Hinc usque ad Pascha, ut tempori serviam, passionem expendo. Tum ad Pentecosten et octavam Corporis Christi, quae sunt ejusdem temporis. Denique, per octiduum expensis Dei attributis, reliquam Christi vitam, miracula, parabolas et doctrinam, ordine fere quatuor Evangeliorum persequor.

Ne vero materia unquam deficeret, summum, quod est cujusque temporis, accepi: adeoque Adventui quatuor, tempori post Epiphaniam sex, post Pentecosten viginti octo integras hebdomadas assignavi.

Non adjicio meditandi methodum, quam vel passim habes, vel ex ipsis Sancti Patris nostri exercitiis facile addidiceris. Placuit tamen iis qui hoc opus demandarunt, ut affectuum quorumdam formulas suggererem. Horum ut obtemperem voluntati, primum tibi tria affectuum alphabeta, juxta tres perfectionis religiosae vias digesta, exhibeo, quorum familiarem usum sane fructuosum sum expertus: deinde vero eorum, qui in quaque via sunt praecipui, exempla aliqua subjiciam.

VITA ET DOCTRINA
JESU CHRISTI

PARS PRIMA

Formulae aliquae affectuum.

Cum voluntas natura caeca sit, nec in ullum affectum erumpat, nisi praevius eam intellectus manuducat, necessario omnino erit ad fructuosam meditationem, ut persuasissimam tibi reddas veritatem aliquam practicam, quam sive ex verbis et doctrina, sive ex facto et exemplo Christi eruisti. Idque rationibus quidem etiam naturalibus, potissimum tamen ac principaliter actu fidei supernaturalis; qui est principium, non tantum practicarum conclusionum in intellectu, sed etiam motuum omnium et affectuum supernaturalium in voluntate.

Affectus virtutum theologicarum.

Fides. 1. Credo, Domine, credo. Tu adjuva incredulitatem meam. Suggerit alia mundus, caro, daemon: non credo. Verbum tuum manet in aeternum. Pro hoc exige a me, Domine, sanguinem,

exige spiritum: ecce paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Mille gladiis. ignibus totis exhibebo hoc corpus, ut tua stet illaesa veritas.

2. Quis me separabit ab hac veritate? Certus sum, quod nec gladii, nec cruces, nec tela, nec ignes, nec inferorum tormenta me poterunt ab ea separare. Tua veritas, Deus, fallere non potest; tua sapientia falli non valet. Tu dixisti: Satis hoc mihi est prae omni ratione humana, ut etiam sanguine subscribam.

Spes. 1. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Habes bonitatem Dei et misericordiam paratam, quae vult; habes omnipotentiam assistentem, quae potest opitulari; habes sanguinem et merita Christi, quae pro te apud aeternum Patrem perorant. Projice te ergo, anima mea, in brachia misericordiae et omnipotentiae Dei. Quam nihil potes ex te, tam omnia potes in eo qui te confortat.

2. In te, Domine, speravi; et quis mundi impetus, quae carnis illecebra, quae daemonum astutia praevalebit? Non, non confundar in aeternum. In te, Domine, speravi; quod vitium non extirpabo? Quam virtutem tua gratia non assequar? etc. Dicant omnia ossa mea: Tu es spes mea, Deus meus, in aeternum.

3. Si Deus pro me, quis contra me? Si exurgant adversum me castra, non timebit cor meum. Si consurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo; quia scit infinita sapientia, potest infinita omnipotentia, vult infinita bonitate mihi auxiliari.

Charitas 1. Domine, tu scis quia amo te: quoniam tu solus bonus, tu solus sanctus, tu solus

dignus omnium creaturarum amore. Supplete vos, ardentia Cherubim, tu ardentior Cherubinis, Virgo, quidquid deest amori meo. Oh vivam! oh moriar amore tui! Moriar potius quam te non amem.

2. Domine, quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Tu solus Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Diligam te, Domine, non quia mihi beneficus aut remunerator liberalissimus, sed quia in teipso es summa et infinita bonitas, sola et una super omnia amabilis. Moriar, Domine, hoc momento, quo te amo, priusquam succedat aliud, quo te non amem.

3. Exigis a me cor meum, Domine? Oh si mille, oh si infinita haberem! Omnia tui unius amore occuparem. Vis amorem operibus experiri? Confunde me, contunde me, contere me, in infernum demerge me: non dimittam te, etc.

4. Sero te amavi, pulcritudo mea tam nova et tam antiqua, sero te amavi. Sed neque nunc te amo, ut debeo, neque amo, ut amare desidero. Infinities, infinities te amare vellem, eoque amore, si fieri posset, quo te ipsum amas; quia hic solus amor tuam amabilitatem aequat, etc.

Alphabetum affectuum pro via purgativa.

Abjectio sui ad pedes Jesu. — Abjuratio imperfectionis. — Accusatio sui. — Admiratio patientiae divinae. — Angor de culpa. — Communicatio cum Deo. — Comparatio sui cum sanctis, damnatis, daemonibus, etc. — Confessio humilis. — Confusio sui. — Contemptus mundanorum. — Contritio. — Deprecatio. — Desiderium satisfaciendi. — Detestatio. — Diffidentia sui. — Exhortatio sui ipsius.

— Exprobratio. — Fiducia. — Gratiae imploratio. — Gratitudo. — Humiliatio et annihilatio sui. — Indignatio. — Invocatio sanctorum. — Lamentatio ad Deum et sanctos. — Mendicatio spiritualis a Deo et sanctis. — Odium sui et culpae. — Pavor. — Propositum. — Querelae cum Deo, sanctis et creaturis. — Reprehensio. — Sollicitudo. — Timor irae divinae. — Vindicta in teipsum.

Exempla affectuum pro via purgativa.

Abjectio. Deprime sub pedes Dei tui superbum caput, vilis creatura. Ah! etiamnum superbis? Indigna es, quam suis pedibus dignetur Jesus tuus. Conculcent te damnati omnes, ac ipsi daemones, quorum tu iniquitates es supergressa, etc.

Accusatio. Fateor enim, ut reus memetipsum accuso. Ego te summum et inaestimabile bonum, ac infinitam dignitatem vilipendi. Quis ego? Quis tu? Ego Filium tuum crucifixi et occidi. Ego sanguinem ejus et infinita merita proculcavi, etc.

Admiratio. O caecitas mea! O impudentia! O audacia! Servus nequam tam bonum Dominum, tam indigne tractare potui! O bonitas tua, Deus! O patientia incredibilis, o misericordia infinita! Tu non ferre tantum delinquentem, sed novis etiam beneficiis cumulare potuisti.

Communicatio cum Deo. Quot tu, justissime Deus, minorum scelerum reos in momento ad infernum praecipitasti? Angelos tam excellentes creaturas ad unius dumtaxat cogitationis consensum in ignem aeternum detrusisti: mihi ut parceres, ut dissimularet, quid te movit? An quidquam toto vitae decursu praestiti, quod oculis divinae tuae majestatis placere potuerit?

Confusio. Averte oculos tuos a me, Domine, quia indignus sum, in quem respicias, postquam me ad tantam vilitatem abjeci, quem tu ad tantam dignitatem creasti. Confusio cooperuit faciem meam, quia repleta est malis anima mea, quae purissimum Dei oculum merito avertunt a me.

Contemptus mundanorum. Si habuero omnem substantiam hujus mundi, nihil sum. Nihil est honor, nihil aestimatio et gloria, nihil opes et divitiae, nihil omnis voluptas. E nihilo ducta in nihilum eunt: apparent et evanescunt. Solus Deus est omnia: reliqua amore meo indigna.

Contritio. Deus meus, summa bonitas, omnium creaturarum, tuoque ipsius amore sola et infinite digna, doleo, quod tam impudenter te offenderim, doleo, non quia timeo, sed quia amo. Si sanguine meo fieri possit, ut non sis offensus: ecce me, discerpe me, paratum cor meum. Si tormentis inferorum deleri possit: ecce me; ullum est, quod non merui, nullum, quod amore tui non praeeligo peccato, quod tantopere odisti. Si vides, qui omnia vides, quod aliquando, post quotquot annos, te offensurus sim, hoc potius momento acerbissima morte me tolle, quam permittas ad infelicissimum illud tempus supervivere.

Deprecatio. Obsecro te, aeterne Pater, per misericordiam tuam infinitam; te, Fili unigenite, per tuum in peccatores amorem; te, Spiritus Sancte, per tuam benignitatem; te, Ss. Trinitas, per sanguinem et merita Christi, parce misero peccatori. Amplius, crucifixe Jesu, amplius lava me vel unica guttula tui sanguinis a peccatis meis. Adgeniculor cruci tuae et, indignus licet, expecto misericordiam tuam.

Diffidentia sui. Vide, Domine, infirmitatem meam, quia nihil possum sine te, nec invocare te. Nec desere me, quia labor sine te.

Exhortatio sui ipsius. Erige te, anima mea, de coeno peccatorum in quo jaces: aude aliquando aggredi quod vane metuis. Deus porrigit manum suam; tu tuam exere, et apprehende auxilium. Quid haeres? Quid dubitas? Fortior est, qui te juvat, quam qui te tentat.

Exprobratio. Qua tua est impudentia tam ténere te amantem Deum, tui amore in cruce morientem, tam indigne tractare; et odia illi indicere, a quo amorem favoresque recipis. Hoccine meruit, qui te ad se creavit, ut ei cum tanto contemptu tergum verteres? Hoc, qui te toties recepit, et etiamnum expansa habet in cruce brachia ad te amplectendum, ut tu stercora et mundi quisquilias, suumque hostem amplectaris, etc.?

Fiducia. Deus meus, auxiliator meus, in te confido, non erubescam. Si consistant adversum me castra tentationum, non timebit cor meum, quia tu es protector meus: si exurgat adversum me praelium, in te ego sperabo, quia tu es Deus meus.

Gratitudo. Gratias tibi ago, Deus meus, quod peccantem me, et non poenitentem, hucusque conservaveris, neque statim meritis poenis addixeris, otiumque dederis animae meae calamitatem agnoscendi ac detestandi, quod mille aliis non concessisti, quos prius mors et aeterna damnatio occupavit, quam praestare id possent.

Humiliatio. Agnosco vilitatem meam, Deus infinitae majestatis. Infra nihilum descendi, quia te offendi. Et merui et volo ab omnibus contemni et vilipendi: volo non expectare tantum, sed quae-

rere et ambire contemptus mei occasiones. Confirma hanc voluntatem meam, pro me toties despecte Jesu.

Invocatio sanctorum. Indignus sum, qui accedam ad thronum misericordiae Dei, quam impudentissime despexi. Tu unica et potens peccatorum advocata, Dei mater Maria, quae nullum in te confidentem despicis, ostende pro me Filio tuo ubera quibus eum lactasti, et per merita tua impetra mihi a justissime irato Deo, misericordiam. Tu, Angele mi tutelaris, cui curae sum ab infantia, per gaudium illud quod habes super uno peccatore poenitentiam agente, vos SS. N. N. patroni mei, etc.

Mendicatio spiritualis a sanctis Dei. Sancta et Immaculata Dei Mater, quae quantum amasti Filium tuum, tantum odisti peccatum, vide generis humani (vel hujus hominis N.) calamitatem; infunde aliquid amoris tui cordi illius, ut sciat ac velit reprobare malum et eligere bonum. Sancti Angeli Dei, qui primi tentanti angelo constanter restitistis, aliquid constantiae vestrae hujus tentationibus suggerite. S. Petre, qui unum peccatum toto vitae tempore incessanter deplorasti, aliquid doloris et lacrymarum huic indulge, etc.

Odium sui. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quid queror externa? Ego mihi ruinae et calamitatis meae sum causa; fictum hostem culpo, et vero blandior? Ego sum ipse, qui occidi me, dum amavi me. Sed teneo hostem meum: non dimittam, nisi occidam eum. Moriatur sensus, vivat ratio: moriatur auctor mortis animae meae, vivat auctor vitae animae meae, Jesus. Ut semper me odorim, semper amabo Deum meum.

Propositum. Nondum usque ad sanguinem decertavi cum hostibus animae meae: sed ex hoc nunc, si necessarium sit, totum sanguinem ad ultimam usque guttam lubens, gaudensque impendam potius quam delinquam. Sic statuo coram Jesu meo pro me crucifixo. Moriar millies, ne semel peccem.

Reprehensio sui. Et ausus tu es tanta in Deum impudentia? Quis tu? Quis Deus? Et quid ausus es? O creaturarum ingratissima! Tam parvi tibi est Deus? Tam magni tu tibi ipse, aut modica tui sensus delectatio?

Timor. Timor et tremor venerunt super me, quia irritavi iram tuam, Domine. Quo fugiam a facie irae tuae? Quando undique tu me circumstans, et quem patrem habere nolui, strictissimum judicem meorum scelerum formido. O Domine, ne intres in judicium cum servo tuo.

Haec pauca exempla pro hac via sufficiant.

Alphabetum affectuum pro via illuminativa.

Amor proximi. — Animatio sui ad studium virtutis. — Benignitas. — Bonitas. — Contemptus mundi. — Conversatio. — Curiositas spiritualis quaerens per sanctos in coelo varia virtutis alicujus exercitia. — Eleemosyna spiritualis petita a sanctis pro se et aliis. — Expostulatio pia cum Deo et sanctis. — Fortitudo in adversis. — Gratiae petitio. — Gratiarum actio. — Humilitas. — Imitandi desiderium. — Intentio gloriae Dei. — Laus sanctorum. — Longanimitas. — Mortificatio corporis. — Nitor conscientiae. — Obedientia. —

Patientia. — Paupertas. — Praesentia Dei. — Suavitas. — Tranquillitas. — Veritas. — Zelus animarum.

Exempla affectuum pro via illuminativa.

Amor proximi. Te Deum in meo proximo, et proximum propter te diligo, sicut me. Tu me exemplo magis, quam verbis hoc docuisti, qui cum inimici essemus, dilexisti nos; qui perditos nos quaesivisti et attraxisti miserans. Quem oderim, dum tu omnes amas? Quem despiciam, dum tu bonis et malis pretium tui sanguinis impendis?

Benignitas. Obstupesco tuam, Jesu mi, benignitatem! Quam benevole ad te revertentes peccatores excipis! Quam amanter alloqueris! Quam tenere amplecteris, et sine exprobratione omnia restituis bona, quibus per peccatum fuerant spoliati! Hac te sequar, mi Jesu: quorum mihi incumbet cura, amabo etiam delinquentes, ut reducam; compatiar calamitati animae, tractabo vulnera leniter, in modo, in gestu, in vultu, in verbis, ut merus animi amor appareat.

Bonitas. Tua ad benefaciendum propensio, bone Jesu, mea est in omnes proximos agendi regula. Innumera in nos dona, sanguinem tuum, merita, gratias, te ipsum elargiris, neque majoribus tantum, aut iis, qui te reverentur et amant, dignosque se praestant; sed vilibus etiam, te ignorantibus, demerentibus, contemnentibus. Trahit me tam suave exemplum, ut me impendam omnibus et superimpendam: nemo mihi vilis, nemo mea indignus ope, quia nemo tibi.

Contemptus mundi. Tu non es de hoc mundo,

amabilissime Jesu: tua desideria, affectus, vota, spes, prosecutiones non tendunt in honores, gloriam, existimationem, laudes et applausus. Delirium meum est, si eo tendam, unde tu, sapientia Patris, abhorres. Quia nihil sunt, indigna sunt eo corde, quod non satiatur nisi Deo.

Conversatio. In terris visus et cum hominibus conversatus es, Domine Jesu, prudenter et circumspecte, ut non offenderes; suaviter et urbane, ut animos traheres; utiliter et salubriter, ut prodesses iis quibuscum versabaris. O si et ego prodesse intenderem! Quam cohiberem affectus meos! Quam caverem errores! Quam abstinerem asperis et acerbis, frivolis et vanis, et quandoque noxiis sermonibus! Semel juravi, aut obmutescam aut sana loquar.

Fortitudo in adversis. Omnia possum in eo qui me confortat: non ego, sed gratia Dei mecum. Non mihi innitor, sed potentiae Patris, quae cannas erigit in columnas: sapientiae Filii, quae modos viasque eluctandi habet infinitas: gratiae Spiritus Sancti, quae facit aspera in vias planas. In Deo meo transgrediar muros.

Humilitas. O humilitas nascentis, viventis morientisque Jesu mei! Cum in forma Dei esses, exinanisti temetipsum, abscondisti divinitatis majestatem, ne in te confluerent omnis honor, gloria, admiratio et applausus populorum. Ah! sero licet, tandem eligo abjectus esse in domo Dei, in loco et officio: et haec sit gloria mea.

Intentio gloriae Dei. Non queris gloriam tuam, Domine Jesu, sed honorificas Patrem tuum, neque altiorem reperisti operum tuorum, tuaeque passionis finem. Huc tua incarnatio, vita, mors, cor-

gitationes, verba, opera, somnus ac omnis respiratio tendebat. Trahe me post te. Quaeram te sine me: sine meo emolumento quaeram te quotidie, quavis hora, quovis momento, quavis respiratione: quaeram pure, sine admixtione creaturae, majorem tuam gloriam.

Longanimitas. Potes, Deus, momento plectere, quo peccat homo: sique id facias, justum est et in aeternum laudabile judicium tuum. Sed sustines tamen, longanimis, patiens et multae misericordiae: sustines menses et annos, et non expectas tantum, ut revertamur, sed revocas ad te, et attrahis miserans. Respicis Petrum, tangis cor Magdalenae, adblandiris Judae, etc. Egone vel me a te desertum querar, vel spem alienae conversionis deponam? Aderis in tempore mihi: expectabo te, Domine, et non movebor. Aderis gratia tua peccatoribus: sustinebo, et quod meum est operabor. Non erit inanis opera, quae te imitatur.

Mortificatio corporis. Tota vita tua, Jesu, continua fuit corporis afflictatio. Poteras, cum Deus esses, citra periculum omnia corpori commoda indulgere. Non egebas hoc studio ad corrigendam naturam, quae nec vitiata erat, nec vitiari poterat; non ad subjiciendum corpus rationi, quod Divinitas moderabatur, ut non posset rebellare: et tamen in laboribus et doloribus a juventute tua vixisti et expirasti. Est ergo amabile quiddam, quod tu elegisti. Quid agimus, anime? Vitiata tibi est natura, et in malum proclivis rebellat rationi, inducit in peccata; et adhuc ei blandieris, et, ut quam minimum patiatur, studebis? Immo conteratur caro mea, ut vivat spiritus. Ut tuus sim, carnem meam crucifigam cum vitiis et concupiscentiis.

Nitor conscientiae. Splendor sine macula es, Jesu mi; munditia ab omni immunditia libera, perfecta et omnino immaculata. O quando potero et ego insultare mundo, carni et daemoni dicens: Quis vestrum arguet me de peccato? O quam suavis dies, laborque omnis: quam dulcis quies hominis, dum culpa non mordet animum! Quam hilaris, felixque mors ejus, quem conscientia non accusat! At hoc solatium nemo alius, quam tu ipse impendere tibi potest. Malo ergo millies mori, quam foedari.

Obedientia. Omnia de te dixit, qui te amavit: Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et tu obediens Filius Dei, sapientia Patris, Dominus dominantium, et non Patri tantum, sed hominibus etiam sceleratis et iniquis judicibus ac carnificibus, et usque ad mortem? O ferreum ego et indomitum saxum, si hoc exemplo non movear, ut iis obediam, et in omnibus, et semper, qui patres sunt, qui vice Dei funguntur, quibus tuam in me potestatem tribuisti!

Patientia. Domine, dirige cor meum in patientia Christi. Statutum est, aut pati, aut mori. Tu, Jesu mi, quam dura in corpore, quam acerba in anima, quam infamia in honore sustinuisti? Tu idem Deus et homo. Et ego unius puncturae imaginatione percellar, minima infamia turbabor? O Domine, da, quod pro te patiar, qui pro me passus es infanda.

Paupertas. Domine Jesu, cum esses dives, factus es pro me egenus, ut non haberes, ubi caput tuum reclinares. O res a saeculo inaudita, pauper Deus! Et ego illis affigam animum, quae Deus odit? Ego pro Deo non relinquam laetus et hi-

laris mundi nugas, qui pro me reliquit omnia regna mundi sibi jure debita, adeoque et coelum ipsum?

Suavitas. Quam suavis est, Domine, Spiritus tuus! Praescribis leges, sed addis vires: cum minimum facimus, tu plurimum praestas: aptas te singulis, nulli vim infers: paucissima exigis, cum plurima et gravissima possis: si erramus, nos revocas et amanter trahis. Confundis asperitatem meam: evincis omnino, ut in proximo meo excusem delicta; attendam fragilitatem, non plus exigam, quam ipse praestem: si quandoque sit severitas adhibenda, ea semper suavitate misceatur.

Tranquillitas. Quanta locuti sunt adversum te malignantes, Domine Jesu! Tu factus es tamquam surdus et mutus. Quantis impetitus es blasphemiis? At tu immotus stetisti, tamquam non haberes in ore tuo redargutiones; tenuitque semper animum imperturbata quies, tametsi fulmina excire potuisses. Cur ergo si leviter tangor, erumpo in immoderatos, praecipitesque motus? Respiciam in te, Jesu mi, et si famam, si vitam perdam, tranquillitatem servabo.

Zelus animarum. Amabilissime Jesu, tu propter nos homines, et propter nostram salutem descendisti de coelo. Quot hoc fine sustinuisti elementorum injurias? Quot suscepisti itinera? Quot labores et dolores? Quot mortes exantlasti? Effudisti te ad omnes, divites et pauperes, honoratos et abjectos, senes et pueros, in urbibus et pagis, in campis et desertis, die ac nocte. Tanti tibi fuerunt animae nostrae, quanti tuus sanguis: hunc enim pro illis dedisti. Nimis viles ego facio animas, si non ex aequo ad pauperes, abjectos et

pueros me effundo, pro quibus idem pretium datum est; si pluvia, si nix, si longinquitas spatii, si quaevis incommoditas me deterret. O animae Christi sanguine redemptae! Oh si omnes! Oh si vel unam meo sanguine et acerbissima morte salvare possim!

In singulis hujus viae affectibus motivum desumpsi ab exemplo Christi.

Alphabetum affectuum pro via unitiva.

Amicitia cum Deo. — Amplexus Dei. — Appretiatio Dei. — Aspiratio ad Deum. — Beatitudo in Deo. — Complacentia Dei. — Conformitas cum Deo. — Desiderium Dei. — Donatio sui Deo. — Exaltatio Dei. — Exultatio in Deo. — Filiatio ad Deum. — Fraternitas cum Christo. — Gaudium in Deo. — Gloriatio in Deo et Christo. — Imitatio Christi. — Invitatio creaturarum. — Languor animae in Deo. — Laudatio Dei. — Mors in Deo. — Narratio magnalium Dei. — Oblatio sui. — Pactum cum Deo. — Quies in Deo. — Respiratio in Deo. — Vita in Deo. — Unio cum Deo.

Exempla affectuum pro via unitiva.

Amicitia cum Deo. Amas me? Amo te, amor meus, Deus meus. Tu quod es, meus es: ego quod sum, tuus sum. Mergor in infinito tuo, tu in meo nihilo. Quia amas me, communicas te mihi: quia amo te, reddo me tibi, et te tibi, o amor meus, unus et solus electus ex millibus.

Amplexus Dei. Parce mei amoris audaciae, Deus meus. Qui posuisti laevam sub capite meo, et dextera tua amplexaris me, intra tua brachia

cogis me. In illa reverentissime conjectus et vivere volo, et mori desidero. Tu stringe me, nec permitte me separari a te.

Appretiatio Dei. O bonum inaestimabile, Deus, et omnium desiderabilium finis! Quia super omnia aestimo te, super omnia amo te. Deficit in tui pretii aestimatione intellectus meus, et sub imperio voluntatis te infinita aestimatione appretiare desiderantis fatiscit. Sit tibi satis, Deus meus: amo te millies, et millies plus quam me, plus quam satietatem animae meae, plus quam ipsam beatitudinem meam, et jucundissimum aeternumque tui aspectum, amo te, et in hoc morior: amo te.

Aspiratio ad Deum. Ubi sum? Ah! Jube me, Domine, venire ad te! Exeam a mundo et ejus concupiscentiis: exeam a me ipso, ut nusquam sim, nisi in te. O quando erit felicissima illa hora, qua mihi vel annuas, vel dicas: Veni de Libano, veni! Ecce me, respondebo, adsum: nec ullum me aliud votum vel momento retardabit.

Beatitudo in Deo. Deus meus, nondum video te revelata facie; et tamen beatus sum quia amo te. Nullum tormentum sentio, dum amo te; quia solum tormentum mihi est, non amare te. Tu solus totum intellectum trahis, ut te unum possideat: tu solus omnem amoris mei vim exhauris.

Complacentia Dei. Tu es, qui es: et hoc unum mihi placet, quod es, qui es infinite perfectus in sapientia, potentia et bonitate. Non possum hoc exprimere, nisi verbis illius amantis: Si tu Deus esses Augustinus, et ego Augustinus essem Deus, ego Deus vellem, ut tu Augustinus esses Deus; ita mihi placet, ut tu sis tu.

Conformitas cum Deo. Amo te, Deus meus. Satis dixi: Voluntas mea jam tua est, et tua est mea. Vis me premi, abjici, contemni, torqueri, dilaniari? Volo et ego quia tu vis. Vis me inter beatos ad tui fruitionem attollere? Volo, non quia limpidam et innocentem hoc adfert voluptatem, sed unice quia tu vis.

Desiderium Dei. Desiderium habeo dissolvi, et esse tecum. Quis me liberabit de corpore mortis hujus! Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei? Defecit cor meum, et caro mea, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Sed nemo venit ad te, nisi tu traxeris eum. Trahe me post te, amor meus, Deus meus: trahe me, et curram ad te.

Donatio sui Deo. Quid petis a me, Deus meus? Audio suavissimam tuam vocem: Præbe, fili mi, cor tuum mihi. Ecce habes, tibique sponte et hilariter dono quidquid mihi dedisti, cor, animam, vitam, sanguinem, intellectum et voluntatem. Nolo cor meum, nisi sit tuum: nolo amare, nisi te: nolo vivere, nisi in te: nolo sapere, nisi te: nolo velle, nisi te. Jam tuus sum, non sum meus: vivo quidem, sed non ego; vivit vero in me Deus.

Exultatio in Deum. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Salio extra me, Deus meus, ut veniam ad te. Angustiae cordis mei non capiunt torrentem voluptatis, quo tui recordatio me perfundit.

Filiatio ad Deum. Filius tuus ego sum, filius tuus. Non est praesumptio, quia dedisti mihi potestatem Filium Dei fieri. Dicam tibi semper, et tota animi fiducia dicam: Pater meus es tu: diligam te, quia Pater meus es tu: amplectar te,

nec dimittam te, quia Pater meus es tu. Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit: sed portio mea tu es, Deus meus: aliam nec quaero, nec admitto.

Fraternitas cum Christo. Primogenite in multis fratribus, Jesu Christe: Pater tuus idem meus et esse et vocari vult Pater: te haeredem, me cohaeredem facit. Amo te, amabilissime Frater: etsi me in haereditatem regni non admittas, amabo te: etsi me a te projicias, amabo te. Omnia tu, unice haeres, accipe, quia omnia debentur tibi: unicum mihi relinque amorem, ut amem te. Hic unicus sit pars mea et haereditas mea.

Gloriatio in Deo et Christo. Absit mihi gloriari, nisi in Deo meo, et in cruce Domini mei Jesu Christi. In hoc glorior, quod tu Deus sis, Deus meus, Dominus meus, omne bonum meum; in quo summa est mea felicitas, quod sim creatura tua, servus tuus, et quem tu amore infinito dignaris. In hoc gloriabor, si in cruce configar Jesu meo, si vulnera tua fiant mea, et tecum, paupere et despecto, fiam pauper et despectus.

Imitatio Christi. Cum in forma Dei esses, amor meus Jesu, exinanisti temetipsum divitiis, honoribus et sapientia, factus pro me egenus ac despectus, et ludibrio habitus. Fac possim esse dives: nolo; quia tu fuisti, pauper. Fac possim esse ab omnibus honoratus: nolo; quia tu contemni elegisti. Fac possim sapientiae famam lucrari: nolo; quia tu pro fatuo haberi maluisti. Electio tua, regula est electionis meae. Et sic eligo solum ad majorem tui imitationem.

Languor animae in Deo. Amore tui langueo, Deus meus. Nauseat anima quidquid humani est

solatii, et mundum omnesque creaturas fastidio, quia te unum et solum amo; et cum nondum te frui licet, in omni alia operatione deficio, et solo amore respiro, amor meus, Deus meus.

Laudatio Dei. Lauda, anima mea, Dominum, quoniam bonus. Omnis actio mea, omnis cogitatio mentis, omnis affectus voluntatis, omnis respiratio, omnis arteriae motus dicat tibi: Magnus Dominus, et laudabilis nimis. Necdum assequor, quod volo, quidquid dicam, quidquid cogitem: adhuc es infinities laudabilis; magnificet te, mei loco, anima Ss. Virginis Mariae. Laudent te ardentissimo affectu Seraphini: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Benedicant omnia opera Domini Domino, laudent et superexaltent eum in saecula. Nondum assequor quod intendit affectus. Laudet te humanitas sanctissima Redemptoris mei; et, quod ultra non possum, tua te divinitas laudet in saecula.

Mors in Deo. Mortuus sum, et vita mea abscondita est cum Christo in te, Deus meus. Liquefacta est anima mea, cum tu tetigisti cor meum, et a me transivit in te. Omnis cogitatio mea, omnis affectus meus cum Christo consepultus est in te. Vivo tamen in te, quia hoc unum sentio, quod amo te.

Narratio magnalium Dei. Magnificat anima mea Dominum: Quia fecit mihi magna, qui potens est, etc. (*potes totum recitare*). Quidquid sensu, quidquid intellectu capio extra te, Deus meus, opus manuum tuarum est, et tui in me amoris effectus: ideo magnificat te, anima mea, Dominum. Sic dilexisti mundum, ut Filium tum unigenitum dares: ideo magnificat te anima mea. Charitatem tuam diffudisti in cordibus nostris per

Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: ideo magnificat te anima mea.

Oblatio sui. Omnia mea, tua sunt, Domine, quia omnia tua voluisti esse mea. Quid habeo, quod a liberalitate et misericordia tua non accepi? Et quia accepi, rursus tibi cum sincerissimo gaudio offero corpus meum et animam meam, omnes sensus et potentias meas, intellectum, memoriam et voluntatem meam. Non aspice, quod mea sint; sed quod tua, et pretiosissimo sanguine Filii tui tibi vindicata.

Pactum cum Deo. Amo te, Deus meus: et tu scis, quia nihil amo, nisi te. Non sufficit cor hoc sentire, non lingua loqui. Sic ergo paciscor tecum Deus, de minimo quocumque motu interno et externo animae, cordis et corporis mei; de omni mea aeque dormientis ac vigilantis aspiratione ac respiratione; de omnibus et singulis, quae sunt, et erunt creaturarum motibus; de singulis beatorum tuorum, et Ss. Matris, ac Jesu mei Redemptoris actibus, sint signa mea, quibus meum in te amorem loquar. Quidquid horum aspicis, Deus, in eò tibi ego loquor: amo te, amabilissime Deus.

Quies in Deo. In omnibus requiem quaesivi: sed extra te non inveni, Deus meus, amor meus. In omnibus nihil reperi, nisi dolorem et afflictionem spiritus. Recordatus sum tui: ecce pax et consolatio, quam mundus et creatura nulla dare potest. Infundo me totum in sinum beneplaciti tui. Haec requies mea: hic habitabo, quoniam elegi eam. In pace, in idipsum moriar.

Vita in Deo. In te, per te, propter te vivo, Deus cordis mei. Tu anima animae meae. Nullam

volo mentis, nullam corporis operationem, quae non sit beneplaciti tui. Hoc solum me movet, ut excedam rebus omnibus creatis. Quo moveor, illo vivo. Vive te, vita mea, Deus meus.

Unio cum Deo. O quam mihi bonum est adhaerere Deo! Jam experior, quod qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo. Tu mihi hoc obtinuisti, amabilissime Jesu, quando etiam pro me orasti Patrem, ut sim in te et in Patre, unum, sicut tu et Pater unum estis. Et quis me separabit? etc.

DOMINICA I ADVENTUS

Med. 1. — De aeterna Verbi generatione.

1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Jo. 1). — Considera Filium Dei in se esse Verbum Patris, consubstantialem ejus imaginem, in qua omnes absolute perfectiones relucent, aeternitas, immensitas, etc. quae Filio a Patre communicantur; ideoque procedere per intellectionem, qua Pater seipsum, et secum connexa intelligit. Crede hoc firma fide, adora, lauda, magnifica, gratulare, ama, etc. Sed et tu *ad imaginem Dei creatus es*. Quam nobilis, at nunc, quam dissimilis prototypo! Fatere, confundere, dole, de restauranda imagine cogita. Ut producta est prima, sic restauratur secunda Dei imago per Dei cognitionem et saepius exercitos fidei actus, quorum defectu potissimum labimur.

2. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Ibid.). — Considera Verbi Dei potentia omnia ex nihilo condita esse et conservari, sine hac in nihilum deficere. Agnosce, viva fide, te et omnia ita a Deo pendere. Magnifica et lauda potentiam ejus: invita creaturas; vicissim te ab iisdem invitari crede. Mirare tot possibiles creaturas in suo nihilo relictas, te tam miserum peccatorem extractum. Agnosce, quanta potueris cum eo: quam pauca praestiteris. Humilia te, quod nihil possis sine eo. Apprehende manu tua omnipotentem ejus manum, cum qua sola omnia potes,

et erige te ad magnanimitatem in arduis ac difficilibus.

3. *Quod factum est: in ipso vita erat* (Ibid.). — Regredere a creaturis ad Deum. Cogita creata omnia eminentiori modo in Deo esse, habere in Deo quoddam esse divinum et vivum. Eras ergo et tu in Verbo, et eras *vita*. At vivisne etiamnum in teipso vitam divinam? quid respondent operationes tuae, ex quibus vita colligitur? Invenies pro quo gratias agas, de quo Deum laudes, quod ames, de quo doleas, te confundas et deprimas, quo ad fiduciam erigaris.

FERIA II HEBD. I ADVENTUS

Med. 2. — De creatione et fine hominis.

1. *Creavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam* (Gen. 1). — Agnosce Creatorem tuum: ejus aeternitatem in essentia, omnipotentiam in creatione, bonitatem in sui communicatione, sapientiam in gubernatione, etc. Lauda et glorifica factorem tuum: hic est qui te extraxit ex nihilo; totus ergo es ejus: at quoties te Domino tuo subtraxisti! Assurge, redi in possessionem ejus, dolendo, amando, resignando, ait sanctus Leo. Imaginem sui tibi indidit per creationem; gratiàs age: sed *tibi reliquit, ut secundum ejus imaginem fias*, ait S. Basil. Confer te cum prototypo; adverte, quantum tibi desit, ut ei similis evadas; propone id urgere, quo maxime deficis: pete gratiam, etc.

2. *Formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae* (Gen. 2). — Animae nobili addidit Deus corpus de limo ter-

rae, ne ex nobilitate nimium superbias, ex vilitate nimium dejiciaris. Si tam nobilis, cur ad indignas declinas? Si tam vilis, cur mancipium es corporis tui? Resipisce; corpus tuum cura, non fove; necessitate metire obsequia, quae illi impendis, non voluptate. Abjice te per humilitatem sponte, antequam per necessitatem abjiciaris in pulverem, etc.

3. *Dominum Deum tuum adorabis; et illi soli servies* (Matth. 4). — Hic est finis tuus, ad quem creatus es. Agnosce *Dominum*, agnosce *Deum*, agnosce *tuum*, et hinc titulos, quibus ei et adorationem et servitutem debes, per omnes tibi concessas corporis et animi facultates. Quamcumque enim a Deo accepisti, ea Deo obstricta est. Reflecte te, quam parum hanc veritatem agnoveris; unde et tuis facultatibus abusus es. Dole, detestare. propone, etc. Respice altiorem finem, ad quem Deo serviendo tendis. Lauda Deum, qui tibi seipsum in praemium proponit, gratias age, desidera, pete gratiam, etc.

FERIA III HEBD. I ADVENTUS

Med. 3. — De mediis ad eum finem consequendum.

1. *In principio creavit Deus coelum et terram* (Gen. 1). — Quanta rerum series, quae tibi servit! Aliae sunt naturales, ut coelum, elementa omnia, et omnes eorum perfectiones, homines, artes, scientiae, virtutes. Aliae supernaturales, ut Christus mediator, ejus merita, sacramenta, gratia, Angeli, Sancti, sacra Scriptura, instructiones, status religiosus, etc. Admirare quod tanta fecerit tibi

ingrato et rebelli. Lauda Deum in omnibus operibus suis; agnosce ejus in te amorem. Cogita quanta tibi in coelo praeparet, qui tantis te exulem donat.

2. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (Ps. 8).— Considera modum et affectum, quo tibi Deus haec media dedit: amorem, quo gaudet tibi benefacere; liberalitatem, qua haec, ultra necessitatem, ad jucunditatem suppeditat; providentiam, qua suis omnia temporibus disponit; sapientiam, qua mala, quae tu obesse crederes, ipse in utilitatem convertit; patientiam, qua manum suam non retrahit ab ingrato. Admirare haec, praedica, extolle, gratias age, indignum te reputa. Disce a Creatore tuo esse in eundem liberalis et in ejus servitio constans; sed hoc non egisti hactenus, ingratus fuisti: dole, propone, pete gratiam.

3. *Invisibilia ejus a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellectu conspiciuntur* (Rom. 1). — Considera finem horum mediorum esse, ut te ad finem tuae creationis prosequendum juvent. Juvant ergo corpus nutriendo, vestiendo, medicando, recreando, etc.: animam, homines instruendo, scientiae illuminando et perficiendo intellectum, virtutes adornando, naturaliter voluntatem. Juvant denique supernaturaliter ad cognoscendam divinam omnipotentiam, sapientiam, providentiam, bonitatem et magnificum de Deo sensum excitandum. Confundere, quod his mediis tam segniter hactenus sis usus. Time hos in ultimo judicio tui accusatores et testes. Gratias age. Opta ea ob segnitiem tuam non subtrahi. Spera ea a Dei bonitate: sponde iis uti ad eam intentionem, qua tibi dantur.

FER. IV HEBD. I ADVENTUS

Med. 4. — De bono usu creaturarum, et de indifferentia circa eas.

1. *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (Genes. 1). — Omnia a prima sui creatione erant tam bona media, ut spectato hujus universi ordine, meliora esse non potuerint ad tuum finem. Bona est ergo sanitas, infirmitas, honor, contemptus, divitiae, paupertas, afflictio, solatium, etc., sed horum usus arbitrio tuo relictus est. Quomodo usus es hactenus? Ad vanitatem, ad sensum, ad ruinam tuam. Injuriam fecisti Deo, qui creaturas ad malum detorsisti: creaturis, quod eis abusus es ad errores et peccata: tibi, quod per eas iveris in perditionem. Errasti? Ergo confundere, dole, deprecare, revertere, concipe fiduciam in Deum, implora auxilium, etc.

2. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas* (Ps. 39). — Considera modum practicum, quo bene utaris creaturis. Hic vero est: 1. ut eas non in universum tantum, sed in particulari ad Deum referas, non ad vanitates; 2. ut attendas in quo, aut quomodo hoc opus tibi ad finem ultimum prodesse aut obesse possit; 3. ut attendas ad affectum et desiderium tuum circa hoc opus. An Deum illo quaeras? An te ipsum? An vanitatem? An insanias mundi falsas? Reflecte te ad praeterita: statue de futuris: quia omnino necessarium est, ut creaturis solum ad ultimum finem tuum utaris; neque secus licet. Et hanc veritatem serio cordi imprime.

3. *Non declines ad dexteram, neque ad sinistram* (Prov. 4). — Affectu non magis in sanitatem, divitias et honores feraris quam in morbos, paupertatem et contemptum, quia aeque haec atque illa ad finem conducunt, ut Deum cognoscas, laudes, ames, etc. Statue te in aequilibrio: quidquid eveniat, aeque ad Deum dirige. Hic ergo expugnandus est inordinatus tui ipsius et rerum creatarum amor. Hic enim est laqueus, quo te saepius captum fuisse doleas, confundaris, horreas super te judicium Dei. Hinc contemnes blanda, si obsint, amabis etiam ardua, si prosint: propones, petes gratiam.

FER. V HEBDOM. I ADVENTUS

Med. 5 — De hominis lapsu.

1. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, etc.* (Ps. 48). — Primos parentes nostros, propter unicum inobedientiae peccatum paradiso ejectos esse, veritas fidei est. Expende: 1. in quo honore fuerit homo in gratia conditus, expers internarum rebellionum, morborum ac aerumnarum, in loco deliciarum collocatus. Agnosce, lauda Dei liberalitatem. 2. Expende hominis ingratitudinem, qui vetiti pomi esum, praecepto tam rigoroso antehabuit. Confer cum tua ingratitudine; hanc detestare. 3. Quae poena secuta? Omnes aerumnae, corporis morbi, passionum rebellio, caecitas intellectus, voluntatis depravatio, etc. Agnosce gravitatem peccati, abhorre, detestare, etc.

2. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti*

sunt (Ps. 13). — Considera unum peccatum in omnes transiisse, omnes gratia spoliatos, originali macula (excepta B. V.) infectos, factos filios irae et inimicos Dei. Et quid hoc? Quam grave est spoliari gratia, esse odibilem Deo! etc. Quae latebrae tegunt peccatorem a facie irae Dei! Abhorre a peccato, quod in omnes tuas actiones transit, et vitam eis moralem, animae spiritualem adimit.

3. *Stipendia... peccati mors* (Rom. 6), et temporalis et aeterna. Per peccatum enim mors ingressa est in mundum: per peccatum infernus est fabricatus. Vixisses felix semper, et in aeternum beatus, si non peccasses: quia peccasti, morieris utraque morte. Expende mala primae, sed transitura; mala secundae, sed aeterna. Agnosce hinc gravitatem peccati. Exhorresce, dole, detestare, pete veniam, etc.

FER. VI HEBD. I ADVENTUS

Med. 6. — De decreto et motivo reparandi hominem.

1. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua* (Ezech. 33); per peccatum facti filii mortis aeternae. O miserabilis casus a tanta sublimitate ad tam profundam abyssum! Vide unde et quo delapsus es. Confer priorem statum cum statu peccati, ex eo quod perdidisti, et in quod incurristi. Sed non vult tuam mortem Deus. *Nolo mortem peccatoris.* Si hoc jam jam ad rogum educendus audires a principe tibi dici, quantum exultares? Quas gratias ageres? Quid tam arduum, quod tam bono principi non sponderes? Hoc in Deum age.

2. *In charitate perpetua dilexi te* (Jer. 31). — Considera causam hujus tam piae in nos Dei voluntatis esse infinitum ejus amorem. Quid amor non potest in ipsum Deum! At quibus nostris meritis? Nullis, sed *cum peccatores essemus dilexit nos.* Quid tu faceres in inimicum? Infinities gravius merebaris. Dilexit te tamen, quem offenderas Deus. O ferreum cor, si non diligas diligentem, cum ipse dilexerit offendentem.

3. *Ideo attraxi te miserans* (Ib.). — Altera causa decreti de reparando homines est Dei misericordia. Peccaverat Adam; nocuerat omnibus: omnes extirpandi eramus. Noluit Deus totum humanum genus fine suo frustrari. Peccaverat Adam: sed inductus a daemone in ipsum Deum rabie acto. Hominis causam, ut propriam, assumpsit Deus. Spem concipe, quod causam tuam Deus, ut suam, assumet, contra tentationes daemonis.

SABB. HEBD. I ADVENTUS

Med. 7. — Decretum Incarnationis Filii Dei.

1. Considera potuisse Deum infinitis modis aliis hominem reparare; elegisse tamen per viam condignae Deo dandae satisfactionis. Hanc praestare creatura non poterat, quae non simul esset Deus, quia injuria erat infinita, omnis vero satisfactio finita. Hinc aestima gravitatem offensae divinae, et abhorre. A te vero si satisfactionem requirat unde reddes?

2. Considera potuisse Deum angelicae naturae uniri, et pro homine satisfacere; voluisse humanae, ut vinceret daemonem in natura infirmiore,

et daret nobis visibilem et imitabilem Redemptorem. Agnosce facile superari daemonem ab homine, qui Deo unitur: et adhaere Deo, ut confundas fortem. Agnosce Redemptorem tuum, magistrum et exemplar. Poterasne hoc sperare? Vide, ne devies.

3. Considera ex qua vilitate et miseria, ad quam dignitatem evectus sit homo. Aestima, gratulare, ama, gratias age, etc. Decebat ergo, ut, divinae factus consors naturae, vitam duceres tuae dignitati parem. Sed heu! Quid egisti? Pudeat, poeniteat tantum descivisse, etc.

DOMINICA II ADVENTUS

Med. 8. — Pater Filium, Filius seipsum mundo donat.

1. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Joan. 3). — Quis? Deus. Quem? Te dilexit. Quomodo amorem probavit? Dando Filium, et hunc Deum infinite dilectum pro te rebelli peccatore. Quam nihil tu reddis Deo? Pudeat: quin te quoque affectu creaturarum, tuique ipsius exuis, te ei donas, qui Filium tibi dedit? Attende quam habes obligationem hoc agendi.

2. *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. 2). — Dilexit me, quem vidit specialiter ingratum futurum et suae intentioni repugnaturum: et in signum amoris dedit seipsum, qui se tibi tot argumentis negare poterat. Quid tu agis pro ejus amore? An salvabit te, si adhuc resistas? Redde te totum ei, qui se totum tibi prior dedit.

3. *Cum in forma Dei esset... exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* (Philip. 2). — Et

quo se dedit, qui se tibi dedit? In paupertatem, in contemptum, in cruciatus, in mortem. Haec tolerabilia fecit amor. Non amas vicissim, si ista fugis. Ad haec te resolve, ut amorem testeris.

FER. II HEBD. II ADVENTUS

Med. 9. — In Incarnatione elucet sapientia, bonitas et omnipotentia Dei.

1. *Occulta sapientiae tuae manifestasti mihi* (Ps. 50). — Invenit medium, quo solo divinae justitiae satisfieret, debitum nostrum in divinam personam transferendo. Invenit modum, quo idem, qui Creator erat, esset et Redemptor, ut pluribus titulis, totum in se colligeret amorem nostrum. Et tamen fraudas Deum exspectatione sua : qui amorem dividis in creata. Redde Deo, quod Deo debes.

2. *Bonitatem fecisti cum servo tuo* (Ps. 118). — Quae bonitas? Justus pro injustis, Innocens pro peccatoribus, Dominus pro servo, Deus pro homine se dedit, huic se univit non affectu tantum, sed subsistentia. Et poteris tu, si hoc credis, extra Deum amare aliquid? Convertere, anima mea, tota ad Deum, qui solus bonus, solus amore dignus est.

3. *Fecit potentiam in brachio suo* (Luc. 1). — Filius Dei est brachium Dei, quod e coelo protendit ad sublevandum hominem : in hoc Filio incarnata apparuit omnipotentia, quae tantum operata est, quantum amor desiderare potuit. Nec majus ille imperare, nec majus haec exequi valuit. Persuadeat haec veritas, ut amorem reddas, quem negasti hactenus, et eum testeris opere, quantum potes.

FER. III HEBD. II ADVENTUS

Med. 10. — Per Incarnationem Filii Dei placatur Deus, erigitur homo, confunditur daemon.

1. *Omnia... ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum* (2 Cor. 5). — Non potest placari Deus offensus, nisi vel condonatione vel satisfactione. Noluit condonare peccatum nostrum, voluit satisfieri pro eo a nostra natura adjuta per unionem Verbi, qua merita ejus ad infinitatem eveherentur. Time, anima mea, quia etiam a te satisfactio exigetur! Et tam raro hoc cogitas? At quia satisfacere non potes, uni tuum nihilum cum thesauro infinito meritorum Christi.

2. *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem* (Ps. 112). — Declinaverat in terram homo et cognitione et affectu; Deum nec videbat, nec amabat, quia sub sensum non cadebat: visibilem ergo se dedit, ut nos exemplo et doctrina ad Deum erigeret. Praevalebuntne ergo terrena, ut te rapiant ad se? Illucne ibis, quo illa trahunt, an quo Filius Dei? etc.

3. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (Joan. 12). — Triumphabat daemon, quod in uno homine omnes homines perdidisset. Unum hominem invenit Deus, quo ejus superbia confunderetur, nempe Christum Deum et hominem. Ita nos perdidit unus homo, unus salvabit. Sed hoc non egit humanitas, nisi divinitati unita. Non vinces hostem, nisi Deo unitus. Te solo nihil, cum illo omnia poteris.

Med. 11. — Eligitur Mater tanto filio digna.

1. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* (Gal. 4). — Decreta Incarnatione, decrevit Deus non creare sibi corpus, sed ex foemina nasci, ut sicut una mulier juvit ad perditionem nostri, ita una coadjuvaret ad redemptionem. Et hac ratione voluit fieri filius hominis et frater noster. Quae ergo nostra dignitas, qui habemus, eundem cum Christo Patrem? Quae Christi humilitas, qui cum esset Filius Dei, fieri voluit filius hominis? Illam agnosce, et factis proba: hanc imitare, et te deprime.

2. *Respexit humilitatem ancillae suae* (Luc. 1). — Vidit Deus ab aeterno omnes mulieres, et quidquid in quocumque statu fuissent operaturae. Vidit B. Virginem in omnibus circumstantiis bene operaturam, nunquam male, idque ex meritis Christi. Ideo eam prae caeteris adamavit. Vis a Deo amari? Cooperare ejus gratiae, nulla te praetereat occasio. Fecistine id hactenus? Confundere, dole, time, propone, etc.

3. *Fecit mihi magna, qui potens est* (Ib.). — Quid majus, quam esse Dei Matrem? Unde hoc illi? Quia semper correspondit gratiae invitanti, aut intimanti voluntatem Dei. Potes et tu mater Dei esse. Nam qui fecerit voluntatem Dei Patris qui in coelis est, hic mater mea est. Amasne hanc dignitatem? Fac ejus voluntatem: corresponde internis invitationibus.

FER. V HEBD. II ADVENTUS

Med. 12. — Promittitur incarnatio Filii Dei.

1. *Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius, et ipsa conteret caput tuum* (Gen. 3). — Hoc erat promittere Redemptorem, qui Adamum et posteros liberaret a potestate daemonis. Quam bonus Deus! Vix peccat homo, illico ille spem gratiae facit, et offert. Nonne et tibi eandem spem fecit? Et quoties? Quam ergo debes gratitudinem? Quem amorem? Quam fiduciam?

2. *Inter semen tuum, et semen illius* (Ib.). — Hoc erat promittere Redemptorem ex descendentibus ab Adamo posteris. Hanc deinde promissionem per tot prophetias et figuras renovavit, ut spem eandem nepotibus Adae faceret. At tibi non spem adventus fecit, sed praesentem exhibuit; et tamen magis ei serviebant, qui sperabant, quam tu, qui frueris. Confundere et posthac responde tanto beneficio.

3. *Deus ipse veniet, et salvabit nos* (Is. 35). — Hoc credebant et dicebant priora saecula. Ideo ad eos Christus sua merita, quia erant infinita, extendit. Non ergo deserit quemquam, qui in eum sperat. Putasne minus misericordem in te, postquam venit, si ei fideliter servias? Uberius participas merita Christi per sacramenta, etc. Haec merita semper offer aeterno Patri. Haec unica sint tuae spei fundamentum.

—

Medit. 13. — Desideratur Redemptor a patriarchis et prophetis.

1. *Rorate coeli desuper et nubes pluant Justum* (Isa. 45). — Quem promiserat Deus Salvatorem, voluit desiderari, ut ex parte nostra aliqua esset dispositio. Quid minus pro tanta gratia exigere potuit, quam desiderium? En et ad te venire vult Deus: et hunc quam tepide desideras, qui alia nosti tam ardenter desiderare? Vult a te Deus desiderari, qui vult uniri. Pone ergo alia desideria, ut hoc excites.

2. *Mitte, quem missurus es* (Exod. 4). — Considera quam ardens eorum fuerit desiderium, coelos, nubes, terram, nocte et die inclamabant, ut veniret, qui mittendus erat. Impetrarunt hi affectus accelerationem incarnationis. Si advertas ad tuorum desideriorum languorem, non quaereris te non exaudiri. Pudeat te quod tam ardenter sensui grata, tam tepide divina desideras. Quid te impedit? Quod creatis afficiaris.

3. *Expectavimus eum, et salvabit nos* (Is. 25). — Transibant saecula, augebantur miseriae, promissum non veniebat: attamen spe certi expectabant, tam vivi quam animae in limbo, quia nempe et necessitatem suam, et magnitudinem promissi beneficii cognoscebant. Desiderares et tu constantius si Deo fideres, si necessitates tuas adverteres, si cognosceres quantum bonum sit Deum habere. His nutri desidera.

SABB. HEBD. II ADVENTUS

Med. 14. — De immac. Conceptione B. M. V.

1. *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram* (Prov. 8). — Peccatum originale abyssus est, qua omnes sorbebamur. Maria est exempta, quia, ut ait S. Anselmus, decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret. Adverte, quantum Deus attendit ad id, quod se decet. O si et tu attenderes quid te, quid statum et vocationem tuam deceat?

2. *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. 4). — Non tantum peccatum non fuit in B. V. sed neque fomes, neque concupiscentia, neque prava inclinatio: sed cum summa tranquillitate caro et sensus suberant rationi et spiritui. Sed sentis aliam legem in membris tuis. Tranquillitatem habebis, si concupiscentias et inclinationes opprimas, si ratio et spiritus regant, non caro et sensus.

3. *In me gratia omnis viae, et veritatis* (Eccli. 24). — In primo instanti contulit Deus gratiam B. V. habitualem supra omnes homines et Angelos: plenum usum intellectus, et cognitionem Dei; voluntatem amantem supra omnes Seraphinos; gratias efficaces, cum quibus statim secundum omnem intensionem operata est. Quando tu intellectum, quando voluntatem Deo applicuisti? Quomodo? An cooperatus es gratiis? An cooperaberis? etc.

—

DOMINICA III ADVENTUS

Med. 15. — De Nativitate et Praesentatione B. M. V.

1. *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo* (Ecclesia). — Ss. Trinitati: quia Filia Patris, Mater Filii, Sponsa Spiritus Sancti. 2. Angelis: quia eorum Regina. 3. Hominibus: quia eorum Protectrix; quibus proprie est Maria, *Stella maris* naufragantibus: *Illuminatrix* caecis, et in umbra mortis positis: *Domina* omnibus, ut ei serviamus, eam post Deum amemus, revereamur. Congaude et tu. Agnosce in hoc nomine ejus excellentias et spes tuas.

2. *Concupiscit et deficit anima mea in atria tua* (Ps. 83). — Joachim et Anna toto affectu offerunt Deo Filiam, et hoc se solatio libenter privant. Quam sanctum est propter Deum se omni solatio privare! An et tu hoc agis? Virgo trimula properat se offerre Deo, non aetate, non amore parentum detenta. Quam facile tu impedimentum arripis! Denique se Deo cum summa hilaritate offert per votum perpetuae castitatis. Quae hic devotio? Quae reverentia? Sed quae tua toties repetita oblatio? Quam frigida?

3. *Multae filiae congregaverunt sibi divitias, tu supergressa es universas* (Prov. 31). — Considera virtutes ab ea in templo exercitas. Cum Deo uniebat se per contemplationem, charitatem, voluntatis suae subjectionem. Proximum, seu simul degentes puellas aestimabat, amabat, juvabat, sufferebat, omnibus se subjiciebat: seipsam deprime-

bat humilitate, ab amore terrenorum avellebat, mortificabat, etc. Oblatus es in domo Dei: has a te ipso virtutes exige.

FER. II HEBD. III ADVENTUS

Med. 16. — Beata Virgo desponsatur S. Josepho.

1. Voluit Deus futuram suam Matrem sponsari viro. Non detrectavit virgo, nec voto timuit, quia se totam Dei gubernationi dederat. Non dubitabat se intactam conservandam ab eo, cujus hic voluntatem exequebatur. Sine te a Deo gubernari, et nullum incurres periculum. Examina praeterita, dispone futura.

2. Considera causas desponsationis. 1. Ne gravida incurreret notam apud homines. Consule famae alienae, praesertim matris tuae Religionis. 2. Ne ipse etiam de innupta natus illegitimus haberetur. Consule tuo etiam nomini, dum ad gloriam Dei magis expedit. 3. Ut celaretur ad tempus mysterium incarnationis. Disce partus virtutum tuarum celare.

3. Considera qualitates sponsi. Erat quidem regia stirpe editus, sed pauper, faber lignarius, justus tamen, et virgo, ut virgo Virginem custodiret. Quam alia aestimat Deus, alia mundus! Deus justitiam, sanctitatem, virginitatem, humilitatem: mundus excelsam stirpem, opulentiam, etc. Si ut Deus practice judicasses, non tantopere adhaesisses terrenis. Nunc saltem corrige judicium tuum.

FER. III HEBD. III ADVENTUS

Med. 17. — Legatio Angeli ad B. Virginem.

1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae ad Virginem* (Luc. 1.) — Expende, quis, quem, ad quem mittit. Deus Angelum ad Virginem pauperem, desponsatam fabro, consecratam Deo. Tales dignatur Deus legatione Angelorum. Sed nec te dedignatur, invisibili legatione internarum inspirationum. Attende his, quia a Deo sunt: aestima et sequere, quia ad tuum bonum sunt. Melior esses, si hactenus hoc praestitisses.

2. *Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena* (Ibid.). — Ingressus, qua reverentia? Qua modestia? Qua compositione? Quam longe minore tu ad Deum ipsum accedis! Laudat Virginem, reticet se Angelum esse. Disce tui laudes non promere, promere alienas. Vocat gratia plenam. Haec sola laus coram Deo. Sed quo tu es plenus? Vanitate, inordinatis affectibus, etc.

3. *Dominus tecum* (Ib.). — In cogitatione, in desiderio, in amore. Felix societas sic esse cum Deo. Felix Maria, quae semper cum Deo! Quam raro tu cum Deo! Consule cogitationes, desideria et affectus tuos. Ubi vagantur? Collige ergo eos omnes ad Deum.

FER. IV HEBD. III ADVENTUS

Med. 18. — Angelus intimat mysterium Incarnationis.

1. *Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus* (Luc. 1). — Turbatur, id est confunditur ad tantas sui laudes, ad tantam Angeli reverentiam.

Hoc proprium est humilium. O quantum distas a Virgine! Turbaris ad tui vituperia, exultas ad laudes. Illa abhorret veras et meritas; tu quaeris immeritas et falsas.

2. *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* (Ibid.). — Unicam rationem ad pellendum timorem adducit, quod sit in gratia Dei. Inexpugnabilis hic clypeus est. Quid enim timeat, quem Deus amat? Quaere ergo huic placere, non hominibus. Placeres illi magis, si his minus placere voluisses.

3. *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et regnabit in domo Jacob in aeternum* (Ib.). — Gratulare Virgini de tanto Filio: adora Filium; agnosce Deum; crede, ama et regnanti te subde.

FER. V HEBD. III ADVENTUS

Med. 19. — Explicat Angelus mysterium Incarnationis.

1. *Dixit autem Maria: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (Luc. I). — Non dicit *non fiet istud*, quae semper Deo consentiebat: sed *quomodo?* Insinuat votum, et amorem majorem puritatis, quam maternitatis tanti Filii: de caetero quid Deus disponat auditura. Ama puritatem et animae et corporis majorem, quam antehac.

2. *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus S. superveniet in te, et virtus, etc.* (Ib.). — Explicat quomodo consistent virginitas et foecunditas opera Spiritus Sancti corpus Dei Verbo formaturi. Gratulare Virgini, in qua Spiritus Sanctus operaba-

tur hoc mysterium. Vide, ut idem solus in anima tua operetur inspirationibus, non sensus, non amor proprius, non humani respectus.

3. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Ibid.). — Consentit Virgo. Hoc expectabat Ss. Trinitas, Angeli, Patres in limbo, homines. Cum quanta humilitate? Mater Dei se ancillam vocat. Virginitate concepit, humilitate meruit. Hic modus est, quo Deum ad te trahas, si te deprimas; sicut eum pellis, si te elevas.

FER. VI HEBD. III ADVENTUS

Med. 20. — Dotes Christi animae a Verbo assumptae.

1. *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei* (Coloss. 2). — Primo instanti perfectissime cognovit omnia naturalia, etiam te et tua facta. Sed viditne, quod gaudio esse poterat, an quod moerori? Secundo omnia supernaturalia, ac Deum. Quam felix illa anima! Quam tu infelix! Haec non vides: saltem actuali fide saepius crede. Ex hujus defectu aliis plerumque deficis.

2. *Talis decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus* (Hebr. 7). — 1. Ex unione ad Verbum fuit sancta infinite, neque crescere potuit. Tu potes: at non cresces, nisi Deo magis uniaris: non unieris, nisi a creaturis magis recedas. 2. Fuit sancta per summam gratiam super omnes creaturas. Respice egestatem tuam. Ditior esses, si te Deo magis unires. 3. Fuit impeccabilis, quia regebatur a Verbo. Quam tu fragilis! Forte quia non pateris te a Deo regi.

3. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare* (Coloss. 1). — Ob unionem habuit om-

nes virtutes supernaturales, quarum capax fuit. Quantum complacuit sibi in illa Deus! Quam parum in tua! Quia egenus et pauper es. Nec fuerunt otiosae illae virtutes; jam tunc in nos influebant. Sed quoties hunc in te fluxum non admisisti.

SABB. HEBD. III ADVENTUS

M d. 21. — Christus primo instanti conceptionis. offert se Patri aeterno.

1. *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem* (aliam) *noluisti, corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi: Ecce venio* (Hebr. 10). — Offert Patri se, sua, corpus, animam, et quam promptissime, quia cognoscit haec esse ab illo. Quid tu habes, quod non sit a Deo? Cur non illi omnia? Cur tibi, cur sensui multa immolas?

2. *Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (Ib.). — Vidit statim decretam sibi a Deo paupertatem, contemptum, passionem, mortem; promptissime excipit ipso primo momento crucem, voluntate sua tota in Dei voluntatem transfusa. Confer te cum Christo, quam conformis sis voluntati divinae, praesertim in arduis; quam ames, aut fugias crucem.

3. *Quae placita sunt ei, facio semper* (Jo. 8). — Quia summe ei placet gloria sua, et salus nostra, huc statim intentione sua respexit, eâque purissima. Perdis omnia, quae non huc dirigis. O quanta hactenus jacturam fecisti! Quod posthac facturus es, purum sit, ut nihil sensus interveniat.

—

DOMINICA IV ADVENTUS

Med. 22. — B. V. Elisabetham invisit.

1. *Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione* (Luc. 1). — Concepto Deo, abit in ardua. Inhabitantis Dei signum est ad difficilia se resolvere. Concepto Deo, exit in publicum. Necessarium est latere, donec Dei spiritus sit in te: antea non tuto agis cum proximo. Ut Joannem peccato solvat, relinquit amatam solitudinem. Reliquendus Deus propter Deum.

2. *Exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth* (Ib.). — Effectus hi sunt visitationis Mariae. Infans mundatur, sanctificatur nondum natus prophetat gestu. Elisabeth illuminatur, agnoscit Matrem Dei, extollit eam, humiliat se. Deus omnia nos habere voluit per Mariam. Huic tuam necessitatem expone: ab hac mendica.

3. *Magnificat anima mea Dominum* (Ib.). — Laudata laudem refudit in Deum, se vero humiliat. Quidquid a Deo tibi affluat, tu ad tuum nihilum redi; magnifica illum, et sublimem de eo sensum concipe.

FER. II HEBD. IV ADVENTUS

Med. 23. — S. Joseph de mysterio Incarnationis instruitur.

1. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* (Matth. 1). — Videt gravidam, non novit mysterium; angitur, sed non exprobrat: in melius

interpretatur: cogitat de dimittenda, sed occulte, ut famae consuleret. Disce 1. prudenter adversa tolerare, non murmurare. 2. Alienos defectus apud te excusare, apud alios tegere.

2. Angebatur et Virgo, quae sciebat angi Josephum; se de adulterio suspectam: se periclitari de dimissione. Silet tamen, neque excusationem affert, committit se Deo innocentiae defensori. Etiam de sanctis sinistra formantur judicia: sile, si tibi hoc contingat. Deo te committe, qui providentia sua omnia ordinabit in bonum.

3. *Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam* (Ib.). — Tribulari vult Deus justos, non opprimi: praestat divina auxilia, cum desunt humana. Docet mysterium Incarnationis Josephum. Quod tam hujus, quam Mariae gaudium? Ita sunt curae Deo, qui se illi committunt.

FER. III HEBD. IV ADVENTUS

Med. 24. — Nascitur Joannes Baptista.

1. *Peperit filium, et audierunt vicini... quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa* (Luc. 1). — 1. Eximendo illam a dedecore sterilitatis. Si tam turpis erat sterilitas corporalis, quam turpis coram Deo erit sterilitas animae! Et haec tua est. 2. Dando filium, qui *erit magnus coram Domino*. Sola magnitudo vera est, quae coram Deo est. Quid alia quaeris?

2. *Peperit Filium, et audierunt vicini.* — Considera, quae secuta sint nativitatem Joannis. Gaudent vicini: alii timent: alii mirantur: recipit loquelam pater, repletur Spiritu Sancto, loquitur

benedicens Deum, prophetat, etc. Quantas mutationes facit vir unus zelosus, si quando comparet in populo!

3. *Quis putas puer iste erit? Etenim, manus Domini erat cum illo* (Ibid.). — Praesagiunt magnitudinem Joannis ab Angelo praedictam, ex eo quia manus et favor Dei erat cum illo: hic tamen favor non fecit eum magnum coram mundo, sed contemptum, deduxit in desertum, aluit locustis, vestivit melote, etc. Per hanc viam ducit Deus eos, quos vult magnos coram se. Hac et tibi eundum.

FER. IV HEBD. IV ADVENTUS

Med. 25. — Munus, ad quod destinatur Joannes.

1. *Hic venit, in testimonium, ut testimoniun. perhiberet de lumine* (Joan. 1). — Testimonium ore, ut Christum praedicaret; testimonium opere, ut doctrinam suam sanguine signaret. Ad hoc vocatus es tu, ut testimonium perhibeas non ore tantum, laudando, praedicando; sed multo magis opere, ardua pro eo agendo et patiendo. Quid egisti? Quid passus es? Quid in futurum?

2. *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae* (Luc. 1). — Spiritus Eliae fuit zelosus, igneus, fortis et imperterritus. Talis fuit Joannis in eremo, ad Jordanem, in urbibus, in carcere, in morte. An et tuus talis? Quam tepidus! Quam debilis! Quam facile deficit!

3. *Parare Domino plebem perfectam* (Ib.). — Non destinatur tantum ad Herodem, aut magnates, sed etiam ad plebem excolendam. Dimitte te

ad vilissimos, quoniam nullius est vilis anima. Idem omnium est pretium, Sanguis Christi. Hoc exemplum Christi, hoc vocatio tua exigit.

FER. V HEBDOM. IV ADVENTUS

Med. 26. — Expectatio partus.

1. Quem conceperat B. Virgo, summe desiderabat parturire: quia sciebat eum omnium saluti datum, ut hoc opus aperte inchoaret. Desiderabat eum quidem utero sibi unitum habere: sed praevaluit affectus salutis aliorum. Quoties tu Deum concipis per bona proposita? Quam raro parturis! Insistendum his: alias otiosa sunt. Sepone quandoque etiam spiritualem tuam consolationem, ut saluti aliorum servias: multo magis solatia sensuum. Non perditur sic Deus, sed paritur.

2. Agnita Dei voluntate, ut Christus nasceretur, desiderabat hujus partum B. Virgo, ut eum etiam corporalibus obsequiis prosequeretur, videret, oscularetur, stringeret, gestaret, serviret. Non solum affectum, sed etiam externa opera Deo impende.

3. Ad hunc partum quis se disponebat? Per intensissimos virtutum omnium actus. Non una virtute te, nec lenta ad Deum in te pariendum dispones. Necesse est omnibus, et in gradu heroico. Quas habes? Quot desunt? Heroicis assuesce, quae fervidam et constantem resolutionem postulant.

—

FER. VI HEBD. IV ADVENTUS

Med 27. — Beneficia a Christo in utero existente sanctissimae Matri collata.

1. Gestavit Filium sine gravedine, sine dolore et taedio. Facile gestatur, quod summe amatur. Privilegium hoc fuit Virginis, non tuum. Tibi dictum est: *In dolore paries filios;* id est: proposita tua etiam per difficultates in opus sunt reducenda: faciliora fient, si ames. Gravis est tibi doctrina Christi? Ama: amor omnia dulcorat.

2. Considera quam adornatum reliquerit Christus thalamum uteri. Qui tantas B. Virgini gratias primo instanti, quo conceptus est, contulit, in quantum putas eas cumulaverit per novem menses? Quam intellectui lucem, quem affectum voluntati indidit? Gratulare Virgini. At unde tua caecitas et tepiditas, cum saepius Deum recipias? Forte quia non pateris eum diu tecum morari, dum te statim ad alia effundis.

3. Considera filios alios nobilitatem a matre accipere. At hic beata Mater a Filio, qui simul est Deus verus, accepit. Regina enim omnium est, quia Mater est Regis universorum. Ab eo nobilis eris, quod peperis, id est, a tuis actionibus Christo conformibus, non a doctrina, non ab aestimatione.

SABB. HEBD. IV ADVENTUS

Med. 28. — Iter Virginis ad Bethlehem.

1. *Exiit edictum a Caesare* (Luc. 2). — Licet ex superbia et avaritia, B. Virgo tamen reveretur in imperatore terreno auctoritatem Dei: non excusat

se graviditate, temporis iniquitate. Nonne hinc discis superiores tuos loco Dei habere, etiam in durioribus imperiis?

2. *Ascendit et Joseph..... ut profiteretur cum Maria* (Ibid.). — Decreverat Deus, ut Filius pauper et contemptus nasceretur. Ordinat, ut edictum Caesaris prodeat. Hinc constringi videtur, ut in Bethlehem eat. Sed hac necessitate tegit suam voluntatem patiendi, humilitatem, patientiam, paupertatem. Quid ego? Prodeo sub virtutis colore, sed delicta celo, amo commoditates, etc. O pudor!

3. *In propria venit, et sui eum non receperunt* (Jo. 1). — Comitare undique B. Virginem mendicantem hospitium. Vide, quam indigne excludatur. Expende, quis ejus sensus, maxime quod *sui eum non recipiant*, qui recipiunt alienigenas. Nonne et tu Deum quandoque cor pulsantem excludis? Et cui das locum? Aperi ergo posthac illi, claude vanitati.

DIE XXV DECEMBRIS

Med. 29. — De Nativitate Domini.

1. *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret* (Luc. 2). — Ubi? Considera vilitatem loci, tempestatem perfrigidam, tempus noctis circumundique miseriam et paupertatem. Vis ut in te nascatur Christus? Esto tibi vilis, frigescant tuae passiones, ama latére, esto pauper et humilis. Amat et in te Filius Dei, ea quae pro se elegit.

2. *Et peperit Filium suum primo genitum* (Ib.).

— Considera quibus actibus reverentiae, humilitatis, adorationis, amoris B. Virgo Filium suum exceperit, et statim pro mundi salute Patri obtulerit. Audi vagitum, vide lacrymas: quaere, cur fleat. Audi respondentem quod non habeat imitatorem, et statue tu eum sequi.

3. *Et pannis eum involvit* (Ib.).— Ecce paupertatem Matris et Filii. *Et reclinavit eum in praesepio.* Ecce quomodo a teneris Dei Filius incommoditates amat. Et cur tu fugis? *Quia non erat ei locus in diversorio.* Qui creavit te in habitaculum sibi, non invenit locum apud te: et invenit, qui te vult perditum?

DIE XXVI DECEMBRIS

Med. 30. — Sensus Dei, B. Virginis et Angelorum in nativitate Christi.

1. Cogita 1. ab aeterno Patre tibi ipso nativitatis instanti dici: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* 2. Tibi donari ab eo Filium et ejus merita. Quam dives his eris, si bene utaris et tibi applices! 3. Filium vero Patri offerre seipsum in victimam pro peccatis tuis. Quis amor iste in te? Quomodo es meritus? Offer quoque te ipsum in victimam Deo.

2. Considera 1. quas gratias B. Virgo retulerit ob conservatam virginitatem. Aestima et custodi tantum thesaurum, quem illa tanti fecit. 2. Quomodo obtulerit eum aeterno Patri, quomodo mundo, quomodo tibi; suscipe munus, ama, fove, utere in bonum tuum.

3. Considera revelatum Angelis dictumque: *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Crede ergo ad-

stitisse Angelos, admiratos illam exinanitionem, paupertatem, etc. Et tamen non eorum causa haec agebat Christus, sed tui. Quae tua ergo obligatio, non tantum admirandi, sed etiam imitandi hanc exinanitionem?

DIE XXVII DECEMBRIS

Med. 31. — Christus natus annuntiatur pastoribus.

1. *Pastores erant in regione eàdem vigilantes et custodientes vigilias noctis, super gregem suum; et ecce Angelus Domini stetit juxta illos* (Luc. 2). — Quibus revelat se Christus? Pastoribus simplicibus et humilibus; vigilantibus et attentis ad occasionem boni: custodientibus greges passionum et affectuum suorum. Suntne in te hae qualitates ut merearis tibi Deum revelari?

2. *Et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno* (Ib.). — Lumen et cognitio majestatis Dei excitat in anima sacrum quemdam horrorem ac reverentiam. O quam parva est tua in Deum reverentia in tuis spiritualibus exercitiis! Unde? Quia modicum est in te lumen, et non formas sublimem de Deo, rebusque divinis aestimationem. Si aestimabis, revereberis.

3. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator* (Ib.). — Gaudent Angeli de nostro bono. Disce gaudere de bonis aliorum. Gaudium nobis annuntiant. Argumenta gaudii sunt, quod *natus est Salvator*, quod *nobis*, quod *hodie*. Est Salvator tuus, sed non salvabit te sine te. Cooperari ergo oportet.

DIE XXVIII DECEMBRIS

Med. 32. — Datur signum pastoribus et canunt Angeli.

1. *Et hoc vobis signum: invenietis Infantem pannis involutum, et positum in praesepio* (Luc. 2). — Salvatorem populorum annuntiat Angelus, et dat ejus signa tam vilia! Deus nempe non invenitur, nisi in humilitate et contemptu terraenorum. Elige haec ad majorem Christi imitationem, etiamsi par omnino esset in deliciis et honoribus Dei gloria.

2. *Et subito facta est... multitudo militiae coelestis exercitus laudantium Deum* (Ib.). — Quia Dei Filius se tantopere exinanivit, Pater eum per Angelos honorat. Quanto minorem ipse tui curam gesseris, tanto majorem geret Deus. Ubi terrena solatia abjeceris, aderunt coelestia. Quid laudabant Angeli? Infantis sapientiam, tenelli potentiam, despecti gloriam. Deus eruit et manifestat, quae latent; huic te committe.

3. *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Ib.). — 1. Deo soli debetur per omnia gloria, non tibi. Si eam tibi arroges, Deus te confundet ob furtum rei alienae. Quoties eam Deo surripuisti? Redde quod non est tuum. 2. Pax datur hominibus bonae voluntatis. Bona voluntas directa per solidas veritates, prompta, resoluta, fervida, est principium omnis boni et pacis internae. Reflecte te ad te ipsum, et ex te ipso disces esse verum. Ideo hanc voluntatem excita et conserva.

—

DIE XXIX DECEMBRIS

Med. 33. — Pastores se hortantur mutuo ad invisendum Salvatorem.

1. Ut discesserunt ab his Angeli, *pastores loquebantur ad invicem* (Luc. 2) de iis quae Angeli decantarunt. Non sunt ergo statim eorum obliti, ubi Angelus disparuit, quemadmodum tu facis, qui elapsa hora meditationis, vix postea cogitas, quod lumen habueris, quod propositum. De hoc interdiu saepius tibi loquere, dum practicandi est occasio.

2. *Transeamus usque Bethlehem* (Ibid.). — Non fuit pura rememoratio eorum quae audierant, sed practica: ex qua concluserunt *transire*. Cura, ut tales sint tuae meditationes, quibus tibi loqueris; ut semper concludas transitum, vel ab imperfectione ad virtutem, vel ad altiorem virtutis gradum.

3. *Et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis* (Ibid.). — Volunt experiri quod audierant. Quanta ostendit tibi Deus, cum tibi interius loquitur! Debes ea opere experiri: alias frustratur Deus suo fine, tu fructu. Si hactenus id fecisses, quantus evasisses! Ipse tibi impedimento fuisti, sis ipse tibi stimulo.

DIE XXX DECEMBRIS

Med. 34. — Pastores veniunt ad praesepe Domini.

1. *Et venerunt festinantes* (Luc. 2). — Etsi Angelus non mandaverit, quia tamen Deo gratum fore illum transitum intellexerunt, festinarunt eo magis, quo majus erat desiderium. Ubi lumen hau-

sisti et propositum statuisti, festinandum est, et prima exequendi occasio accipienda. Facies id, si verum sit in te desiderium. Hoc in meditationibus tuis semper excita.

2. *Et invenerunt Mariam et Joseph et Infantem positum in praesepio* (Ibid.). — Cogita qui eorum fuerint affectus submissionis, admirationis, laudis, gaudii, etc. Correspondit eventus lumini, quod Angelus dedit, quia properarunt experiri. Propera modo ad opus propositum; sic invenies Jesum, aut ejus virtutem. Cur id hactenus non fecisti?

3. *Videntes autem cognoverunt de Verbo, quod dictum erat illis de puero hoc* (Ibid.). — Dictum erat illis: nondum erat plena cognitio. Viderunt, et tunc demum cognoverunt. Experientia virtus discitur. Audivisti tibi loquentem Deum in meditatione? Est initium hujus scientiae. Accede ad opus, tunc plene cognosces. Quia id non praestitisti hactenus, inde es tam rudis.

DIE XXXI DECEMBRIS

Med. 35. — Reditus pastorum a praesepio Domini.

1. *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo* (Luc. 2). — Habes Mariam exemplar meditantis. 1. *Conservabat verba* a pastoribus in laudem Christi dicta. Quid tu conservas eorum, quae tibi Deus dicit? — 2. *Omnia.* Quare non omnia lumina in praxim trahis? 3. *Conferebat in corde.* Debes ea saepius in memoriam revocare, captare occasionem exequendi.

2. *Reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum* (Ibid.). — Ex conversatione cum Chri-

sto remanserunt in illis affectus gloriae Dei, quos retulerunt ad officium suum. O felix, si ex meditatione tua referas tales affectus eosque in officio tuo exerceas! Miser, si hoc non facias! Quanta enim perdis?

3. *In omnibus, quae audierant et viderant* (Ib.). — In omnibus glorificant Deum. Nihil praeteri occasionis, quod id exerceas, cujus lumen habuisti. Multas invenies occasiones, si attendas, et tuo lucro; multas perdes, et tuo damno, si non attendas. Et sic Deum glorificabis, quod facias, quae ipse ingessit.

DIE I JANUARII

Med. 36. — De circumcisione Domini.

1. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer* (Luc. 2). — Christus a lege exemptus erat, quia peccatum non habebat per eam abolendum. Vult tamen subesse legi, quamvis durae. At tu leges, quamvis faciles, facile transgrederis difficiles declinas. Est hoc Christum imitari? Resolve te etiam ad ardua, ubi vides Dei voluntatem.

2. *Ut circumcideretur Puer.* — Considera beatam Virginem a Deo edoctam resolvisse se ad Filium circumcisioni subjiciendum. Amabat Filium tenerrime: sciebat quis illi dolor inferendus esset. Non dat locum affectui, quia sciebat voluntatem Dei. Ubi de Dei voluntate constat, sepone affectum. Offendetur proximus? Sed Deus jubet. Uti attendes? Uti attendisti hactenus?

3. *Ut circumcideretur Puer.* — Considera dolorem, quem senserit Christus, quia erat tenellus infans, complexionis delicatissimae. Hunc praevidit, quia habebat perfectum usum rationis, et tamen voluit legi parere. Quanto disto a Jesu meo! Ubi modicum confusionis, aut doloris praevideo, quantum fugio! Sed ab hoc die non fugiam: immo ambiam ad majorem imitationem Jesu.

DIE II JANUARII

Med. 37. — Quos fines habuerit Christus suae circumcisionis.

1. Considera primum ejus finem fuisse, ut ostenderet se verum, non phantasticum corpus assumpsisse, et se esse hominem nobis similem, doloribus subjectum. Gratias age, adora hoc corpus. Sed disce non esse contentus specie, seu apparentia virtutis, sed veram quaere. Hanc autem probare debes circumcisione mortificationis.

2. Secundus finis fuit, ut se declararet filium Abrahae, cui lex illa data fuit. Nec absterruit eum dolor aut confusio. Esne religiosus? Non es, si id non probas circumcisione mortificationis: si te confusionis, aut doloris timor a professionis opere avertit. Non sic ages imposterum.

3. Tertius finis fuit, ut jam tum adhuc infans suum in nos amorem testaretur. Insigne enim amoris argumentum est, pro eo pati, quem amas. Quis vicissim tuus in Deum est amor? Paterisne pro eo? Habesne promptam ad ardua voluntatem, ac desiderium? Excipisne prompte et amanter seu oblata, seu imperata? Haec imposterum tui amoris exhibe documenta.

DIE III JANUARII

Med. 38. — Praecipuae virtutes a Christe in circumcisione exhibitae.

1. Prima sit *obedientia*. Non tenebatur lege, et se subjecit. Et quoniam circumcisio erat protestatio subjectionis ad universam legem, significavit se illam totam servandam suscipere, quamvis gravis esset. Si is tam grave jugum tui causa suscepit, cur tu cum tam levi jugo religiosae regulae luctaris? Cur saepe excutis, cujus fructus est tuus? At non te obligant sub peccato? Ideo suavius est jugum. Amplectere.

2. *Humilitas*. Circumcisio erat remedium peccati originalis: arguebatur id contraxisse, qui circumcidebatur: Christus nec peccavit, nec peccare potuit: accipit tamen peccati stigma. O humilitas Dei mei! Sed, o superbia mea! Reipsa peccator sum, et videri nolo. Discam libenter confundi, nec quaeram alius videri, quam sim.

3. *Charitas*, qua properavit pro me in vulnera. Amor mei non imperavit illi gloriam aut delicias, sed vulnera et sanguinem, et quidem in infantia. Oh quam sero ego te amavi! Sed quam etiamnum tepide te amo, dum duris et asperis amorem testari fugio!

DIE IV JANUARII

Med. 39. — De impositione nominis Jesu.

1. *Vocatum est nomen ejus Jesus* (Luc. 2). — Quando? In ipsa circumcisione, quando signum peccati accepit, et sese infinite humiliavit: tunc

Deus dedit illi gloriosum nomen, quod est super omne nomen. Ita Deus elevat eum, qui se humiliat. Habes nomen socii Jesu : ut illud digne feras, esto socius humilitatis.

2. *Vocatum est nomen ejus Jesus.* — Quando? In ipsa circumcisione. Adeo nomen Jesu ipsi Jesu sanguine constitit. Habens nomen socii Jesu, ut illud digne sustineas, circumcidi, immo mortificari est opus. Hoc instituti nostri ratio a nobis postulat. Fecisti id hactenus? Facies imposterum? Quomodo?

3. *Vocatum est nomen ejus Jesus.* — Quando? In circumcisione, qua se obligabat ad implendam totam legem antiquam. Habes nomen socii Jesu. Vide quam te hoc obliget ad observantiam regularum. Singulae enim continent quamdam imitationem Jesu. Examina, reflecte, statue.

DIE V JANUARII

Med. 40. — Causa nominis Jesu, et quam nobis inferat obligationem.

1. *Ipse enim salvum faciet populum suum* (Matth. 1). — Ideo vocatus Jesus, Salvator. Nomen hoc quam apte convenit rei significatae. Nomen habes socii Jesu? Habesne etiam zelum salvandi animas? Nomen sine actu ignominiae tibi erit. Excita ergo in te zelum exemplo Christi.

2. *Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Jesu* (2 Tim. 2). — Si reputat indignum Paulus nomen Jesu pronuntiari a peccatore; quanto indignius erit, nomen Jesu gerere et peccare? Haec ergo prima est obligatio, ut non pecces, qui

hoc nomen geris, ne levissime quidem. Examina, dole, propone.

3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu, etc.* (Col. 3). — Haec secunda est obligatio, quam etiam ipsum nomen a te postulat. Jesus et ejus gloria sit initium, sit medium, sit finis operum tuorum et verborum; nec alium quaere. Examina, time, dole, ama, etc.

IN EPIPHANIA

Med. 41. — De vocatione Magorum.

1. *Cum natus esset Jesus... ecce Magi ab oriente, etc.* (Matth. 2). — Eodem tempore manifestavit se Judaeis per Angelum, Gentibus per stellam. Agnosce bonitatem Dei, qui neminem vult exclusum a gratia, quamvis immerentem et reluctantem. Expertus id es ipse. Recogita annos priores et intelliges; miraberis, quod te Deus ita sit prosecutus; dolebis, gratias ages, propones, petes gratiam.

2. *Vidimus stellam* (Ib.). — Quam infelix status caecae gentilitatis antè natum Christum! Sed hodie vidit lucem magnam. Cogita, quis olim status animae tuae ante ortam stellam vocationis? Quis hodie? Detestare priorem, gratias age pro praesenti.

3. *Vidimus stellam.* — Vocat eos per stellam, quia dediti erant stellarum speculationi. Ita Deus in vocandi modo accomodat se hominum inclinationi: et simul erudit interne, quid stella signi-

ficet, et movet illorum voluntatem. Agnosce 1. gratiae necessitatem, sine qua ad Deum non venies. Hanc ora. 2. Disce experiri illorum inclinationes, quibuscum agis, et per eas illos lucrari. 3. Disce ex creatis ascendere ad increata, ut illis ex stella stellarum Dominum agnoverunt.

DIE VII JANUARII

Med. 42. — De Magorum ad vocationem coöperatione.

1. *Vidimus* (Matth. 2). — Non soli tres, sed forte alii omnes in eadem regione viderunt stellam : soli tamen tres eam secuti sunt. Vere *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quot stellas divinarum inspirationum tibi misit Deus ! Quam paucas es secutus ! Dole, time, ora, et stude vocationem tuam certam facere per bona opera.

2. *Vidimus: venimus* (Ib.). — Ut viderent, Deus dedit ; quod venerint, de suo addiderunt. Frustra est gratia, ubi non est cooperatio. Vide, ne gratia Dei in te vacua sit. Nullam neglige, quia forte quaevis est ultima.

3. *Vidimus: venimus.* — Inter videre stellam et venire, nihil interponitur : statim enim vocanti Deo obediverunt, non retracti tam multorum exemplo, quos cura domus, affectus propinquorum, propria commoda retinebant. Disce non differre, dum lumen habes. Rumpe vincula terrenorum affectuum.

DIE VIII JANUARII

Med. 43. — De egressu ex patria, et itinere Magorum.

1. *Vidimus: venimus* (Matth. 2). — Non ignorant itinerum molestias, terrae et aëris injurias:

forte et plura sibi praefigunt animo, et tamen iter aggrediuntur. Magna generositas! Haec, volentibus ad Deum ire, semper est necessaria; hoc enim iter molestiis non caret. Confortare ergo et esto robustus, ac generosas cape resolutiones Deo confisus.

2. *Vidimus: venimus.* — Iter ineunt, quia vocati. Quo? ignorant. Generose, et intrepide se divinae committunt vocationi. Fiducia illa stellam ducem merita est. Quam saepe times aliquid aggredi, quia eventum nescis. Ubi credis Deum velle resolve, te fide: qui dedit velle, dabit et perficere.

3. *Vidimus.* — Considera, quis per iter fuerit eorum sensus, habito semper prae oculis stellae miraculo? Quae Deo gratiae? Quae in adversis patientia? Quod Christi desiderium? Quae eum inveniendi cura? Confundere quod cum tot luminibus tam parvum habeas desiderium Christi, et inveniendi curam. Gratias age pro luminibus, ora, plura et efficacia sequi statue.

DIE IX JANUARII

Med. 44. — Tres Magi Jerosolymam ingrediuntur.

1. *Ubi est, qui natus est, etc.* (Matth. 2). — Quia stellam amiserunt, necesse habent ex hominibus quaerere. Sed quae causa amissae stellae? Forte voluit Deus eorum constantiam probare. Solet enim etiam sanctis eripere solatia spiritualia, et ariditatem immittere. Quid ages tali casu? Ecce Magi pergunt, intrant civitatem, spe pleni, quod Deus medium suggeret. Tu pariter ne cadas animo.

2. *Ubi est qui natus est rex Judaeorum?* (Ib.). — Quam intrepida animi magnitudo! In ipsa urbe Herodi subdita, vivo et regnante Herode rege, homine ambitioso, quaerunt de novo rege, non sine vitae periculo. Fides viva, et ardens desiderium expunxerunt metum periculi: quoties tu ob leves metus, vel non suscipis pro Deo, quae parum sunt ardua, vel suscepta deseris! Confundere, emenda.

3. *Audiens autem Herodes, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo* (Ib.). — Turbatur rex ambitione regni, quod timet perdere: turbatur populus regis studio, quem timet offendere. En quomodo vel unus ad terrena affectus, una inordinata passio pacem animi turbat! Amas hanc pacem? Ejice animo inordinatos affectus.

DIE X JANUARII

Med. 45. — Herodes quaerit ubi Christus nascatur.

1. *Et congregans principes sacerdotum et scribas populi* (Matth. 2). — Quam admiranda Dei providentia! Herodes malevolus, sacerdotes iniqui serviunt ad dirigendos Magos. Lauda et magnifica hanc. Si vero cognoscere vis Dei voluntatem, ejus ministros, superiores tuos consule. Etsi iniqui sint, Deus non patitur illos in eo errare quod per te vult fieri.

2. *Sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur* (Ib.). — Quam pia in speciem quaestio! Quam sinister in corde affectus! Quam sancti videri volunt affectus pessimi! Non sinas passionem ullam dominari: etiam te dementabit, ut quod facis passione, excuses virtute; quod ex ira, vestias zelo, etc.

3. *At illi dixerunt: In Bethlehem Judae* (Ib.). — Sciverunt hoc ex Scriptura, quam allegant; docent hoc Magos, et tamen stolidi ipsi Jesum non quaerunt tam sibi vicinum. O ingrati! Quanta tu audis, quanta scis, per quae venire possis ad Jesum! Et cur non facis? Oberit ipsum scire, si nolis facere.

DIE XI JANUARII

Med. 46. — Herodes cum Magis agit.

1. *Clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae* (Matth. 2). — Quo fine? Ut inde colligeret aetatem pueri, et deinde in eam aetatem saeviret, ut regem extingueret. Et advertе illud *diligenter didicit.* Si filii iniquitatis diligenter arripiunt media ad suos fines pessimos, quid te facere oportebit ad sanctos fines?

2. *Ite, et interrogate diligenter de Puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi* (Ib.). — Vide progressum malitiae. Herodes jam ipsos Magos vult inducere, ut cooperentur suae passioni. Haec est natura passionum indomitarum, semper ad pejora proserpunt. Haec tibi sit ratio, ut ad eas opprimendas animeris. Vide ergo, quae sit in corde, et tempestive cultrum admove.

3. *Ut et ego veniens adorem eum* (Ib.). — Mendacium est; dic clare: ut occidam eum. Hucusque enim progressa est passio, ut ad stabiliendum regnum, velit Christum peremptum. Indignare, detestare. Velis et tu ad stabiliendum tibi coeleste regnum peremptum amorem proprium et pravos affectus. Nam minus hi cum illo regno stare possunt, quam vivus Christus cum terrestri, aut Herode vivo.

DIE XII JANUARII

Med. 47. — Magi discedunt Jerosolymis et veniunt in Bethlehem.

1. *Qui, cum audissent regem, abierunt* (Matth. 2). — Considera, qua sollicitudine Christum quaerunt. Id solum agunt in urbe, quod ad hoc servit; quaerunt, ubi nascatur; intelligunt. Hoc habito statim prosequuntur iter, nec patiuntur, se curiositatibus rerum detineri. At ut in suscepto virtutis itinere, quot diverticula ad creaturas quaeris? Quam lente progrederis? Non serio vult, qui lente vult.

2. *Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos* (Ibid.). — Amissam stellam tolerarunt cum patientia et spe, non desistunt tamen ab itinere. Idem consolatur eos Deus remissa stella. Vide, quam bonus est Deus in eos, qui tempore desolationis nihil remittunt de virtutis progressu! Ne ergo animo concide, si absit consolatio; fer patienter, et spera. Aderit rursum Deus: huic te committe.

3. *Usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer* (Ib.). — Quo deduxit tandem haec stella? Ad Deum quidem, quem quaerebant; sed tamen etiam ad vile stabulum. Vide quo stellae, seu cognitiones tuae te ducant. Si ad vanitatem, existimationem, etc., ignes fatui sunt; si ad vilitatem et contemptum tui, stellae Dei sunt. Has sequere, et Deum tibi monstrabunt.

—

DOM. I POST EPIPHANIAM

Med. 48. — De adoratione Magorum.

1. *Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria matre ejus* (Matth. 2). — Considera: hos principes non horruisse sordes stabuli, non despexisse paupertatem aut infirmitatem infantis, sed interne illustratos agnovisse hunc puerum esse Deum. Lauda Deum, gratulare Magis. Neque tu horre paupertatem aut contemptum. Postquam enim Deus pro te vilis factus est, non invenies eum per gloriam et existimationem. Reflecte, dole, desidera, pete.

2. *Et procidentes adoraverunt eum* (Ib.). — Prociderunt primum, non tantum corpore in terram in reverentiae signum, sed etiam animo in suum nihilum, agnoscendo se undequaque ab hoc Deo pendere. Deinde adorarunt perfecto cultu latriae, quia Deum cognoverunt. Ecce quam sui aestimationem excitat Deus cognitus! Quam reverentiam, quam animorum subjectionem, quem sui contemptum! Excelleres his, si Deum bene nosses.

3. *Et procidentes adoraverunt.* — Considera qui fuerint eorum affectus. 1. Eos gratias egisse, quod venerit in mundum ad redimendos homines. 2. Quod per stellam eos ad se deduxerit. 3. Obtulisse se ad perpetua ejus obsequia servos infimos. Excita in te eosdem affectus et offer te ad quaevis ardua.

FER. II HEBD. I POST EPIPH.

Med. 49. — De oblatione munerum.

1. *Apertis thesauris... obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham* (Matth. 2). — Fidem testantur opere, nec comparent vacui ante regem: donant illi quidquid habent pretiosum. Nec dubium est obtulisse etiam, quod iisdem muneribus designatur; cum auro charitatem; cum thure devotionem; cum myrrha mortificationem. Credis Deum? Operibus proba. Offer eidem tria haec mystica dona, sed oblata semel non amplius recipe.

2. *Obtulerunt ei munera.* — Considera quam grata fuerint haec munera Christo Domino; non quia pretiosa ex materia, sed quia conjuncta erant: 1. cum viva fide, 2. pietate, 3. humilitate et subjectione, 4. amore. Deus enim solum aestimat ex quanto affectu, non quantum dones. Cum igitur offers munus tuum Deo, affectum procura.

3. *Obtulerunt ei munera.* — Considera quid Deus, qui se liberalitate nostra vinci non patitur, his donis rependerit. Etsi nihil constet, considerare tamen licet, retulisse auro augmentum sapientiae et charitatis: thure, orationis ac devotionis; myrrha incorruptionem seu gratiam, qua praeservati fuerint a peccatis. Nihil frustra Deo dabis; quo plus dederis, plus accipies: dabis vilia, accipies pretiosa.

FER. III HEBD. I POST EPIPH.

Med. 50. — De reditu Magorum in regionem suam.

1. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem* (Matth. 2). — Perplexi haerebant, an

eadem, an alia via redirent. Recurrisse ad Deum crediderim, et orasse lumen. Deus mittit Angelum, qui doceat. Agnosce et lauda Dei providentiam quae suos regit. Committe te illi, maxime in dubiis et adversis, certus quod aderit.

2. *Responso accepto, ne redirent ad Herodem* (Ib.). — Prompti sunt, etsi via suggeratur forte longior, molestior, ignota: nec pensi habent promisisse reditum Herodi, dum Deus aliud jubet. Disce posthabendum respectum et motiva humana, cum quid Deus vel superior jubet: eundum via, qua te superiores et regulae ducunt. Reflecte in priora, ordina futura.

3. *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam* (Ibid.). — Priore via amiserunt stellam, inciderunt in Herodem, inciderunt in periculum, promissione reditus data. Quid fieret, si redirent? Faciant te propria pericula cautum. Noli eo redire, ubi expertus es, te deliquisse; vitata occasione, vitabis periculum. Quam saepe id es expertus!

FER. IV HEBD. I POST EPIPH.

Med. 51. — Ex infantia Christi disce mundi contemptum.

1. *Nolite diligere mundum* (1 Joan. 2). — Ita te Jesus exemplo suo alloquitur. Nascitur secreto, in nocte, sine pompa, sine hominum accursu, ignotus omnibus; et natus non se regibus mundi, sed despectis solum pastoribus promulgat. Non est hoc velle latere? Quid ergo tu quaeris lucem? Disce sancte latere et solitudinem amare, te plebi potius communicare, quam inclytis.

2. *Nolite diligere mundum.* — Considera Christum a nemine ex vicina Bethlehem, a nemine ex

Jerusalem visitatum. Non ignorabant hi natum, qui Magos ipsos docuerant, ubi nasceretur. Mansit ergo totis 40 diebus in stabulo despectus a suis, qui poterat sui honorem omnibus imperare. Non est hoc contemnere mundum? Et tu voles tibi applaudi? Te aestimari? Uter errat? Tu, an Filius Dei?

3. *Nolite diligere mundum.* — Considera accepisse quidem Christum a Magis aurum; poterat meliorem sibi commoditatem curare, unde magis ab hominibus aestimaretur, qui transeuntes eum videbant et contemnebant. Non est hoc mundum despicere, cum ejus plausum habere possis, nolle? At quam tu sollicitus es, ut vel lucreris aestimationem, vel non perdas! Elige contemptum ad majorem Christi imitationem.

FER. V HEBD. I POST EPIPH.

Med. 52. — Disce ex infantia Christi humilitatem.

1. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11). — Ita ad te clamat Jesus ex stabulo, ex praesepi, ex pannis. Humilitas est descensus ad vilitatem. Ad quantam descendit Deus, qui est infinitae dignitatis! Factus homo, servus, similis peccatoribus. Admirare, gratias age, ama. Et tu audebis superbire? Ex necessitate tibi convenit humiliari, quia reipsa vilis es. Expende vilitatem tuam, et deprime cor tuum.

2. Considera quomodo Christus in stabulo occultat majestatem Dei et perfectiones; sapientiam, potentiam, gloriam, divitias, etc. Adora tu illas. Mirare, lauda, gratias age humiliato Deo. Disce tua non jactare et gratias occultare.

3. Considera Christum omnia viliora elegisse: pro matre pauperem et despectam puellam, pro nutricio fabrum, pro habitatione stabulum, pro cunis praesepe, pro lecto foenum, etc. An tu meliora affectabis? An deberi tibi judicabis? Confundere, vilis homo, dum pro te Deus factus est vilis.

FER. VI HEBD. I POST EPIPH.

Med. 53. — Disce ex infantia Christi paupertatem.

1. *Propter vos egenus factus est* (2 Cor. 8). — Quis? Dominus universorum, in cujus domo sunt gloria et divitiae, qui omnibus dat abundante, pro se nihil habet superfluum. Inspice pauperem casam: obstupesce: aestima paupertatem, quam tanti fecit Deus, ut cum eam non reperiret in coelo, in terris quaesiverit. Sed rescinde etiam superflua a te, ut Jesum propius imiteris.

2. *Propter vos egenus factus est.* — Non tantum caret superfluis, sed vix necessaria habet; panni vilissimi et paucissimi; cunae, praesepe, lectus, foenum; et, ut se calefaciat, halitus animalium. Obstupesce pauperem Deum. Confundere, qui vis pauper esse, sed defectum non pati qui si forte occurrat, inquietaris, murmuras. Disce cum paupere Jesu etiam necessariorum defectum tolerare.

3. *Propter vos egenus factus est.* — Non tantum necessariis caruit, sed ea quae etiam habuit, vilissima fuerunt et incommoda; stabulum frigori pervium, panni viles, praesepe durum, foenum asperum. Aestima, et dic cum Bernardo: *Quanto pro me vilior, tanto mihi carior.* Nonne haec te confundunt, qui licet mundum deserueris, adhuc

amas, et quaeris tuas commoditates. Siccine imitaberis Jesum?

SABB. HEBD. I POST EPIPH.

Med. 54. — Disce ex infantia Christi obedientiam.

1. *Humiliavit semetipsum factus obediens* (Philip. 2). — Primus ejus nascentis actus fuit obedientia. Natus enim est dum in ejus exercitio esset, ut ex Nazareth in Bethlehem ascenderet. Et quis? Cui obedivit? Imperatori terreno rex regum, homini Deus, peccatori, qui tollit peccata mundi. Vides quanti Christus fecerit obedientiam! Nec in contrarium motus est iniquitate mandantis, nec difficultate itineris: quia sic sciebat Patrem glorificari. Disce aestimare, amare obedientiam, non spectare personam jubentis, sed Deum per illam jubentem. Omnis enim potestas a Deo est.

2. *Humiliavit semetipsum factus obediens.* — Considera quam ab arduis coeperit obedientiam exercere: ab humilitate, paupertate extrema, adversis et incommoditatibus, etc. Sciebat optimam esse voluntatem, quae divinae consentit per omnia. Disce in superiore Deum agnoscere, et plenum tuae voluntatis holocaustum ad quaecumque ardua offerre.

3. *Humiliavit semetipsum factus obediens*, per omnia Matri seu in sinum accipiat, seu in foenum reponat, et patitur se verti, reverti ad libitum Matris. Admirare Christi obedientiam, gratulare Matris felicitati. Redde etiam tam felices tuos superiores, et sine te ab iis ab libitum moveri. Magnum hoc est superiorum solatium: magna pars imitationis Jesu.

DOM. II POST EPIPHANIAM

Med. 55 — Disce ex infante Jesu patientiam.

1. Considera potuisse Christum nasci impassibilem, amoliri a se omnem asperitatem et dolorem: noluisse tamen, quia voluit pati in ipsa etiam tenerrima aetate, licet potuisset id differre ad robustiorem aetatem. Quid ergo tu te tantopere amas, ut omnem poenam fugias? Vita praeterita non te obligat, ut mortificationes assumas? Scis esse gratum Christo: quid differs?

2. Considera ipsa incommoda, quae patitur: frigus, foetorem, egestatem, vulnus circumcisionis; tristitiam in anima ex consideratione tot peccatorum, et frustratae suae passionis. Et haec quo affectu? Quid ego ago infirmus, si medicus pro me patitur? Fugiamne pati pro Deo, qui quaerit pati pro me?

3. Considera quam innocens, et immeritus patitur. Innocenter pati, patientia est sanctorum; reorum pro culpa. Tu neutram habes. Confundere. Si, quod patiaris, occurrat, millies te meritum cogita. Si pateris innocens, habes occasionem exhibendi amoris, qui per dura probatur: habes occasionem, ut similis fias Jesu Christo. Non est discipulus supra magistrum.

FER. II HEBD. II POST EPIPH.

Med. 56. — Disce ex infante Jesu amorem Dei et proximi.

1. Amor probatur operibus, quibus bonum amati quaeritur citra proprium commodum. Considera ergo, quae Christus opera edat, quibus bonum Dei

quaerit, etiam cum suo gravi incommodo. Quia scivit placere Patri, toleravit omnes incommoditates. 2. Flet ex zelo honoris Dei, ob peccata hominum; quibus abolendis dat lacrymas, deinde sanguinem. 3. Invitat ad specum illam pastores et gentiles, ut notam illis faciat gloriam Dei. Si tu amas Deum, operibus proba: primum in te, deinde in aliis gloriam ejus promove. Dignus est enim cui soli debetur gloria.

2. Considera Christum etiam in nos probasse amorem, omnes illas incommoditates pro nobis offerendo. Gratias age, et ama Jesum. Disce amare proximum, eique benefacere, non ob commodum tuum, sed ob ejus salutem. Purifica omnem amorem erga homines, ut hoc solum illis velis. Quia hoc est esse adjutorem Christi in redemptione hominum.

3. Considera Christum suum in nos amorem probasse, quod omnia mala nostra corporis et animae in se susceperit, dolores, tristitias, taedia, poenas, quas merebamur satisfactiones pro peccatis, quas reddere non valebamus. *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Quid debes medico, qui pro te factus est infirmus? Quid vadi, qui pro te satisfecit? Non poteris tu compati proximo tuo? Non ejus defectus sufferre?

FER. III HEBD. II POST EPIPH.

Med. 57. — Disce ab infante Jesu, quomodo te sancte ames.

1. Amare seipsum sancto, est velle sibi ipsi bonum, non falsum et apparens, sed verum et solidum seu aeternum. Quod bonum sibi voluit Jesus? Non sensuum, sed gloriae Dei. Jam in infantia

impressum illud habebat: *Non quaero gloriam meam, sed ejus qui misit me.* Oppone amorem, quo te hactenus amasti: quam inordinatus! quam sensualis est! Immo odisti te, quia indulsisti tibi ea, quae a Deo avertunt. Corrige ergo amorem tui: ut nihil tibi velis, quod non sit pro gloria Dei; alias te odisti, tibi obes.

2. Considera amorem Jesu in seipsum, fuisse desiderium voluntatis divinae in se adimplendae. Qui semper facit ea, quae Deo sunt placita, etiam in praesepi hoc egit. Nullum majus bonum tibi velle potes, quam ut voluntas illa sit regula tua. Nunquam errabis, semper Deo placebis. Quam pauci eam respiciunt, ut sequantur! Quam multi sensum ducem potius sequuntur! Si tu es inter illos, dole et emenda.

3. Considera Christum ex hoc amore sancto in seipsum acceptasse dolores, humiliationes, paupertatem, contemptum; quia relucebat in his beneplacitum Dei et salus mundi. Unde sancto sui amore impugnabat sensum, et ei vim inferebat. Sic amare te debes: generose tuos sensus et passiones expugnare, apprehendere humilia dura et aspera, quia omnino haec est voluntas Dei. Quam felix esses, si a puero hoc fecisses! Quam infelix futurus, nisi modo constanter id facias!

FER. IV HEBD. II POST EPIPH.

Med. 58. — Iter beatissimae Virginis ex Bethlehem in Jerusalem ad purificandum.

1. *Et postquam impleti sunt dies purgationis* (Luc. 2). — Considera quam sollicita fuerit de implenda purgationis lege, qua non tenebatur. Non

excusat se sua servata virginitate, prolis dignitate. Accipit exemplum Filii, qui implevit legem circumcisionis, cum nec egeret, nec teneretur. Gloriam suam reputat, si inter immundas falso judicio accenseatur? Cum sic ejus Filius sit numeratus inter peccatores. Oh admiranda obedientia et humilitas! Oh quam ego sum alius! Sum coram Deo peccator: et coram hominibus de puncto honoris luctor. Oh pudor! Disce a Jesu et Maria.

2. Considera quo sensu Beata Virgo et S. Joseph reliquerint stabulum, in quo soli cum solo Jesu inter tot asperitates, in summa paupertate deliciabantur. In defectu rerum omnium, una et abundans erat illis consolatio, esse cum Jesu. Cum Jesu nullus locus est solitudo, nulla paupertas dura, nullum incommodum molestum. At molesta sunt ista tibi? Mi bone, non es totus cum Jesu: mendicas a creaturis solatia, sed apparentia, et vera despicis. Relinquis fontem aquae vivae, et fodis tibi cisternas.

3. Considera itinerantium paupertatem, modestiam, patientiam, dum a transeuntibus contemnuntur, dum a diversoriis excluduntur. Audi pios discursus, plenos variis affectibus in Jesum. Vide alternantes obsequia puero Jesu, nunc Mariam, nunc Josephum gestantes Puerum, etc. et cum qua reverentia, etc. Utinam hi sint affectus tui, cum Jesum in Eucharistia sumptum corde geris.

FER. V HEBD. II POST EPIPH.

Med. 59. — De Causis purificationis B. Virginis.

1. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi* (Luc. 2).— Cum certum sit, beatissimam Virginem pluribus titulis exemptam fuisse ab obligatione legis purificationis, examina causas, cur tamen voluerit purificari. Prima causa est, ex Dionys. Carthus. *ut legi obediret*, in qua legislatorem reverebatur. Perfecta obedientia plus peragit, quam tenetur. Quid refert, quod non obligeris sub peccato, si regula est de re licita? Noli eo descendere, ut id tantum velis, quod non potes sine peccato non velle. Cadentium hoc est principium. Tu id cave. Adde, quod in hoc sit humilitatis exemplum.

2. Considera secundam ab eodem causam assignatam esse, *ut imitaretur Filium suum, quem vidit legi circumcisionis subjectum*, qui eadem non tenebatur. En motivum, quo tibi persuadeas regularum observantiam, tametsi illae sub peccato non obligent: quia sic magis Christum, et B. Virginem imitaris. Errare non potes ea via, qua Filius Dei praecedit. Dole quod ea non iveris: time si non eas: ama et ibis.

3. Considera tertiam causam fuisse, ut purissima Mater magis purificaretur, non quidem per recessum ab impuro, sed per accessum ad summe purum. Assimilavit enim se magis primae puritatis regulae Christo Jesu. Unde credunt Patres ejus puritatem in hoc mysterio auctam fuisse, sicut virginitatem in partu. Si te non movet ad regularum observantiam, ut magis per eas ad summe

purum accedas; moveat te, ut ab impuro recedas. Inspice te, et vide infirmitatem tuam. Accede etiam ad summe purum per desiderium proficiendi in via virtutis.

FER. VI HEBD. II POST EPIPH.

Med. 60. — De aliis causis purificationis.

1. *Postquam impleti sunt dies purgationis.* Expende aliam causam a Carthusiano traditam, *ut vitaret scandalum Judaeorum.* Peperisse sciverant: esse Matrem Dei ignorabant. Ne scandalo sit Mater Dei, abstinet privilegio. Disce hinc esse quandoque aliqua praestanda, ad quae non obligaris, ne aliis sis scandalo: aliqua pariter omittenda, quae licite ageres. Hoc charitas poscit.

2. Considera aliam causam ab eodem traditam, *ut conformaret se aliis mulieribus in licitis et honestis.* Non singulari ergo via incedit Virgo, sed communi. Non utere, multo minus pete exemptiones et singularitates. Via communis secura est magis, quia magis probata, et regulis a Deo dictatis firmata. Hac sancti praeivere: hanc constanter tene.

3. Considera aliam causam a Petro Blesensi traditam, *ut debitis supererogaret indebita.* Non tenebatur. Ergone non agendum, ad quod non teneris? Plura amat Deus, quam imperet. Gratiora sunt obsequia, quae citra debitum exhibentur, quam quae cum debito praestantur. Avarus nimium es, si Deo nihil ultra praecepti debitum impendas. Vellesne, ut Deus nihil tibi impenderet, quod non tenetur? Quam miser, quam egenus esses!

Med. 61. — Quas praecipue virtutes B. Virgo in sua purificatione exhibuerit.

1. Insinuavi supra obedientiam, et amorem puritatis. Nunc accipe *humilitatem*. Videbat se aestimandam caeteris mulieribus parem. Non curat, ut videatur pura, sed ut sit: non prodit se Matrem Dei, cum sit. O quantum abes! Nonne videri magis curas, quam esse bonus religiosus? etc. Videri, alienum et extraneum est; esse, intrinsecum est, et solum prodest. Cura ergo magis esse, quod vis videri: nec videri velis, sed esse.

2. Considera exhibitum tibi paupertatis exemplum a B. Virgine. Poterat ea ditiorum more agnum offerre, si aurum a Magis oblatum huc impendisset: elegit pauperum sacrificium, quia vidit Jesum pro nobis pauperem factum. Non eligis tu tibi honoratiora? Non procuras? Non gaudes melioribus? At hocne est pauperem Jesum imitari? Non dubito tanto gratius Deo fuisse sacrificium columbarum, quanto erat vilius. Quid tu reddes Deo tuo?

3. Considera devotionem, qua Filium suum et munus sacerdoti praesentavit: qua hanc oblationem comitata sit intentionis puritate. Qua charitate, etc. Confer tuam cum illius devotione. Vide, quantum tibi desit: penetra ejus necessitatem in tua vocatione. Digere tibi tempora et actiones, quibus te magis cum Deo conjungas.

—

DOM. III POST EPIPHANIAM

Med. 62. — Quare Christus offerri voluerit.

1. *Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino* (Luc. 2). — Considera auctorem legis voluisse implere opere, quod verbo jussit. Legislator aut doctor nullo magis legem suam aut doctrinam firmat, quam opere. Multa de virtute, de Deo aliis dicis: sed facisne etiam? Non laudatur a Christo qui solum docuerit aut praeceperit, sed *qui fecerit et docuerit*. Vide ergo, ut verba tua firmes operibus. Virtus enim consistit non in dictis, sed in factis.

2. Considera eum, qui venerat magister humilitatis nullam ejus exhibendae occasionem praeteriisse. Aestimabatur purus homo, ut caeteri, eadem lege peccati obstrictus: quid tum? Dei Filius magis attendit, quae grata sunt Patri, quam quae sibi honorifica. At tu forte contrarium attendis. Forte etiam, quae Deo debes, ad tuum honorem torques. Quo plus tu ipse honori tuo studes, minus eum Deus procurabit, minus concedet: quia *gloriam suam alteri non dabit*.

3. Considera Christum voluisse duplici titulo nostrum esse, ideo quia datus a Patre fuerat, voluit in praesentatione emi, ut ait S. Thomas de Villanova. Vide quomodo titulos quaerit et cumulat, quibus tuus sit. Idem tu praesta in illum. Quot tibi suppetunt! Quot tu perdis ac negligis! Esto posthac sollicitus, magis ut sis Dei, quam fueris hactenus. Titulos suggerit omnis hora, omnis creatura. Quo tu magis Dei fueris, Deus erit magis tuus.

FER. II HEBD. III POST EPIPH.

Med. 63. — Mater Filium, Filius seipsum Patri offert.

1. Considera, qui fuerint affectus Virginis in Deum, cui hanc hostiam offerebat; fidei, adorationis, gratiarum actionis pro omnibus donis sibi impensis, charitatis, sui ipsius resignationis: quae deinde in nos charitas, quia eum offerebat divinae justitiae pro nostra salute. Gratias age Virgini. Disce hanc quoque hostiam iisdem affectibus pro peccatis tuis offerre. Cum hac offer teipsum, quidquid es, quidquid potes: alias acceptus non eris. Nihil enim gratum est Deo, nisi quod cum Christo aut ejus meritis offertur.

2. Considera quomodo se Christus ipse aeterno Patri obtulerit ad promovendam ejus gloriam et salutem generis humani. Id vero cum quanto, quam puro affectu, sine omni suo commodo! Accende in te zelum gloriae Dei et salutis proximorum. Offer te et Deo, et ejus vicariis superioribus, ad quaevis ardua. Detestare priorem teporem. Pete gratiam, etc. Cogita Christum tunc etiam ad te respexisse. Quid ei debes! Reddere potes imitationem, alias nihil.

3. Considera quam grata fuerit haec oblatio Deo quia offerebat Mater, offerebat seipsum Filius; offerebatur Filius pretium totius mundi dilectissimus Patri, offerebatur in finem gloriae Dei, et pretium redemptionis nostrae. Gratulare Patri, Matri, mundo, quod una tandem inventa sit oblatio, quae Deo placeat. Agnosce et in tui pretium oblatum. Expende quanti te fecerit Deus: quantum te amaverit. Et quid reddes, nisi amorem? Hunc etiam bruta amanti reddunt.

FERIA III HEBD. III POST EPIPH.

Med. 64. — De occursu Simeonis senis, et ejus elogio.

1. *Et homo iste justus, et timoratus* (Luc. 2). — Pulcrum sancti senis elogium. Optima ad recipiendum in ulnas, vel in animam Christum dispositio est, justitia seu vitae sanctitas et timor. Justitia Christum nobis unit, timor unitum conservat; cum non solum *expellit peccatum*, sed minimos etiam naevos arcet. Nam, *qui timet Dominum, nihil negligit.* Disce ad conservandam animae puritatem, minimos defectus curare, ne per hos viam majoribus aperias et paulatim decidas. Perfectio virtutis in minimis elucet. Tunc hoc agis?

2. *Expectans consolationem Israël* (Ibid.). — Sciebat promissum Salvatorem; sed videbat tot elabi saecula, tot patriarchas ac prophetas, qui eum sperabant, interim emortuos: ipse tamen constanter exspectabat. Quam magna haec in Deum fiducia! Quam constans expectatio! Quam tu expectas consolationem! Absit ut vanam vel caducam a creaturis. Ergo sanctam in solo Deo? Sed nondum experiris? Nondum tibi assecutus videris? Expecta Dominum grandi fiducia, et constanter. Aderit certo reipsa, si cum spe praeoccupaveris.

3. *Et responsum acceperat a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini* (Ibid.). — En quid promeritus sit justitia sua, timore et expectatione! Nempe certitudinem videndi Christum. Forte nec ausus fuit de hoc interrogare, sive ex humilitate, sive ex certa fiducia, et tamen responsum accepit. Habes

aliquid similis felicitatis. Quot mandata, quot regulas, tot habes a Spiritu Sancto responsa non visurum te mortem, si ea observes cum justitia, timore et fiducia. Sic enim dictum est: *Hoc fac, et vives.* Tuum est, ut hanc tibi promissionem certam reddas.

FERIA IV HEBD. III POST EPIPH.

Med. 65. — Simeon accipit Christum in ulnas suas.

1. *Et venit in Spiritu in templum* (Luc. 2). — Considera S. Simeonem motum ab eodem Spiritu, a quo promissionem acceperat festinasse spiritu fervido ac sitibundo in templum ipsa hora, qua Christus inferebatur. Hanc opportunitatem si distulisset, non vidisset Christum Domini. Quantum est opportunitatem et gratiam oblatam arripere! Noli differre, cum gratiam habes; forte haec ultima est, in aeternum non reditura. Hoc ipsum te moveat quod hactenus plures neglexeris, cujus merito cum dolore recordaris.

2. *Et ipse accepit eum in ulnas suas* (Ibid.). — Promissum solum erat, quod videret Christum: at insuper eum in ulnas accepit. Plus dat Deus, quam promittat. Tu contra plura spondes et proponis, quam praestes. Noli esse tam parcus in eum, qui in te est tam liberalis. Accepit eum inter brachia: per quae, ut ait Hugo, nostrae operationes significantur. Ad Deum quidem pervenitur desideriis, sed non tenetur, nisi operibus. Erras ergo, si proposita statuisse contentus, ad opera non progrediaris.

3. *Et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, etc.* (Ibid.). — Considera

qui fuerit gerentis affectus fidei, spei, charitatis, gratulationis, tam sibi, quam toto mundo, resignationis, ac potissimum moriendi desiderii: quo significat, se nullius creaturae amore in vita hactenus detentum, sed sola spe videndi Jesum. Felix anima, quae in nullas creaturas amorem spargit, sed totum in Deum colligit! Hoc postulat finis tuus, ad quem creatus es. Abstrahe ergo a creaturis affectum. Tantum accedis ad Deum, quantum ab illis recedis.

FER. V HEBD. III POST EPIPH.

Med. 66. — Sanctus Simeon prophetat de Christo.

1. *Ecce positus est hic in ruinam* (Luc. 2). — Salvator in ruinam? Sed eorum, qui cognoscent quidem Deum, sed non secundum cognitionem honorabunt; qui abutentur gratiis, et per suam malitiam vocationi non obsequentur. Time, ne et tibi sit in ruinam, si gratiis ejus non utaris. Dole tam frequentem earum abusum. Ora tibi efficaces dari. Statue cooperari. Sit potius in ruinam tuarum passionum suo exemplo et auxilio.

2. *Et in resurrectione multorum* (Ibid.).—Immo omnium, si velint. Nemo a gratia resurgendi per Deum excluditur. Quae bonitas ista Dei! Offensus gratiam offert; laesus laedentis amicitiam querit. *Non vult mortem peccatoris*, sed ut convertatur et vivat. Nec hoc bono aut commodo suo, sed tuo. Impensius ergo Deus tua vult bona, quam tu ipse tua. Quod si resurgas ejus ope, quoties iterum tua malitia cadis? O pudor! Ita demum resurge, ut cadas nunquam; et pondus passionum opprime ne te in lapsum trahant.

3. *Et in signum, cui contradicetur* (Ibid.). — Eventus vitae Christi dedit prophetiae veritatem. Perpetuam enim *sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem:* quaesitus ab Herode ad necem, a Judaeis parati in eum lapides, damnata aut spreta ejus doctrina, ipse tanquam scopus omnium opprobriorum, calumniarum et cruciatuum positus. Sed quoties et tu vitae ejus et doctrinae contradixisti! Sit tibi posthac signum Jesus, non cui contradicas, sed cui te conformes, ad quod tua desideria, tuas actiones conjicias.

FER. VI HEBD. III POST EPIPH.

Med. 67. — De iis quae Simeon B. Virgini prophetavit.

1. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Luc. 2). — Vide quomodo jucundis acerba permiscet Deus. Audiverat ex Simeone B. Virgo laudes ac benedictiones Filii sui. Quae hinc gaudia? Jam de gladio audit, qui sibi non corpus, sed ipsam animam sit penetraturus. Ut Mater enim et Filii amantissima non poterit non gravissime sentire injurias Filii. Nam amati injuria est amantis tormentum. Vis signum an Jesum ames? Explora, quomodo ejus injurias feras, tam a te, quam ab alis illatas. Doles, detestaris, impedis, et hoc quidem ardenti zelo? Confide, quod ames, et exardesce in omnem Dei injuriam.

2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Ibid.). — Considera causam, ob quam voluerit Deus B. Virgini hunc doloris gladium jam in infantia Christi per prophetiam imprimere. Forte voluit eam Christo magis conformem: ut, sicut ille ab infantia semper habuit sibi praesentem pas-

sionem suam, ita et illa sempre ejusdem memoria torqueretur. Vide quo evadas per assiduam crucem et mortificationem: ad similitudinem Christi? Crescit enim virtus, cum adversis probatur: per majorem virtutem Christo es similior. Amas hanc similitudinem? Ama crucem: ad hanc te magno animo resolve, hanc amplectere.

3. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* — Considera prophetiam hanc, eo ipso quidem momento, maxime autem tempore passionis Christi impletam. Percurre tormenta Christi, vide praesentem cruci Virginem. Cogita quis dolor Matris ob tam graves in tantum Filium injurias fuerit. Sed et tu hunc gladium Matri infixisti qui Filio tot injurias, et tam graves irrogasti. Dole et time gladium irae Dei.

SABB. HEBD. III POST EPIPH.

Med. 68. — De Annae prophetissae occursu.

1. *Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte* (Luc. 2). — Considera perseverantiam hujus sanctae matronae in dictis exercitiis, a quibus non remittebat. Non meretur virtutis nomen, quam non comitatur perseverantia. Apud Deum haec sola coronatur. Quomodo tu ad coronam pertinges! Quam multa proponis! Quam pauca exequeris! Minima difficultate frangeris, etc. Perrumpe tandem, reddetur suave, quod credebas laboriosum.

2. *Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus, etc.* (Ibid.). — Considera deinde ipsas hujus viduae virtutes, virginalem et vidualem ejus castitatem, exactam legis divinae observantiam,

frequentem cum Deo communicationem, rigidam abstinentiam. Atque his merita est Jesum verum Deum agnoscere: hae enim sunt, quibus se Deus communicat penitus agnoscendum. Vis, ut Deus se tibi exhibeat? Habe cor mundum: observa mandata et regula: saepe cum Deo colloquere: retrahe te a sensuum delectamentis.

3. *Et hac ipsa hora superveniens* (Ibid.). — Considera istam Annae felicitatem ad hanc horam esse a Deo dispositam, ita tamen, ut et ipsa hac eadem hora occurrat, caeteroquin eo solatio non potitura. Ita Deus gratias suas certo tempori et occasioni alligat, quas, nisi ea hora arripias, forte numquam obtinebis. Vide ergo ne hac hora oblatam gratiam praetereas. Perduntur saepe multae dum una negligitur. Nam Deus eas veluti per catenam ducit, ut, si uni coopereris, plures promerearis. Si scires ab una hac pendere tuam salutem, quid ageres? Et forte pendet. Ne ergo sis segnis et incurius.

DOMINICA IV POST EPIPH.

Medit. 69. — De affectibus et sermone Annae prophetissae.

1. *Et haec, ipsa hora superveniens* (Luc. 2). — Considera qui fuerint interni affectus Annae agnoscentis sub velo carnis verum Deum; quae fides, spes, amor, gaudium, gratulatio, sui resignatio, etc. Suntne iidem tui in Deum velo accidentium panis tectum? Si credis, cur non major est in eum reverentia? Si speras, cur affligeris ad-

versis? Si amas, cur amorem dividis in creaturas? Si gaudes, cur solatia ex coeno mendicas? Si gratularis tibi tanto bono, cur alia extra Deum aestimas? Si te resignas, cur toties te iterum recipis? etc.

2. *Confitebatur Domino* (Ibid.); hoc est benedicebat et glorificabat Dominum. Vehementes enim affectus erumpebant in verba. Sed quae fuerint, non exprimitur. Credi tamen potest, laudasse Dei bonitatem ac misericordiam, quam fecit cum servis suis: admiratam fuisse ejus humilitatem et exinanitionem. Unde fit, quod tu sis tam sterilis in laudes Dei? Quia nimirum tepide aut parum afficeris. Amanti enim de amato non desunt verba. Quod loqueris, prodit quid ames. Examina teipsum et verba, sermonesque tuos, et deprehendes ubi sit animus, unde evocandus.

3. *Et loquebatur de illo omnibus* (Ibid.). — Et quid loquebatur? Sine dubio hunc esse tam diu expectatum Messiam: huic soli impendendos amores, etc. Nonne hoc professio et vocatio tua exigit? Ut ad cognitionem, amoremque Jesu erudias et inflammes omnes, qui ejus sanguine redempti sunt, nulli quamvis misero et egeno te subtrahas? Cur ergo vel omnino subterfugis, vel rejicis viliores? Numquid ideo vilis est anima, quia vili lacerna tegitur? An pro comptis solum mortuus est Dei Filius? Vero zelo nulla anima est vilis. Accende igitur hunc in te zelum animarum.

FER. II HEBD. IV POST EPIPH.

Med. 70. — Christus secundum legem redimitur quinque siclis.

1. *Ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo* (Luc. 2). — Etsi nulla fiat ab evangelista mentio, quod Mater Christum consueto pretio a sacerdote emerit: certum est tamen eam omnem apicem legis implevisse, ac proinde etiam quinque siclos pro eo deposuisse. Considera ergo: Quis eum emat? Nempe B. Virgo, non ut sibi servet, sed ut eum nobis nutriat, seseque postea nobis totum impendat. Debes ergo gratias Virgini tantum de tuo bono sollicitae. Et quibus affectibus tibi redditum excipies?

2. Considera a quo eum emat? Ab aeterno Patre, cui oblatus erat. Donaverat eum nobis per incarnationem: redonat, aut vendit illum iterum nobis, novos quaerens titulos, quibus suum Filium totum faciat nostrum. Adeo nostrae salutis satagit, ut quamvis oblatum sibi, Redemptorem iterum nobis reponat. Utinam sic ego cum Deo agerem! Offero toties cor meum, voluntatem et caeteras facultates: sed quod donavi momento recipio. Nunc accipe, Deus, cor meum, voluntatem, corpus et animum irrevocabili dono, et tu de iis ad libitum dispone.

3. Considera quo pretio ematur, nempe secundum legem quinque siclis. Vide, quam parvo emitur Deus. Quamvis sit infinitum bonum, noluit a te exigere infinitum pretium, tuae consulens egestati; noluit ingens aliquod, ne ejus emendi excusationem praetenderes: noluit nullum, ut ri-

gidiore titulo tuum faceres. Inexcusabilis ergo es, o homo, si tantum bonum tam parvo, tam obvio pretio non emas. Et tamen quoties in vanitates, et sensuum oblectamenta plus pretii, plus, inquam, laboris effundis?

FER. III HEBD. IV POST EPIPH.

Med. 71. — Herodes iratus.

1. *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis* (Matth. 2). — Considera illud, *videns*. Promiserant quidem Magi se redituros. Sed intervenit dispositio Dei jubentis per Angelum eos alia via redire. Hoc ignorabat Herodes; et tamen tam certum habet, ac si videret Magis fuisse animum illudendi. Vide quam turpiter erret suspicio! Audet scrutari intentionem, et tamquam certissima habet somnia quae sibi fingit. Non videt, sed caece graditur: ideo errat, et animum turbat. Detestare hoc malum, et potius caecus sis in aliorum factis, quam ut suspicioso oculo videas.

2. *Videns quoniam illusus esset.* — Illusor ipse Herodes erat. Magis per simulationem imposuerat. Qualis ipse fuit, tales illos judicavit. Poterat non reditum illorum in melius interpretari, et minus turbatus fuisset. Disce tu hoc agere, ne fortassis optima in venenum vertas. Nonne tibi id fieri velles? Fac ergo aliis. Magna tibi inde quies erit; quia sinistra judicia pluri morum turbant animum. Reflecte, dole, propone.

3. *Iratus est valde* (Ib.). — Considera Herodem in ira coepisse consilium occidendi Christum. Quam crudele! Quam enorme! Ira nihil sanum suadet. Non potest bonum esse consilium, quod dictat pas-

sio. Quoties, quae in passione decrevisti, tibi redditus damnasti! Disce ergo tuas passiones opprimere, ne te ad poenitenda consilia deducant. Vide an et quae tibi dominetur: statue, quibus modis domes.

FER. IV HEBD. IV POST EPIPH.

Med. 72. — Decretum Dei de subtrahendo Christo Herodis irae.

1. Considera quam sint longe alia consilia Dei, alia hominum. Periclitatur de vita Christus. Poterat Deus vel Herodem perimere, vel iram exstinguere, vel Filium invisibilem reddere. Decernit, ut fugiat. Quale hoc medium? Quam dignitati Filii Dei contrarium? Quot incommodis objectum? Ita Deus cum iis agit, quos amat; aspera illis et difficilia decernit. Esne tu dignior Filio Dei? Si dura a te Deus experimenta exigit, quid lamentaris? Agnosce haec esse ejus in te amoris argumenta, et mitius feres, et gaudebis, et gratias ages.

2. Considera voluisse Deum, ut haec fuga fieret, non ad Magos, apud quos Christus fuisset in honore et veneratione, sed in Aegyptum, ad gentem barbaram, et Judaeis infensam, procul ab amicis et notis. Ita Filio suo toto infantiae tempore, nec ab amicis solatium, nec a notis honorem aut commoditatem admisit. Et quid tu quaeris agnosci, aestimari, honorari, commoditatibus instrui? Si te servum Christi agnosceres, rejiceres ista, et gauderes potius latere, contemni, affligi. Aude hoc a te exigere, ut Christo propior accedas.

3. Considera quod ait Imperf. (hom. 2). *Recor-*

datum esse Dominum, qui non irascitur in finem, quanta mala fecerit super Aegyptum, ideo mittit Filium suum in eam, et dat illi magnae reconciliationis signum. Quam bonus Deus! Quibus ex justitia sustulit primogenitos, ex misericordia suum primogenitum committit. Discat peccator, dum a Deo plectitur, non desperare in finem. Immo ipsum plectere, est quoddam bonitatis documentum. Castigat enim omnem filium, quem diligit; tu poenam omnem humilis excipe et bonitati ejus consigna.

FER. V HEBD. IV POST EPIPH.

Med. 73. — Joseph, monetur ab Angelo, ut fugiat in Aegyptum.

1. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum* (Matth. 2). — Considera praecepti circumstantias. 1. Monet Angelus Dei nomine, tamquam per superiorem. 2. Non Virginem, etsi excellentiorem, sed Josephum, tamquam caput familiae. Per superiores enim regit, quibus, ne errent subditi, assistit. 3. In somno monet. Rumpenda est quies ubi Deus vocat. 4. Accipere jubet Puerum et Matrem. De caetera supellectile nulla cura. Omnis supellex tua sit Jesus et Maria. 5. In Aegyptum abeundum, in terram hostilem, ut tutus sit Jesus. Designari tibi locum patere, non elige. Si periculosus tibi videatur, Deus proteget, qui designavit.

2. *Et esto ibi, usque dum dicam tibi* (Ib.). — Morae tempus non determinat. Occupationis, loci, officii, afflictionis tempus Deo remitte. Ipsi cura

est de te; mutabit, cum expediet. Quantum tu ipse de te disponis, aut ad votum disponi procuras, tantum te subtrahis divinae gubernationi. Quantum inde turbationis, si non obtineas! Si obtineas, quam parum meriti, quam parum solatii, quam multum periculi!

3. *Qui consurgens accepit Puerum et Matrem ejus nocte* (Ib.). — En obedientiae perfectionem. 1. Cum judicii subjectione, etsi multa occurrere potuissent, quae obtenderet. 2. Cum voluntatis promptitudine, in re tam ardua et difficili. 3. Cum executionis celeritate, ipsa nocte, abrupto somno, relictis omnibus, quae habebat. 4. Cum hilaritate, quod sciret hanc esse Dei voluntatem. Expende tuam ad hos numeros obedientiam.

FERIA VI HEBD. IV POST EPIPH.

Med. 74. — De ipso itinere fugiendum in Aegyptum.

1. *Et secessit in Aegyptum* (Matth. 2). — Considera qui fuerint animorum sensus Josepho et Mariae. Experiebantur molestias itineris, injurias aëris, duritiem hominum, penuriam cibi, etc. Sed in his omnibus una hac cogitatione recreabantur: omnia haec agimus et patimur pro Jesu salvando. Hinc quae solatia? Quae dulcedo? Omne enim amarum hac cogitatione dulcorabatur. Hoc tu principio nitere in adversis: pro Deo patior.

2. Considera quis animi sensus Infantis fuerit, qui sciebat se ad necem quaeri, qui venerat et ipsi etiam Herodi vitam dare. Putas, non vulneravit animam tanta ingratitudo? Vide ne parem doloris occasionem saepius Christo praebeas, dum tot beneficiis et gratiis non respondes. Sed po-

terat omnipotens Infans vindictam sumere de Herode, suumque honorem tueri: at noluit. Falsum ergo est principium amoris proprii: non tolerandum id, quo honor periclitatur, etc.

3. Considera, quae Christus in corpore eo itinere passus sit. Aetas erat tenera, hiems perfrigida, pluviae, nives, diversoria vilia, quandoque nulla, paupertas parentum summa, barbaries hominum, etc. At non ex necessitate haec tolerabat, sed voluntate. Et ego pati fugio, et ea quoque, quae necessitas adfert? Ego commoditatibus meis studebo?

SABB. HEBD. IV POST EPIPH.

Med. 75. — De iis, quae Jesus passus est in Aegyptum

1. Considera quae in animo passus est. Vidit se in medio nationis pravae, cultum Deo negantis, idolis tribuentis: ardebat interim zelo gloriae Dei. Hinc quod vulnus ejus animo, qui clare perspiciebat, quid sit Deus? Quae indignitas ejus offensae? Quanto affectu vitam suam ad tollenda peccata offerebat? Quam parum in me zeli est, quem non tantum aliena peccata vulnerant, sed vix propria! Accende in te zelum hunc, et attendes magis, ut opera tua non displiceant Deo.

2. Considera quae Christus in se sit passus. Defectum non superfluorum tantum, sed etiam necessariorum: contemptum ab hominibus, cum non alius haberetur, quam fabri filius. Et hoc non ex necessitate patiebatur Rex gloriae, sed ex voluntate, et cum gaudio, quod sciret sic placitum esse Deo. Condole caecitati Aegyptiorum non agnoscentium Jesum. Vide ne tua sit horum similis. Ad-

mirare et lauda Christi patientiam; sed non pigeat imitari, quod laudare delectat.

3. Considera dolorem quem habuit Jesus aliis compatiendo. Primo quidem Ss. Matri suae et Josepho, quos sui causa videbat durum illud exilium tolerare: qui dolor sine dubio fuerit ad mensuram amoris, quo in eos ferebatur. 2. Infantibus innocentibus, qui etiam sui causa crudeli carnificina laniabantur. Disce compati aliorum malis, eorum praesertim, qui innocentia sua Herodis, seu mali socii, gladio occiduntur. Quantum his depravandi studet iniquitas, tantum tu reducendi stude.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM

Med. 76. — Caedes innocentium.

1. *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem* (Matth. 2). — Considera: Sanguinariam Herodis crudelitatem. Unum vult morti datum, et omnes occidit. Quo deducit unica ambitionis passio! Immo quaevis, nisi edometur. Lapsus tuos rememora, quos una quandoque passio causavit; et tuo damno disce eam opprimere, ne te opprimat. Nec differendum est, quia tempora adolescit.

2. *A bimatu, et infra* (Ibid.).— Considera quam cautelam patrando sceleri Herodes adhibeat. Nam 1. non sua manu eos occidit, sed mittit ministros; ut si arguatur, excessum in hos retorqueat. 2. Occidit omnes, ut tanto certius is perimatur, quem volebat. 3. Non tantum in Bethlehem occidit, ubi acceperat natum Christum, sed etiam *in omnibus finibus ejus.* 4. Non solum eos qui a tempore

stellae ortae nati erant, sed etiam qui antea. Non patere, ut filii tenebrarum sint cautiores ad malum patrandum, quam tu ad declinandum. Omnem cautelam adhibe, ne qua te pars boni praetereat, ne qua parte subrepat malum.

3. Considera admiranda Dei consilia, qui ipsis hominum sceleribus utitur in bonum. Nam, ut observat S. Jo. Chrysostomus (hom. 9), forte hi pueri non erant futuri boni. Ergo beneficium fuit illis mors accelerata. Deinde crudelitas ipsa divulgata Romae, servivit ad divulgandum Messiae adventum, cultum eidem a Magis delatum. Disce malis ad bonos, tibique salutares, et Deo gloriosos fines uti. Magna hic Dei imitatio: magnum tibi lucrum.

FER. II HEBD. V POST EPIPH.

Med. 77. — Monetur Joseph de reditu ex Aegypto.

1. *Defuncto autem Herode* (Matth. 2). — Considera Herodem, qui per mortem Christi suum regnum stabilire volebat, per suam mortem eo excidisse. Justus est Deus. Dissimulat peccata ad tempus, sed tandem plectit, cum minime opinamur. Time dum peccasti, aut ne pecces, justitiam; qui, dum peccas, non amas bonitatem.

2. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto* (Ibid.). — Considera Dei providentiam, qui statim Herodis mortem Josepho nuntiat. Quam putas gavisus sit Joseph, quod sui tantam curam a Deo geri animadvertit? Quam fuerit in fiducia erga Deum firmatus. Lauda et tu divinam providentiam. Projice cogitatum tuum in Dominum: et te gubernandum committe. Erit illi cura de te: et videbis tristium etiam rerum laetos eventus.

3. *Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israël* (Ibid.). — Terra Israël ampla erat. In quem ejus locum concedat Joseph, non determinat Angelus. Forte ut Joseph, iterum recurrat ad Deum, et de loco inquirat. Gaudet enim Deus frequentiori nostra secum communicatione. Ideo non omnia simul declarat, quae a nobis vult fieri. Da ergo hoc Deo gaudium: saepius ad eum recurre. Haec via est, se cum eo magis uniendi.

FER. III HEBD. V POST EPIPH.

Medit. 78 — De reditu ex Aegypto.

1. *Qui consurgens accepit Puerum, et Matrem ejus, et venit in terram Israël* (Matth. 2). — Considera aequam omnino Josephi, et B. Virginis promptitudinem ad adeundam, ac ad deserendam Aegyptum. Nec alio titulo est reditus gratior, quam quod Deo ita placeat. Nec displiceret remanere diutius, etiam in aerumnis, si ita Deo placeret; ab hujus enim nutu cum omni indifferentia pendebant. Quae vero tua est indifferentia? Ad mandata es morosus: quod potes, recusas; quod potes, expetis: de bono et malo judicas, prout tibi sapit bene aut male: fingis te non posse, quod non vis: tamquam debitum petis, quod amas: tamquam injuriam accipis, si petenti negatur, etc.

2. *Audiens autem, quod regnaret Archelaus in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire* (Ibid.). — Considera nihil quidem fuisse, quod Joseph timere posset in Judaea; nam *mortui erant qui quaerebant animam Pueri.* Habet tamen Joseph, quod optimae conscientiae habent: etiam in securitate timent, ne perdant Jesum. Estne et

tibi hujus rei sollicitudo? Quam vero necessaria in tot periculis? Hac adempta, omnia perdidisti; immo et te ipsum. Vigila, etc.

3. *Habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth* (Ibid.). — Non elegit sibi Christus Jerosolymam caput regni et populis frequentatam; sed Nazareth locum vilem, a quo etiam per contemptum vocatus est Nazaraeus. Hoc est ingenium Christi, semper sibi humiliora eligere. Quam diversum est tuum! Ignominiam Christo facis, si alia quaeris, quam ipse. Tanto majorem facis Christum, quanto te minorem.

FER. IV HEBD. V POST EPIPH.

Med. 79. — De ascensu Christi cum parentibus in templum.

1. *Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem* (Luc. 2). — Considera piam et constantem hanc fuisse Josephi consuetudinem, orandi causa ad templum ascendere: quod quidem agebat ex lege, qua omne masculinum obstringebatur. Vide quam accurate legem adimpleat, et quidem ex constanti consuetudine sancta. Utinam ad hanc tu consuetudinem regularis observantiae pervenires. Pia consuetudo non est mera consuetudo, sed constantia. Hanc ut obtineas, quidquid agis considerate age, et ad regulam reflecte. Quantus esses, si id a principio vocationis egisses!

2. *Ibant parentes ejus.* — Considera non solum Joseph, sed et B. Virginem ascendisse in templum, et hanc quidem nullam habuisse obligationem, quia lex solis masculis data erat. Quia tamen erat opus bonum, quo obsequium praestabatur Deo, suffecit ad illam permovendam. Nimis parce cum Deo agit,

qui nihil agit, nisi ad quod tenetur. Si Deus tecum ita ageret, quam miser esses! Ergo qui tanta a Deo mere liberaliter accipis, redde aliqua supererogatoria. Fecistine hactenus? Faciesne imposterum? Quae? Quando? Quo affectu?

3. Considera etiam Christum ivisse in comitatu parentum, tum ut legi satisfaceret, tum ut aeternum Patrem veneraretur in domo sua praescripto tempore communis venerationis. Felices parentes tanti filii comitatu! Felix tu, si semper Jesum tecum habeas! Quid solatii deesse potest cum Jesu? Vide cum quanto spiritu et fervore hic puerulus properet! Excita in te similem, cum ad divina accedis.

FER. V HEBD. V POST EPIPH.

Medit. 80. — De eodem ascensu in templum.

1. *Ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem* (Luc. 2). — Considera reducem ex Aegypto Josephum timuisse ire Jerosolymam, quod ibi regnaret Archelaus. At etiamnum regnabat. Cur modo non timet? Quia nempe hic agitur de culto Deo exhibendo. Tunc enim exuendus est timor, et forti animo, quae Deo debes, praestanda. Sic Deum timenti nihil eveniet mali. Dum tu ejus obsequium curabis, praestabit ille securitatem.

2. Considera Christum anno aetatis 12 ascendisse in templum, quando scilicet communi hominum opinione se primum prodere solet judicium: ut prima statim aetate ostenderet, curas suas vergere ad obsequium Dei. Oh si hoc exemplum secutus esses a juventute, quam felix tua esset conditio! Quam securus animae status! Dole te tam sero

venisse. At saltem nunc serio et cum magna resolutione age, quod est ad obsequium Dei, et pone tepiditatem.

3. Contemplare agentium in templo modestiam, reverentiam, affectus; quas gratias reddant pro beneficiis et sibi et universo mundo collatis; quam fervidae sint preces ad impetrandas hominibus gratias congruas; quam gratae Deo sint eorum oblationes, etc. Confer tuam orantis compositionem corporis, collectionem animi, fervorem spiritus, etc. Vide, in quo deficias, et emenda.

FER. VI HEBD. V POST EPIPH.

Med. 81. — Remanet puer Jesus in templo.

1. *Consummatis diebus cum redirent* (Luc. 2).— Considera parentes Jesu non ante voluisse, quamquam potuissent, Nazareth in domum suam reverti, quam solemnitas azymorum, quae septem dies durabat, undique expleretur. Ita ad apicem servare voluerant legem. Sit hoc et tuum studium, in iis praesertim, quae divina praescribunt. Noli mutilum Deo sacrificium dare, aut tempori quidquam detrahere. Quod Deo detrahis, cui addis, nisi sensibus? Volesne hoc fecisse, cum consummati fuerint dies vitae tuae?

2. *Remansit puer Jesus in Jerusalem* (Ibid.). — Considera affectum, quo Christus ad divina ferebatur: qui quantum de se erat, voluisset semper remanere in domo Patris sui, et ob hunc finem, etiam Matrem, quamquam sibi dilectissimam, deserere. Dei enim obsequia omnibus sunt praeferenda. Ex quo discam aestimare divina, quae regulis praescripta sunt; affectum ad ea excitare; ac potius

iis temporis aliquid addere, ubi concessum est, quam demere.

3. *Et non cognoverunt parentes ejus* (Ibid.). — Quamvis Christus non ignoraret absentiam suam magno dolori parentibus futuram, voluit tamen se iis subtrahere; *ut ostenderet* (ait Beda) *se alium Patrem verum habere in coelis*, cui soli in iis, quae operabatur ut Salvator, erat subjectus sine carnis et sanguinis respectu. Disce, quando operandum est juxta tuam vocationem exuere amorem parentum et amicorum. Ignorant hi quae sunt spiritus, et magno sunt impedimento. Non potes esse discipulus Christi, si in his non oderis patrem et matrem.

SAB. HEBD. V POST EPIPH.

Med. 82. — Amissum Filium requirunt parentes.

1. *Existimantes illum esse in comitatu, venerunt iter diei* (Luc. 2).—Mirum videri potest, quomodo Mater potuerit a Filio sejungi, quem tantopere amabat. Sustinuit tamen id, quod crederet alios divina ejus praesentia frui, ac ipsum eos morum suavitate ad se attraxisse. Ita, ut serviretur aliis, libenter caruit eo quo summe delectabatur. Apprehende hic tuam charitatem. Quam pauca, quam illibenter incommoda pateris alterius causa! At, ut servias proximo, etiam aliquando Deus est relinquendus.

2. *Requirebant eum inter cognatos* (Ib.). — Qua diligentia? Quo moerore? Qua simul resignatione? Quia non ignorabant eum Deum esse, et nihil non bene agere. Quibus ad Deum, quibus ad Jesum suspiriis? Itane tu perditum Jesum requiris? Sed

tamen non reperiebant inter cognatos. Disce non inveniri Deum, immo perdi potius inter cognatos, inter affectus sanguinis et sensuum, inter solatia amicorum. Dissipant ista, non colligunt affectum in Deum. Huic tantum detrahis, quantum illis adjicis.

3. *Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem* (Ib.). — Considera, qui fuerint regredientium sensus: doloris quidem, unionis tamen cum divina voluntate, quod non ignorarent hoc altissimo consilio factum, ut majora sui accenderet desideria, et merendi daret occasionem: spei interim eum iterum reperiendi. Disce quod Deus faciem suam subtrahit etiam iis, quos unice diligit. Si se tibi subduxit, vade in Jerusalem, constitue te in interna pace, quaere eum iisdem affectibus.

DOM. VI POST EPIPH.

Med. 83. — Invenitur in templo inter doctores.

1. *Invenerunt illum in templo* (Luc. 2). — Credibile est eos non uspiam alibi quaesiisse Jerosolymis Jesum, quam in templo. Arguebant enim eum ibi esse, ubi sciebant ejus affectus versari. Disce ergo Jesum in templo quaerere, hoc est in oratione. *Non invenitur* enim *in terra suaviter viventium*; non *in lectulo* deliciarum carnis; non in *vicis et plateis* distractionum mundi. Immo hic potius perditur. Ne ergo te in afflictionibus tuis ad creaturas, sed ad orationem et internam animi recollectionem converte. Ibi Jesum invenies.

2. *Sedentem in medio doctorum, audientem il-*

los, et interrogantem eos (Ib.). — En iterum ubi Christus invenitur: inter doctores. Nemo sibi in rebus animi satis est sapiens. Magna sapientia est interrogare et audire eum, qui spiritum dirigit. Interrogare, ut scias: audire, ut facias. Confunditur in sapientia sua, qui vel sic scire negligit, vel de sufficiente sapientia sua praesumit. Securius cum duce graderis per hanc mundi sylvam infestam, quam solus. Ergo *audi, fili mi, disciplinam patris tui... ut addatur gratia capiti tuo* (Prov. 1).

3. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus* (Ib.). — Videbat omnium admirationem Mater, audiebat applausum; licet tamen conspecto Filio ingens gaudium conceperit animo, mira illud modestia temperavit, dum ad tantos plausus non exultavit leviter, nec se ejus Matrem prodidit, unde aliqua gloriae pars in eam redundaret. Sic ne tu etiam agis? Non prodis ea, quae tibi sunt laudis apud homines? Non jactas quandoque? Non libenter de tua familia, de tuis factis loqueris? Mendicas inanem laudem, veram perdis.

FER. II HEBD. VI POST EPIPH.

Med. 84. — Verba Matris ad Filium repertum.

1. *Fili, quid fecisti nobis sic?* (Luc. 2). — Prior loquitur Mater; *affectus enim amoris* (ait Sim. Cass.) *non potuit amplius cohiberi.* Vocat *Filium:* hoc erat omnibus notum, non Deum, quod ab aliis ignorabatur. Noluit verbum proferre, quod sibi in laudem redundaret. *Quid non est increpatio* (ait Charthus.), *sed pia et amorosa conquestio.* Ostendit

dolorem, quem habuit; ejus causam non perquirit curiose. *Quid fecisti nobis:* non ait *mihi*, quo significet communem Josephi dolorem, ex quo sua etiam stet laus Josepho, quod amaverit eum, quem perditum dolebat. *Sic* magnitudinem doloris exprimit, sicut magnitudinem amoris illud: *Sic Deus dilexit mundum* (Jo. 3). Vide quam paucis, quam multa imitanda exhibet.

2. *Pater tuus et ego dolentes* (Ibid.). — Primas occupat Virgo alloquendi Christum : enarrando sua acta primas defert Josepho. Illud amoris fuit, hoc humilitatis et reverentiae in eum, qui erat caput familiae. *Humillima*, ait S. August., *nec se merito, nec in ordine nominis praeferebat.* Hoc conari tuto potes, ut amore in Deum omnes antecellas: sed humilitate et reverentia omnibus cede, non tam verbis, quam vili interius tui aestimatione.

3. *Dolentes quaerebamus te* (Ibid.). — Significat dolori se remedium quaesivisse. Non enim sistebant in eo, quod amissum Jesum dolerent; sed, ut doloris invenirent lenimen, quaerebant. Non sufficit amissum Jesum dolere, si diligentiam non adhibes, ut invenias. Ideo quandoque se subtrahit, ut tu quaeras, et delectatur quaerentis studio, et repertus cumulat gaudium. Non ergo desponde animos, si amiseris; sed quaere, et invenies.

FER. III HEBD. VI POST EPIPH.

Med. 85. — Responsum Filii ad Matrem.

1. *Quid est quod me quaerebatis?* (Luc. 2). — Non sunt verba increpationis, quasi dicat: Non opus erat me quaerere, qui non casu, sed altissimo consilio a vobis recessi. Nec inde fuit vanum quae-

rendi studium: quia multa, quae non sunt necessaria ex pio tamen affectu laudabiliter fiunt. Quam suaviter, quam amanter haec protulerit! Quam suavitatem parentibus ingesserit! Merebatur id parentum studium. Si amisisti Jesum, gustumque devotionis, cogita altissimo Dei consilio factum: remitte te ejus gubernationi cum humilitate: quaere tamen studio, quo potes. Veniet tempus consolationis.

2. *Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* (Ib.). — Interrogatio haec vim habet affirmandi, idest, *sciebatis*. Sciebant utique, et ideo eum ibi quaesiverunt. Indicat tamen eum affectum, quem habuit ad ea, quae Patris sunt: indicat propter haec relinquendum patrem et matrem: indicat hoc debitum esse, quod alia superat. Imprime hanc animo veritatem, et ubi causa Dei agitur, generosam cape resolutionem abscindendi quidquid carum est.

3. *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos* (Ibid.). — Beatissimae Virgini non simul omnia de Christo sunt revelata, sed sicut semper crevit in gratia, ita etiam in mysteriorum intelligentia. Non intellexit ergo tunc, quare Christus illa aetate inter doctores sapientiam suam revelaverit; sed tamen ulterius non interrogavit. Cum enim audivit opus esse paternae voluntatis, statim acquievit. Disce judicium subjicere. Neque enim necessarium est, ut omnium rationes assequaris, quae Deus, quae superiores de te disponunt. Noli eas investigare: alias animi quietem turbabis. Satis sit tibi, Deus vult.

—

FER. IV. HEBD. VI POST EPIPH.

Medit. 86. — De descensu ex templo.

1. *Et descendit cum eis* (Luc. 2). — Audi narrantem Jesum, quae sibi eo triduo evenerint. Specta audientem magna aviditate Virginem et omnia verba corde suo observantem. Disce descendere ad sensum divi Anton. (serm. infra oct. Epiph.): *O rigida superbia, quae super altitudinem nubium moliris ascendere, descende, obsecro, quia Jesus descendit*, non tam corpore ex edito loco templi, quam animo per humilitatem.

2. *Et erat subditus illis* (Ibid.). — Quis? Cui? Creator creaturae! Dominus servo! Deus homini! Oh admiranda obedientia! *Erubesce, superbe cinis*, ait Bern. (hom. 1ª sup. Missus). *Deus se humiliat, et tu te exaltas. Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi auctorem tuum.* Vilior est tibi praepositus, non tam nobilis, non tam doctus, quam tu? Numquid ab ejus nobilitate, ab ejus sapientia tanto es excelsior, quanto Deus ab hominibus? Exemplum tibi dedit, tu eum sequere.

3. *Et erat subditus illis.* — In quibus? Quomodo? In vilissimis quibusque. Officina fabri non exhibebat splendida. Tu ea, quae fuerint, facile concipies. Agebat autem illa prompte, humiliter, exacte: nec uno tantum die, sed usque ad trigesimum aetatis annum. Vilia tibi mandantur et abjecta officia? Nihil est vile, quod Dei imitatione agitur, qui vel vile non agit, vel agendo tollit vilitatem. Sit honor tuus vilia agere, si honorem tuum ma-

ximum judicas Christo proxime assimilari. Ne tempus te frangat, in totam vitam te generose resolve abjectus esse in domo Dei.

FER. V HEBD. VI POST EPIPH.

Med. 87. — De profectu Christi in aetate, sapientia et gratia.

1. *Puer autem Jesus proficiebat aetate* (Luc. 2). — Poterat naturam assumere robustam, ac virilis staturae, ut Adamum creaverat: voluit infantilem, et per aetates transire, ut omni aetati exemplo esset. Crescebat aetate et viribus, ut ad graviora pro me toleranda robustior evaderet. Hoc fine nutriebat corpus. Heu me! Quantum absum, qui corpus nutrio ad delicias, non ad Dei obsequium, non ad difficilia pro Deo agenda aut toleranda! Parce, Domine: emendabo ad tuum exemplum.

2. *Proficiebat sapientia et aetate et gratia* (Ib.). — Plenus erat sapientia et gratia a primo sui conceptus instanti, ita ut nihil ei accedere posset. Externe tamen crescere videbatur ad proportionem aetatis, cui accomodabat in oculis hominum sapientiam et gratiam. Disce, quod dum crescis aetate, crescere etiam debeas sapientia et gratia. Annis crevisti, quam parum virtute! Scientias humanas addidicisti, gratiae et virtutis vix rudimenta attigisti! Quomodo subsistes, dum quaeretur non quantum, sed quomodo vixeris; non quid didiceris, sed quid feceris?

3. *Apud Deum et homines* (Ib.). — Exhibebat enim opera semper excellentiora, quibus hominum aestimationem lucrabatur, et eximia erant ad augendam Dei gratiam si hujus fuisset capax. Ita in

omnibus Dei placitum, et hominum aedificationem conjungebat. Hoc age et tu, ut per opera tua Deo placeas, et qui vident ea, *glorificent Patrem, qui in coelis est.* Vanum est, si solos homines spectes: si solum Deum, aliquid: si utrumque, optimum.

FER. VI HEBD. VI POST EPIPH.

Med. 88. — Quid Christus egerit ad annum usque trigesimum.

1. Considera ex plurium auctorum sententia, Christum transegisse eos annos in altissima contemplatione. Cogita ergo tractasse eum cum Patre negotium salutis humanae, disposuisse militantem Ecclesiam, deflevisse peccata hominum, placasse iram Patris, precatum fuisse veniam, etc. Non dubita te tuaque peccata in illa contemplatione fuisse in praesentia. Non merebaris hoc: sola fuit illius bonitas tui meminisse. In hanc debita tua repone. Dole, veniam per illas lacrymas precare. Vide, ut imposterum sis ei gaudio, non dolori.

2. Considera eum fuisse solatio SS. Matri et Joseph sua conversatione, quam credibile est fuisse potissimum de Dei bonitate, misericordia, et opere salutis, ad quod venerat. Cogita, quis fuerit utriusque parentis gustus! Qui affectus! Disce, quae tuae conversationis materia esse debeat; qua scilicet aliquod proximo solatium aut pium affectum imprimas. Alias vel in noxia incides, vel tempus perdes. Egistine hoc hactenus?

3. Considera operatum esse manibus suis. Tractasse fabrilia credunt probati auctores. Hinc credi

potest adjuvisse Josephum ad sustentationem. Tam miseram vitam duxit Jesus; et tamen non illi, sed tibi dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane.* Et tu amabis otium? Nec pensi habet, quod nondum praedicet, aut miracula patret ad salutem hominum. Satis se agere judicat, qui agit id, quod scit Deum velle. Disce hoc agere, quod obedientia jubet: etsi tibi nihil agere, aut a superioribus non satis pro tuis talentis occupari videaris. Satis agis, si id agis quod per obedientiam scis Deo placere.

SAB. HEBD. VI POST EPIPH.

Med. 89. — Quae virtutes ex juventute Christi colligantur.

1. Considera cum Christi vita disponeretur ad mortem crucis, voluisse eum durae potissimum virtutis specimina edere. Ac 1. *humilitatis.* Amavit enim nesciri: occuluit divinitatem, sapientiam, vim patrandi miracula. Latuit in Nazareth ignotus omnibus in vili casa: exercuit abjecta ministeria, etc. Examina, quid te in istis habeas? Non jactas ingenium aut scientiam? Non ambis videri? Non fugis solitudinem? Abhorres a vilibus? Quam parum es Christo similis!

2. Secunda virtus *obedientia.* 1. Erga Deum: semper enim, quae erant placita ei faciebat, ut respectu hujus omne illius opus fuerit obedientia. Aestima hanc virtutem cujus pretium Christus omnibus suis actibus addi voluit. Potes hoc imitari ad omne opus, quod ex vocatione tua facis. Scis enim certo Deum et superiores velle. 2. Erga homines: erat *subditus illis,* non in honoratis, quae non suppetebant, sed in vilibus, constanter,

prompte, hilariter. Eximium quid esse crede obedire, quod Christus tam constanter tot annis egit. Examina, quae tua sit obedientia, non tantum operis, sed etiam promptitudinis, voluntatis et abnegationis judicii.

3. Tertia est *continua patientia* in paupertate et rerum etiam necessariarum defectu, in aerumnis, in contemptu. Hanc ille vitam meliorem, Deoque gratiorem judicavit et elegit. Oh sinistra hominum judicia, quibus haec vita extremum malorum est! Dum pati fugiunt, perdunt animas suas, quae *sola patientia possidentur*. Et quid est, quod tu pateris? Quam leve? Quam nihil, si cum eo conferas quod prior ille passus est? Ad quid te resolves?

DOMINICA SEPTUAG.

Med. 90. — Decretum Ss. Trinitatis, ut Christus moriatur.

1. *Quid facimus?* (Joan. 11). — Cogita te interesse consilio Ss. Trinitatis consultantis sitne perdendus homo, ut meruerat, an morte Dei hominis redimendus. *Quid facimus?* Cogita adesse justitiam divinam, quae enormitatem delicti exprimit. 1. Quia homo Deum vilipendit, cujus praeceptum transgressus est. 2. Quia praeceptum hoc erat observatu facile. 3. Quia hoc ex malitia fecit, cum esset adeo illuminatus, fultus gratia, et sine passionum rebellione. 4. Quia nec motus est rigore poenae transgressuro impositae, nec exemplo Angelorum. Igitur non mereri misericordiam, sed justitiam. Agnosce hinc gravitatem peccati, detestare, time justitiam.

2. Cogita adesse misericordiam, approbare quidem omnia, quae allegavit justitia; excusare tamen hominem, quod fragilis sit ex luto compositus, tentatus a daemone idque in despectum et odium Dei. 2. Agere ne perdatur, quia totum genus humanum perdendum esset: non ita omnes omnino angelos perditos: triumphaturum daemonem, si homo damnetur: Deum habiturum nomen rigidi, non misericordis; cum misericordiae nullus hactenus fuerit locus, nullus futurus. Convenire denique Dei bonitati, ut placetur. Exhibe te miserationis egentem, hanc invoca, lauda, gratias age, spera.

3. *Expedit... ut unus moriatur homo... ne tota gens pereat* (Ibid.). — Cogita hanc esse Trinitatis conclusionem, quae magis in misericordiam inclinat, quam in justitiam. Quod justus enim sit, a nostra malitia habet: quod vero misericors, a sua bonitate. Oh quam expedit et pro Dei gloria manifestanda, et pro hominum salute! Agnosce, adora, lauda, ama, time offendere hanc bonitatem: spera in eam. Sed quae tua erit in eam obligatio? Quam eam amabis! Quam illi servies!

FER. II HEBD. SEPTUAG.

Med. 91. — Concilium pharisaeorum adversus Christum.

1. *Collegerunt pontifices et pharisaei concilium, et dicebant: Quid facimus?* (Joan. 11). — Qui coëunt? Inimici Christi, invidi ejus gloriae, quod miracula patret, quod a plebe honoretur. Quae sana sententia expectari potest a judicibus odio et invidia excaecatis? Quo fine coëunt? *Ut Jesum dolo teneant et occidant.* Hocne meritus est Chri-

stus, qui pertransivit omnibus benefaciendo? Quid fecisses, si illi concilio adfuisses? Quo in iniquos illos zelo exarsisses? In te converte haec tela. Tu contra eum saepius conspirasti. Amor proprius convocavit concilium passionum: quibus quoties satisfacis, decernis adversus Dominum. Et hoc meretur per tot tibi impensa beneficia? Oh ingratitudo!

2. *Hic homo multa signa facit* (Ibid.). — Nec nominare eum dignantur, adeo vilem aestimant. Hoc initium est ruinae, Deum non magni aestimare. Confitentur, quod multa signa faciat, et tamen perditum eunt Jesum, quia timent regno temporali. Pluris hoc regnum aestimant, quam Deum. Oh insania! Sed tua. Quoties tu Deum, si non vilem, certe non pro dignitate magnum aestimasti. vilia illi tuarum passionum delectamenta anteposuisti? Cape hanc veritatem, unicum tuum bonum esse, Deum amare et illi soli servire.

3. *Expedit... ut unus moriatur homo* (Ibid.). — Innocens, propheta, patrator miraculorum, Messias, non accusatus, non auditus, non convictus: et tamen expedit, ut moriatur, ne regnum pereat? Oh scelerate! Non expedit tua, sed Dei sententia, qui impio tuo decreto ad bonum generis humani utitur. Haec Dei indoles est, ex pessimis optima eruere. Imitari potes, si ex tui contemptu eruas humilitatem, ex afflictionibus patientiam, ex creaturis Dei laudem. Ita *diligentibus Deum omnic cooperantur in bonum* (Rom. 8).

—

FER. III HEBD. SEPTUAG.

Med. 92. — Coena in Bethania a Martha et Maria Christo exhibita.

1. *Fecerunt autem ei coenam ibi, et Martha ministrabat* (Joan. 12). — Coena haec facta est in domo Simonis leprosi, post Lazarum resuscitatum, Christo in gratiarum actionem. Martha ergo in domo aliena ministrabat Christo. Qui amat, ubique captat occasionem amato ministrandi. Nullus illi locus, nulla domus ad hoc peregrina est, etiam sponte famulorum officium suscipit. At quot te praetereunt occasiones? Si amares, omnem venareris, ubivis, quovis tempore. Si hoc egisses semper, quam gravis esses meritis? Non aegre feras alios sedere in quiete, te autem ministerio fatigari. Diversis diversa mandantur merendi studia: istud tibi: isto Deo places.

2. *Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis* (Ibid.). — Unxerat jam antea in sua conversione Christi pedes. Ungit hic in gratiarum actionem de resuscitato Lazaro. Expende ad Christi pedes in aliorum praesentia projectae humilitatem; sui contemptum; amorem; gratiarum actionem, qua pretiosissimum, quod habebat, Deo immolat. Attende, quam Christus habeat complacentiam, quam hujus actionis aestimationem! Affer et tu non vilia, non perfunctoria opera, sed pretiosa, pleno et interno affectu exhibita, qui a Deo tam pretiosa accipis.

3. *Et domus impleta est ex odore unguenti* (Ib.). — *Christi bonus odor sumus* (2 Cor. 2) aut sal-

tem esse debemus. Odor operum nostrorum est aedificatio proximi. Eximia religiosi virtus totam unam domum rèplet hoc odore. Quo major es, eo magis hoc praesta. Majorum exempla trahunt minores. Vide autem magis ne de te queratur Deus: *Foetere fecistis odorem nostrum* (Exod. 5), si vel aliis exemplo sis malo, vel bono illudas.

FER. IV HEBD. SEPTUAG.

Medit. 93. — Murmur discipulorum de profuso Magdalenae unguento.

1. *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes* (Matth. 26). — Murmurabant de prodigalitate et indiscretione Magdalenae, qui, quo affectu hoc ageret, non videbant. Nunquam deerunt, qui de justorum virtutibus sinistre judicent, loquantur, et in malum interpretentur sive ignorantia, sive malitia. Etiam boni suas formant censuras zelo quandoque indiscreto. Quid si et superiores? Si vis bonus esse religiosus, debes ad haec animum parare. Ad judicia Dei respice, hominum contemne. Isti corticem vident, Deus medullam. Cave autem, ne et tu aliorum acta in malum interpreteris, dum potes in bonum.

2. *Dixit unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes* (Joan. 12). — Matthaeus et Marcus plures murmurasse scribunt: Joannes unicum Judam. Augustinus combinat, *eis Juda dicente persuasum esse.* Ita murmurator unus saepe circulum integrum ad murmur trahit. Cave, tu incipias; cave, incipiente alio prosequaris. Facies, si assuescas aliorum actiones apud te in bonum interpretari.

3. *Potuit enim unguentum istud venundari*

multo, et dari pauperibus (Matth. 26). — Ecce quod pallium obtexit iniquitati: quasi ei cura esset de pauperibus, qui fur erat et prospiciebat furandi occasionem, si illud unguentum venditum fuisset. Ita vestiuntur plerumque malae passiones. Irasceris, vis zelum videri: familiaritati peculiari indulges, vis charitatem aestimari; effundis te ad solatia creaturarum, vis dici fructuose conversari. Sed pallio hoc non tegeris apud Deum.

FER. V HEBD. SEPTUAG.

Med. 94. — Christus defendit Magdalenam.

1. *Sciens autem Jesus ait: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me* (Matth. 26). — Semper Jesus advocatus est Mariae (Luc. 7) contra pharisaeum peccatricem arguentem (Luc. 10); contra Martham de otio accusantem; hic contra Judam murmurantem. En quomodo semper virtus Deum habet patronum. Quod solatium hinc fuerit Magdalenae adhuc novitiae in via virtutis! Quantum fuerit animata! Quid te affligunt sinistra hominum judicia, murmura, censurae? Numquid propterea virtutem deseres? Absit, perge bene agere. Confide: Deum habebis defensorem. Erit tempus, quo aperietur veritas cum tuo solatio majore.

2. *Nam semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis. Mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (Ib.). — Solvit rationem murmuris de cura pauperum. Non detegit Judae intentionem furandi, quam noverat Dominus, ut discas non te defendere per revelationem alienae culpae. Infirmum inno-

centiae tuae argumentum est alterius culpa. Laudat deinde intentionem Magdalenae, *quod.., praevenit ungere corpus* suum (Marc. 14), quod vel ex conversatione cum Christo, vel afflatu Spiritus Sancti didicerat se post mortem non uncturam. Placent ergo Deo praeventa obsequia, quorum post non datur occasio. Sic omnem gratiam aestima, omnem occasionem arripe, quia nescis an post futura sit.

3. *Ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam ejus* (Ibid.). — Silebat Magdalena ad murmur Judae. Ecce Dominus fideles omnes ad ejus praeconium excitat, adeo placet illi silentium humile inter calumnias. Unxerat alias Magdalena Christum (Luc. 7): non promittitur illi operi memoria saeculorum, quia erat adhuc incipiens in virtute: promittitur isti unctioni, quia progressa est in virtute, et ascendit ad caput usque Christi, quod illo unguento imbuit; ibi autem solum ad pedes haesit: ibi erant purgativi affectus, hic unitivi. Incipere necessarium est, sed progredi laudabile. Vide ergo ne sistas: quovis die incrementum adde.

FER. VI HEBD. SEPTUAG.

Med. 95. — Ascendens Jesus Jerosolymam praedicit suam passionem.

1. *Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, et praecedebat illos Jesus, et stupebant* (Marc. 10). — Debuit insolita fuisse Christi properatio, quod stupuerint discipuli. Quae vero ejus causae? 1. Ut ostenderet quam prompta voluntate

ad patiendum feratur. Ad miracula edenda ordinario ibat passu, ad passionem accelerato. Amor addidit alas. Quam lentus sum ego, quam refractarius ad ardua ! Oh trahe me post te ! 2. Ut ostenderet se ad labores et dolores praeire. Cur ergo praecedere tu vis ad honores, ad delicias? Quantum abes a spiritu Christi. Mirare cum Apostolis praecedentem, sed cum iisdem etiam sequere.

2. *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum* (Matth. 20). — Saepius alias, nunc iterum passionem suam praedicit Apostolis. Cur toties? 1. Quia quod quis amat, semper habet in memoria, libenter de eo loquitur. Non est tibi in memoria passio Christi, quia pati non amas. Patiendum tamen est necessitate quadam. Noli pati ut brutum; ut dulcius patiaris, memento patientis Jesu. 2. Ut ad aliquid patiendum discipulos animaret exemplo suo, qui simul ascendebant. Qui cum Christo ascendit, seu ad virtutem, seu ad coelestem Jerusalem, pati debet. Sed non solus: habet secum Christum, cujus vel memoria cruciatus lenit.

3. *Et ipsi nihil horum intellexerunt* (Luc. 18). — Terrena adhuc sapiebant, et magni faciebant ea, quae mundus aestimat, delicias, honores, gloriam, etc., a contemptu autem, contumeliis et doloribus abhorrebant. Animus, qui terrena sapit, non percipit, quod Deus aestimat. Unde tu tam aridus es in meditatione vitae et mortis Christi? Quia non habes aestimationem et amorem contemptus et afflictionum; sed honorum, vanitatum et delectationum sensus. Defle insipientiam tuam, et disce ab optimo magistro pati: quia *non est discipulus super magistrum* (Matth. 10).

SABB. HEBD. SEPTUAG.

Med. 96. — Praeparatio ad solemnem ingressum in Jerusalem.

1. *Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos* (Matth. 20). — Non ignorabat Christus decrevisse Judaeos, ut *eum dolo tenerent et occiderent* (Marc. 14). Voluit tamen Jerosolymam solemniter ingredi, et cum ea pompa, quae a prophetis de Messia praedicta fuit. 1. Ut ostenderet se verum esse Messiam, et praeberet se agnoscendi occasionem, ut inexcusabiles essent, si non ut talem venerarentur. Omnibus enim dat Deus gratias, non omnes accipiunt. Stude, ut oblatas accipias: time si negligas. 2. Ut ostenderet non posse Judaeos exequi decretam mortem, nisi ipse velit. A Deo pendet, quidquid decreveris. Ejus ergo gubernationi te in omnibus committe.

2. *Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea; solvite et adducite mihi. Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet* (Matth. 21). — 1. Ostendit divinitatem suam, significando absentia. Crede non abesse a te: adora, ama, time. 2. Exercet dominium, quod habet in omnes res creatas. Et tu huic subjectus es. Patere eum in te dominari. Cum interna te cogitatione monet, ut frangas appetitum, ut subdas voluntatem, ut linguam modereris; cogita has asinas esse, et tibi dici: *Dominus his opus habet*. Negabisne hoc illi?

3. *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut praecepit illis Jesus, et adduxerunt asinam et pullum*

(Ibid.). — Obediunt Apostoli perfecte, *sicut praecepit*, nec ullam movent ulterius quaestionem. Par fuit promptitudo domini illorum jumentorum. Audito enim quod *Dominus his opus habet*, nec qui sint, nec a quo missi, nec causam, nec tempus quaerit. En bonam in utrisque voluntatem faciendi, quod placet Domino. Examina quam bona sit tua, quam prompta ad bonas suggestiones. Dispone eam, ut sit melior.

DOMINICA SEXAGESIMAE

Med. 97. — Triumphalis ingressus Christi in Jerusalem.

1. *Imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt; plurima autem turba straverunt vestimenta, etc.* (Matth. 21). — Considera obsequia discipulorum, et turbarum officia in textu enumerata. Quis excitavit turbam, quae non ignorabat principes in Christum conjurasse, nisi qui corda movet Deus, et contra timores firmat? Quid sperare poterant a paupere Jesu, et pauperibus discipulis? Immo timere poterant principum indignationem. Sola aestimatio Christi eos movit, quam conceperant ex ejus miraculis, et recenter suscitato Lazaro. Oh si magnam conciperes Dei aestimationem, quae obsequia praestares Deo! Quam fortiter adversus teipsum et concilia tuarum passionum dimicares!

2. *Clamabant dicentes: Hosanna filio David! Benedictus qui venit, etc.* (Ibid.). — Considera turbam hanc tria conjunxisse, quibus vera devo-

tio perficitur: Cor, sive affectum, quo Christum prosequebantur: Linguam, seu voces, quibus eum laudabant: Manus, seu opera, quibus ramos caedebant. Non est vera devotio, quae haec tria non habet: quia nisi haec Deo reddat, non reddit nos totos. Confer devotionem tuam. Vide an verba et opera procedant ex affectu? An ut loqueris, ita facias? An vox sit Jacob, manus autem Esau? Totus Dei eris, si illa tria conjungas.

3. *Ecce rex tuus venit tibi* (Ibid.). — Cogita te invitari ad hoc spectaculum. *Ecce rex tuus* omni titulo. Debes ergo ei omnem subjectionem. *Venit tibi*, idest tuo bono, cui omnes suas cogitationes, studia, vitam, sanguinem est impensurus, ut te egenum ditet, periclitantem protegat, miserum et vilem ad regnum evehat. Attolle illi portas cordis, ut introëat rex gloriae. Agnosce affectum: adora regem: offer illi intellectum, voluntatem et affectus tuos.

FER. II HEBDOMAD. SEXAG.

Med. 98. — Invidi pharisaeorum sermones.

1. *Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit* (Jo. 12). — Considera invidiam pharisaeorum. 1. Qui occisum volebant Christum, quam aegre ferunt honoratum! Sed fateri debent se nihil proficere. Noli animo dejici, si invidiam patiaris. Nihil proficiet: solum invidum cruciabit. Noli etiam invidere, ne crucieris. 2. Dicunt plus quam verum sit, quod totus mundus eum sequatur, ut magis suam rabiem acuant. Utinam vero id verum esset! Sequantur eum infi-

deles, haeretici, judaei. Tu primus sis. Si alius plausum et accursum habeat, tu non invide.

2. *Quidam pharisaeorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos* (Luc. 19). — Ecce livoris ingenium: vult impeditos Christi plausus: audet ab ipso Christo id petere, ut eos prohibeat. Vocant magistrum, ut petitioni per blandimenta viam sternant. Quid petunt? Ut discipulos increpet. Quare? Estne malum, quod applaudant Domino? Sed invidia nihil rectum videt; etiam pia et sancta improbat. Absit a me haec et omnis passio, quae sensum pervertit et excaecat.

3. *Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt* (Ibid.). — Sensus est, quod non silebunt hi, qui a Deo moti sunt: si tamen silerent, posse Deus etiam durissimi cordis homines ad dandam sibi gloriam excitare. Ita est. Nullum cor est tam durum, quod Deus vel frangere, vel mollire non possit. Potest ergo et meum. Sed hactenus ego obstiti. Quid feci? Quoties voluit ille? Quoties ego restiti? Time, quia *cor durum habebit male in novissimo* (Eccli. 3).

FER. III HEBDOMAD. SEXAG.

Med. 99. — Flet super civitatem Jerusalem.

1. *Videns civitatem, flevit super illam* (Luc. 19). — Quid lacrymae in aestu plausuum? Videt Jerusalem, et in ea totum mundum. Videt omnium scelera, etiam tua. Videt passionem suam cessuram multis in ruinam ex propria eorum malitia. Poterat absolute salvare, sed vult, ut gratiis suis cooperemur. Peribimus, si non utemur. Expende,

an aliquam super te flendi occasionem dederis. Amorem ejus in te agnosce. Sed non sufficit, nisi et tu coopereris.

2. *Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi* (Ibid.). — Indicat fletus sui causam esse caecitatem populi non agnoscentis Messiam, ex qua odium, invidia, ingratitudo et omne malum. Hinc laborat diabolus, ut hanc cordibus nostris caecitatem inducat, ut non agnoscamus quantum bonum sit gratia Dei, quantum malum peccatum; non attendamus Dei inspirationibus, ne sequamur. Et hoc, *in hac die tua*, vitae scilicet hujus, quae sola est dies nostra, quam sequetur *dies Domini*. Vide ergo, quomodo diem tuum impendas, ne timere debeas diem Domini. Deplora priorem caecitatem, et tandem aperi oculos, ut agnoscas, quae gratiae tibi dentur ad vitam aeternam.

3. *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, etc.* (Ibid.). – Praedicit eversionem urbis per Romanos futuram, ob peccata praesertim in Christum commissa. Peccata enim sunt omnium miseriarum causae, et praeparant materiam vindictae Dei. In his exprimitur miseria hominis in articulo mortis, qui male usus est tempore suae visitationis et gratiae. Circumdabunt eam inimici daemones: coangustabunt praeterita peccata: prosternent in terram omnes grandes et vanas designationes, etc. quia non bene usa est tempore visitationis suae. Vide, quanti refert uti gratia, dum tempus est.

—

FER. IV HEBDOMAD. SEXAG.

Med. 100. - Paciscitur Judas cum principibus de tradendo Jesu.

1. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum* (Matth. 26). — *Tunc,* postquam intravit aviditas pecuniarum occasione effusi unguenti, vel quando scivit congregatos in odium Christi pontifices. *Unus de duodecim,* in apostolica dignitate constitutus. *Judas:* nominatur, ne suspicio cadat in plures. *Iscariotes:* ne quis cogitet de Thaddaeo. *Ad principes sacerdotum* infensissimos Christo et morti ejus intentos. Vide quo evadant indomitae animi passiones. 1. Ardebat avaritia Judas. 2. Hinc murmurator factus de profuso unguento. 3. Tum coepit odisse Christum. 4. Eum pretio vendere. 5. Non amico, sed capitalibus inimicis. Time proinde passiones tuas, et ideo applica illis securim mortificationis.

2. *Et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?* (Ib.).— Quantas, quam pretiosas merces proponit pessimus mercator! Dei Filium! Sed quam vili aestimat, qui pretii libertatem iniquis emptoribus remittit; qui nec Jesum nominare dignatur! Resne ergo tam vilis est Deus? Ah quoties tu eum vilioris aestimasti! At quanto pluris ille te fecit, qui pro te se vitamque suam dedit! Oh brutum, si non pluris aestimas, si non amas!

3. *At illi constituerunt ei triginta argenteos* (Ib.). — Pretium jumenti, aut vilissimi mancipii. Quis iste Dei contemptus? Sed altiore consilio tam

parvo est venditus. *Nos ille voluit pretiosos facere in pretii vilitate*, ait D. Paulinus (ep. 4). *Ipse nobis hac vilitate pretiosior, quod se vili vult aestimari, ut ab omnibus ematur.* Non potes grandia pro Deo dare? Da parva, da curam minimorum. His libenter se tibi vendit.

FER. V HEBDOMAD. SEXAGES.

Med. 101. — Coena paschalis.

1. *Ite in civitatem ad quemdam, et dicite: Magister dicit... Apud te facio Pascha* (Matth. 26). — Pauperrimus Jesus, nec ut Pascha celebret, propriam habet commoditatem. Visne tu non tantum ad spiritualia, sed etiam ad sensualia, omnem tibi suppetere commoditatem? Patrifamilias tantum innuit quid placeat: *Apud te facio Pascha*; et ille protinus assentitur et fervet ad obsequium. Sufficitne tibi a Deo, a superioribus, a regula innui, quid Deo placeat? Statimne assentiris? An quandoque servilibus cogendus es? Sic pretium operis et meritum perdis.

2. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (Luc. 22). — *Hoc Pascha*, quod est ultimum vitae suae? Quod mox sequetur acerba passio et mors infamis? Ideo omnino, quia post hoc scit secuturam mortem, ad quam tui amore semper aspirabat. Quo vicinior est passioni, eo majus gaudium prodit. Si Christum te amare credis, et pati fugis, tibi mentiris. Probatio amoris est passio, praesertim si sit cum gaudio aut cum antecedente desiderio. O quam tu delicatus es! Non correspondebis desideriis Christi, nisi similia concipias.

3. Considera Christum hic servasse omnes legis caeremonias, et quid eae significarent contemplatum. In *agno occiso*, *excoriato*, *asso*, se ipsum occidendum, flagellis excoriandum et igne amoris consumendum. In *secto*, *non fractis ossibus*, se luxatum quidem, ossa tamen sua non fracta. In *festinatione comedentium*, festinationem furoris inimicorum. In *lactucis agrestibus*, sui fellis amaritudinem. In *baculo quem manibus tenebat*, suam crucem. Cogita, qui fuerint hic affectus se ad omnia haec offerentis, et conari similes elicere.

FER. VI HEBDOMAD. SEXAG.

Med. 102. — Lotio pedum.

1. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus... surgit a coena... et coepit lavare pedes* (Jo. 13). — Quae connexio ista? Scit omnia sibi data in manus, et coepit lavare pedes? Ut intelligas, quanta sit humilitas, intellige quanta sit majestas ejus, qui se abjicit. Potesne majorem cogitare? Appende vilitatem tuam: et tamen humiliari detractas. *Omnia sunt ei data in manus.* Sed tu surripis aliquid illi: quia pedes illi tuos, idest affectus, non das. Ubi vagantur? Nonne post vestigia gregum seu creaturarum? Collige eos: consigna ei in manus, ut ille lavet a pulveribus, aut sordibus, quae ex creaturis adhaerent, et manu sua eos tergat.

2. *Surgit a coena... ponit vestimenta, accipit linteum, parat aquam, lavat, abstergit* (Ib.). — Omnia solus agit. Cur non discipulorum aliquis ad adjuvandum admittitur? Ad honorata, ad filiationem Dei, ad haereditatem regni, ad potestatem

absolvendi et ejiciendi daemonia, admisit socios; ad ea, quae sunt humilitatis, praevenit omnes, nec opinantes. Sic agunt veri humiles. Non es vere humilis, si in vili ministerio non certas praevenire. At tu forte nec sequi contendis, et lentus aspicis alios. Crede mihi, aspicies etiam olim de longe, cum illi te ad praemium antecedent, et sero dolebis.

3. *Venit ergo ad Simonem Petrum, etc.* (Ibid.). — Petrus videt hinc suam vilitatem, inde majestatem Dei: stupet: *Domine, tu mihi lavas pedes?* (Ib.). Pondera singula verba. *Domine* universorum et meus: *Tu* cujus est potestas et imperium: *mihi* servo vilissimo et peccatori, etc. Obstupesce vero quod ipsum toties in te faciat Jesus, toties te abluat non aqua, sed sanguine suo, seu gratia ex meritis sanguinis. At hujus tanta necessitas est, ut nisi te laverit, non sis habiturus partem cum illo. Dic ergo cum Petro: *Domine, non tantum pedes* affectuum, *sed etiam caput* cogitationum, *et manus* operum, ut omnia sint munda in conspectu tuo.

SABB. HEBDOMAD. SEXAG.

Med. 103. — Admonitio discipulis data post pedum ablutionem.

1. *Scitis quid fecerim vobis?... Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes* (Joan. 13). — 1. Per interrogationem revocat eos ad attentionem. Res enim attentu dignissima est humilitas Christi. 2. Verbo explicat, quod prius exemplo ostendit. Efficacissima sunt docentis verba, quae ipsius

factis animantur. 3. Argumentum nervosum est. Ego lavi; ergo et vos debetis: Ego vobis; ergo vos alter alteri. Vide quam a minori ad majus bene concludat. 4. Hic vocat se Dominum ac Magistrum, ut efficacius persuadeat. Quid tu ad ista? Stipes es, si non convinceris: lapis es, si non moveris.

2. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (Ib.). — Vide, quo facta Christi tendant, ut sint tibi in exemplum. Quantum est de te, vitam adimis factis Christi, si non imitaris: fraudas enim ea fine suo; quia exempla cessant esse exempla, ubi cessat imitatio. Ne feceris tu hanc illis injuriam. Vide etiam, quam bonum habes Dominum, qui non imponit tibi jugum, quod ipse prior non portet! Quam bonum Magistrum, qui ut te blandius trahat, prius facit, quam verbo doceat! Ut bene ergo opereris, attende in singulis exemplum Christi, ut facias quemadmodum ille. Haec compendiosa est et certa perfectionis norma.

3. *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea* (Ib.). — Aperta doctrina est, quod non ille sit beatus, qui multa scit, sed qui facit quae scit. *Non enim magnum est virtutem cognoscere, sed studiose agere,* ait Cyrill. Alex. (L. 9 in Joan. c. 9). Non ergo satis est, quod scias exempla Domini. Ipsa scientia est quaedam ad imitandum obligatio. Nam (Luc. 12) servus, qui scit voluntatem domini sui, vapulat multis, si non faciat secundum eam. Expende, quanta tu lumina habeas, quantam bonorum cognitionem. Oh si secundum eam faceres, quam esses beatus!

—

DOMINICA QUINQUAGESIMAE

Med. 104. — Institutio venerabilis Eucharistiae.

1. *Accipite, et comedite. Hoc est corpus meum* (Matth. 26). — Crede primum viva fide carnem, sanguinem, animam Christi, deitatem, et quidquid est Deus, esse in Ss. Eucharistia, sive vi verborum, sive per concomitantiam. Admirare Dei sapientiam, quae invenit novum modum se nobis communicandi. Obstupesce, et lauda omnipotentiam, quae uno momento, solo verbo, illa omnia sub speciebus panis et vini ponit. Agnosce infinitum amorem, quo hoc facit. Sicut Pater *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* ita et Filius, ut seipsum daret, ut sit nobiscum usque ad consummationem saeculi. Oh admirabilis et amabilis Deus! Quod de te cogitaverit, ut incarnaretur, quantum est? Sed quanto majus, quod in te, velut denuo in mundum, veniat, et omnia secum adferat, quae tunc attulit? Quid retribues Domino?

2. Dominus Jesus, *in qua nocte tradebatur, accipiens panem, etc.* (Ib.). — Considera tempus hujus institutionis. Erat illud ipsum, quo ejus vitae struebantur insidiae, quo fervebant odia Judaeorum in illum. Sic aquae persecutionum non potuerunt extinguere charitatem ejus. Sic amat nos etiam, cum inimici sumus. Tormenta igitur vicina, crux, infamia non causarunt separationem Christi a te, sed majorem conjunctionem per hoc amoris et unionis sacramentum. *Quis ergo te separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? etc.*

(Rom. 8). Conclude magno ardentique amore: *In his omnibus superabo, propter eum, qui dilexit me.*

3. *Et manducantibus illis accepit Jesus panem* (Marc. 14). — Considera quos Christus adhibuerit convivas. Apostolos nempe et inter eos, ut communior habet sententia, etiam Judam. Sed quanta sumentium diversitas! Illi corpore simul et spiritu ardentissimae devotionis, iste solum corpore, spiritu autem in proditionem Christi intento. Vide belluam illam hoc amoris cibo non mitigatam: et adverte, quomodo scelera in catenam eant, cum passio, ex qua ortum trahunt, non tempestive opprimitur.

FER. II HEBD. QUINQUAG.

Med. 105. — Christus tempore coenae insinuat proditorem.

1. *Jesus turbatus est spiritu... et dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet* (Joan. 13). — Turbatio haec fuit vehemens tristitia. Causa hujus est atrocitas criminis a Juda patrandi, ab apostolo, a domestico. Quid non agit, ut a meditato eum scelere reducat? Ostendit se conscium futurae proditionis, ut non credat Judas suum scelus latère. Non nominat proditorem, ut parcat famae; ut non concitentur in eum alii discipuli; ut Judas hac lenitate trahatur; ne manifeste coargutus, fiat impudentior. Dum nihil proficit, dat signum proditoris. *Qui intingit mecum manum*, etc. Intentat ei *vae* aeternae damnationis. Oh bonitas Dei! Oh duritia peccatoris! Oh Do-

mine, non induretur cor meum ad tot inspirationes, quas et mihi mittis.

2. *Et contristati* sunt *valde*, et *coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?* (Matth. 26). — *Quod dixit: Unus ex vobis, omnes perturbat* (S. Jo. Chrysost. hom. 71 in Joan.). Quare? 1. *Non de conscientiae reatu, sed de humanae mutabilitatis incerto* (S. Leo serm. 7 de Pass.). Etsi non essent sibi conscii, timebant suae fragilitatis. Noli ergo et tu nimium tibi confidere. Cecidit Petrus, qui nimium sibi fidebat. 2. *Timentes, ne minus verum esset, quod in se quisque noverat* (Idem S. Leo). Etsi enim quis nihil sibi conscius sit, non ex hoc justificatus est. Time et tu, et dic: *Ab occultis meis munda me.* Audet et impudentissimus Judas idem quaerere. Quid tu facis, ne te suspectum patiaris? Quam mansuete respondit Christus: *Tu dixisti:* non, tu scelerate, tu perperfide! etc. Quid tu respondes ei, a quo offensus es? Quibus verbis? Quo vultu? Qua voce?

3. *Exivit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis* (Joan. 13). — Ingressus in eum Satanas, non permisit, ut orationem expectaret, *timens ne scintillam in ejus animo accenderet, et ad meliora retraheret* (S. Cyrill.). Vide, quam studeat daemon ab oratione avertere eos, quos tentat: et collige, quam efficax remedium esse debeat oratio. 2. Quando exivit Judas, clarificatus est Christus: *Separato inde nequissimo Juda, et secum remanentibus sanctis* (S. August. tract. 63 in Joan.), quasi una iniqui praesentia gloriam Christi obscuraverit. Qui ergo inter sanctos vivis, stude virtuti, ne tua vita gloriam Christi obfuscet.

FER. III HEBD. QUINQUAG.

Med. 106. — Contentio discipulorum.

1. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major* (Luc. 22). — *Certiores facti de morte Magistri inquirebant, quis eorum videretur esse major, ut caeteris fieret magister* (Euthym.). 1. Quam cito mutantur affectus nostri! Paulo ante *contristati sunt valde*, quod tradendus esset Christus: jam in ambitionem cadunt. Vide tu, ne sis in bono tam inconstans. Infirmae virtutis sunt affectus desultorii. 2. Qui contendunt? Etiam in Christi schola? Sub Magistro humilitatis? 3. Quae materia disceptationis? *Quis videretur* coram hominibus, non quis reipsa esset. Oh vanitas! Visne tu videri, an esse?

2. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor* (Ib.). — Hoc est pharmacum curandae ambitioni. Nam contraria optime curantur contrariis. Excellentiorem te judicas officio, potestate, scientia, etc. Fias sicut minor. Ita lege a Christo sancitum est. Hoc ejus exemplo firmatum. *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Alii solum videntur esse majores: qui se demittunt, reipsa sunt. Credis hanc veritatem? Et cur non huc tua tendunt studia? Cur locum, cathedram, officium, etc. honoratiora ambis?

3. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum* (Ib.). — Accipe hoc ad domandam ambitionem, ad sectandam humilitatem motivum. Pater disposuit Filio regnum per humilitatem et crucem. *Humiliavit semetipsum... propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi*

regnum (Philip. 2). Filius tibi eodem modo disponit regnum. Disponit, veluti testamento et ultima voluntate, quam non licet infringere. Delusoria sunt ergo principia his contraria, quae hactenus es secutus. Illud certissimum est: *Qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. 14).

FER. IV HEBD. QUINQUAG.

Med. 107. — Sermo Christi in coena.

1. *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea* (Joan. 15). — Longus est sermo, et dignissimus, qui saepius legatur. Tria autem potissimum eo commendavit. Commendat amorem Dei non qualemcumque, sed permanentem et constantem. Ad hunc ut inducat, suum in nos amorem proponit. *Dilexi vos* gratis, sine vestris meritis. *Sicut dilexit me Pater*, tam intenso, tam puro amore. Nonne jure amare exigit, qui ita amat? Et quod signum amoris ei dabis? Unum petit: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Quam facile! *Mandata ejus gravia non sunt.* Dasne hoc signum in regularum observantia? Quem fructum feret, qui ita diligit? 1. *Manifestabo ei meipsum* per plura lumina. 2. *Pater meus diliget eum.* 3. *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Expende haec omnia.

2. *Mandatum novum do vobis,* ut diligatis *invicem sicut dilexi vos* (Joan. 13). — Commendat dilectionem proximi. Si haec absit, non est dilectio Dei (2 Joan. 4). *Mandatum novum:* in quo fundatur lex nova, quae est lex amoris, in qua sub capite Christo omnes *unum corpus sumus, singuli autem alter alterius membra* (Rom. 12). *Novum,*

non novitate diligendi, sed diligendi *sicut ipse dilexit*, gratis, etiam inimicos cum suo incommodo, per tormenta, usque ad crucem, ut nos salvaret. O quantum abes ab hac perfectione! Si vis discipulus ejus esse, accende hunc in te amorem. Hunc pro signo discipulatus exigit. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

3. *Petite, et accipietis* (Joan. 16). — Commendat orationem. 1. Accendit fiduciam impetrandi: *Quodcumque petieritis, faciam vobis.* 2. Auget fiduciam, quod petendum sit a Patre: *Si quid petieritis Patrem*, qui bonus est et potens. 3. Docet, ut id, quod petitur, sit aliquid, id est, ut ait S. August. (tract. 102 in Joan.) *quod in beatae vitae comparatione non sit nihil.* 4. Docet petendum *in nomine*, seu per merita *sua*, quae, ut ait Rupert, (l. 12 in Joan.) *necessarium sunt universae orationis vehiculum.* 5. Quod petitur, dirigatur ad gloriam Dei: *Ut glorificetur Pater in Filio.* Si has conditiones accurate servaveris, quod petes, accipies.

FER. V HEBD. QUINQUAG.

Med. 108. — Christus consolatur Apostolos.

1. *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos* (Joan. 14). — Consolatur de suo abìtu tristes Apostolos, pollicendo semper praesens suum auxilium in omni tribulatione. Si Deus tecum, quis contra te? Non relinquet te nisi prior tu eum relinquas. Perseverabit esse Pater, si non desinas esse filius. Etsi te modicum relinquat in desolatione, aut afflictione, iterum modicum, et videbis eum, et gau-

debit cor tuum. 2. Animat eos spe praemii aeterni: *In domo Patris mei mansiones multae sunt, et ego vado vobis parare locum.* Modicum est quodcumque tribulationis, sed aeternum quandoque gloriae pondus illi promittitur. Illuc respice, ne pressus animo deficias.

2. *Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (Jo. 15). — En aliud solatium: quia signum est divinae electionis, si habeas, quod patiaris. Quos reprobat, patitur ire post vestigia gregum, ac delectationum suarum. Addit: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.* Quartum solatium, quia afflictiones sunt pignus amoris Dei in nos. Quam majorem consolationem petis, quam scire, quod te Deus amet?

3. *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Ibid.). — Quinto exemplum suum in solatium adducit: *Me priorem vobis odio habuit.* Sed *confidite, ego vici mundum,* vos quoque vincetis, quia ego vobiscum pugno. Sexto denique: *Tristitia vestra convertetur in gaudium;* mundi vero gaudium in aeterna lamenta. Quanto melius tibi est amplecti viam, cujus terminus est aeternum gaudere! Ad spinas ergo, ad crucem aspira.

FER. VI HEBD. QUINQUAG.

Med. 109. — Oratio Christi ad Patrem pro discipulis.

1. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos* (Joan. 17). — 1. Per unionem charitatis perfectissimam, ut sint unum, sicut personae Trinitatis, si non na-

tura, saltem intellectu, judicio, voluntate; *idem sapiant, idem velint.* Vide, ut tua talis sit charitas. 2. *Non rogo, ut tollas eos de mundo,* ex tribulationibus, quia volo eos adhuc pro nomine meo pati: *sed ut serves eos a malo,* idest peccato. Magis ergo sollicitus esto, ut peccatum fugias, quam crucem et afflictionem. 3. *Sanctifica eos in veritate,* per gratiam Spiritus Sancti, ut sint idonei ministri evangelii. Sed tu etiam ut talis sis, gratiae collabora, neque sis ficte sanctus, sed in veritate.

2. *Tui erant, et tu mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt* (Ib.). — Hoc primum motivum est, quare pro iis oret. Ex parte quidem Christi, quia illi a Patre commissi erant. Ex parte vero discipulorum, quia sermonem Dei, seu fidem aut legem servaverunt, et gratia Dei in eis vacua non fuit; ac per hoc se dignos reddiderunt, ut pro iis oraret. Vis advocatum Jesum apud Deum experiri? Vide, ut cum veritate dicas: *Tuus sum ego:* deinde ut gratia Dei apud te vacua non sit. Secundum motivum est: *Clarificatus sum in eis:* quia me glorificant coram hominibus. An et tu Deum glorificas affectu, verbo, opere?

3. *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me* (Ib.). — Crede et pro te orasse, quem praesentem, ut comprehensor in essentia divina, ut viator per scientiam infusam videbat. Effectum habebit oratio, si tu non resistas. Quid vero oravit pro te et pro omnibus? 1. *Ut omnes unum sint* per charitatem inter se. 2. *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* per charitatem ad Deum. Duplicem ergo hunc amorem

pro te postulavit. O quam felix, si hunc habeas! At non habebis, nisi omnem alium sensualem amorem expellas.

SABB. HEBD. QUINQUAG.

Med. 110. — A coenaculo in hortum egreditur, et praedicit scandalum discipulorum.

1. *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum* (Luc. 22). — Ex urbe olim sibi dilecta, tot beneficiis adornata, lacrymis a se deplorata, sed quae gratiis non est usa, egreditur Jesus. Quis non timeat, vel inter ipsa beneficia, ne a Jesu deseratur? Non ex eo securum te reddunt, quia dantur, sed quia cooperaris, quantum vales. *Ibat secundum consuetudinem*, qua oraturus se a tumultibus subducebat, quam non deseruit, etsi se ibi comprehendendum sciret. Disce non admittere spiritualibus exercitiis impedimenta, multo minus quaerere aut praetexere.

2. *Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte* (Matth. 26). — Timore ac pusillanimitate, qua me pastorem vestrum deseretis, ubi ea videbitis evenire, quae toties praedixi. Aliud est de vinculis et morte cogitare, aliud periculum praesens videre. Vix ullum terrent absentia mala, at praesentia etiam fortes frangunt. Etsi mille meditationibus pati ardua proposueris, adhuc sta in timore, et non tibi, sed soli gratiae innitere.

3. *Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor* (Ib.). — Ex fervore quidem suo solito, sed non cum humilitate conjuncto haec dixit Pe-

trus. Qui sibi praefidit, multa jactat, pauca praestat, in gravia incidit. Sic Petrus 1. contradicit Christo primae veritati: idque non semel, sed iterato. 2. Christo gravius praedicenti lapsum pertinaciter resistit. 3. Alios inducit exemplo suo, ut similiter omnes dicerent. *Debuisset dicere: dona mihi gratiam, ut si omnes scandalum passi fuerint, ego in negationem non cadam* (Orig. hom. 35 in Matth.). Neque bonis ergo tuis affectibus nimium fide, quia levi vento mutantur; sed eos in gratia Dei funda.

DOMINICA I QUADRAG.

Med. 111. — Christi in horto tristitia, taedium, pavor.

1. *Coepit contristari, et moestus esse* (Matth. 26). —Nec timere, nec tristari potuisset, quia vero beatus erat, nisi his affectibus licentiam dedisset animam occupandi. Excessus hic charitatis fuit, qui sponte voluit illam partem affligi, quam torquere non poterant adversarii. Causae hujus tristitiae fuerunt: 1. Viva repraesentatio omnium et singulorum cruciatuum suorum, ac mortis ignominiosissimae. Quae per partes passurus erat, ea hoc tempore simul sensit in anima. Colligam et ego in unum fascem omnem tuam passionem, ut semper sit in corde meo fasciculus myrrhae. 2. Viva repraesentatio omnium peccatorum et exigui fructus ex sua passione. Et tu ergo tristitiae hujus causa fuisti. Christus pro te tristabatur, quia tu *exultabas in rebus pessimis*. Quantum tibi voluptatis, tantum Deo dedisti tormenti. Ah! non am-

plius, ne de te queratur: *Quae utilitas in sanguine meo?* (Psal. 29).

2. *Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem* (Ibid.). — Moeroris vis erupit in verba: an ut solatium quaereret? An ut etiam id aperiret, quod solum in animo latebat, et cognosci ab Apostolis non poterat? *Anima mea*, quae actu visione beata fruitur, cum qua naturaliter nullus moeror stare potest, illa tamen tristatur. Obstupesce! Christus, ut patiatur, miracula supra naturam adhibet. Oh amor! Oh patiendi desiderium! At quibus hunc suum moerorem aperit? Iisdem, quos socios habuit in transfiguratione. Disce hinc, quod quibus Deus solatia spiritualia concedit, eos praeparat ad magnos dolores. Disce non tantum esse cum Christo in monte Thabor, sed etiam in agonia in monte Oliveti.

3. *Sustinete hic, et vigilate mecum* (Ib.). — Considerare hic potes, quae Christus tristitiae remedia adhibuerit. Primo enim aperuit hanc suam afflictionem discipulis. Videtur dolori lenimen accedere, si reveletur amico. Experieris id ipse, si tentationes tuas animae directori aperias. Ut difficile est occultis vulneribus remedium, sic facile apertis. 2. Confert se ad orationem: *Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.* Non seducit procus regis filiam, quae fidenter clamat ad patrem. Fur, si clamore proditur, statim fugit. Tentatus ergo non diverte ad creaturas, sed ad Deum.

FER. II HEBDOM. I QUADRAG.

Med. 112. — Oratio Christi in horto.

1. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste* (Matth. 26). — Haec prima orationis pars est. Orat ut homo, horrorem tam acerbae mortis professus. Forte etiam ex desiderio citius consummandae passionis: uti S. Catharinae Senensi est revelatum. Forte non rogat, ut calicem ipse praetereat: sed, ut ait Hilar. (cap. 34 in Matth.), *ut illud, quod ad se transit, in alios accedat; ut quomodo ab ipso bibitur, ita ab his bibatur.* Existima ergo illud tibi a Christo propinari. Dic fidenter: *Calicem salutaris accipiam.* Et quia, licet spiritus promptus sit, caro tamen infirma est, adde: *Et nomen Domini invocabo* (Psal. 115).

2. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (Ibid.). — Altera orationis pars est. Si petivit, ut homo, liberari ex morte, inefficaciter petivit, et nunc corrigit naturalem voluntatem, per voluntatem rationalem se divinae subjicientem. Si petivit amore citius patiendi, etiam in hoc se resignat. Si denique, ut etiam alii hunc calicem biberunt, quibus, qua mensura dandus sit Patri remittit. Disce inclinationem naturalis appetitus ratione corrigere: disce te in omnibus divinae voluntati commendare.

3. *Iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens* (Ibid.).. — Interrupit bis orationem discipulorum gratia, qui in suis periculis dormiebant, ut eos ad orationem et ad futurae pusillanimitatis remedium hortaretur. Alternat ergo studium orationis et charitatis. Sic agendum et tibi. Ubi inter homines comparueris, ad Deum redi. Ali-

quando et oratio abrumpenda, ut proximo succurras. Opera charitatis nobiliora sunt, quam pietatis. *Orat eundem sermonem tertio.* Non est inanis oratio, nec sterilis, in qua saepius eosdem affectus repetis.

FER. III HEBDOM. I QUADRAG.

Med. 113. — Agonia et sudor Christi sanguineus.

1. *Et factus in agonia prolixius orabat* (Luc. 22). — Lucta erat inferioris hominis timentis, et superioris absolute volentis, et sibi imperantis mortem. Disce hinc ratione et superiore homine semper luctari cum inferiore; et ea tibi negare, quae sunt sensus; ea velle, quae ratio dictat. Neque hoc languide, sed si opus sit, etiam cum agonia. Disce deinde quo magis tentaris, magis orationi insistere, ut Deum ad victoriam habeas adjutorem.

2. *Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (Ibid.). — Quo devenit mei causa miser Deus! Infirmitas mea est, et ut curer, medicus sudat. Clamabat vindictam terra animae meae ob peccata mea, nec aliud expectare poteram. Aspergit eam Jesus sanguine misericordiae suae, ut misericordiam clamet (Rupert. l. 12 de vict. Verb.). Misericordia! Misericordia, mi Deus! Plantaverat sibi vineam electam animam meam; sed quia facta erat sterilis et inutilis, rigat eam suo sanguine. O quantum me amasti, Deus meus! Quam parum tibi reddo! Tu sanguinem fundis, ego sudorem tibi negabo?

3. *Apparuit illi Angelus de coelo confortans eum* (Ibid.). — Hic est fructus productae orationis. Afflictus persevera in oratione: Deus velut

Angelum tibi mittet internam consolationem. Consolabatur autem eum, non instruendo, sed laudando ejus fortitudinem, sapientiam, obedientiam erga Patrem, charitatem erga homines, gloriam, quae ex passione redundabat in Deum, laetitiam, quae in Angelos, etc. Et Creator a creatura, quam humiliter accipit! Disce afflictos animos etiam laude solari. Disce minorum officia non superbe rejicere.

FER. IV HEBDOM. I QUADRAG.

Med. 114. — Christus ab oratione invisit discipulos.

1. *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* (Matth. 26). — Visitat Dominus Apostolos, ut videat, an vigilent et orent, ut mandaverat. Visitandi sunt subditi. Tu non aegre feras visitari. *Invenit dormientes.* Ingentia illa Petri promissa in somnum abierunt. Quoties et tua? Quoties tibi fastidiosum est una orationis hora cum Domino agere? Quoties nec una hora vigilas, ut attendas observationi propositorum? Si increparis, tace cum Petro. Qui alias ad respondendum promptus fuit, confusus tacet.

2. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Ibid.). — Periculum instabat, ne Judaeorum metu apostoli Christum negarent aut desererent. Ideo monet Christus vigilare et orare. En optima contra tentationes munimenta: vigilantia, seu attentio et oratio. Vigila attente, reflexe et cum consideratione operare. In multa impingis, quia inconsiderate agis et loqueris. Ora: *in tentationem*

vadit, qui ad orationem non vadit. D. Petrus Chrysol. (serm. 43).

3. *Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis : torum* (Ibid.). — Per ironiam *dormire jam* jubentur, quasi dicat: Monui vos tempore praevenire pericula : ecce jam *appropinquat hora,* qua tradar, et vos pro me stare oporteret ; quid agetis non praemuniti ? Noluistis mecum vigilare et orare: ergo vos vobis relinquam. O Domine, nunquam hoc mihi fiat, ut me mihi relinquas. Certus mihi hinc esset interitus. Volo ergo vigilare tecum et orare, ut tecum periculis obviare possim.

FER. V HEBDOM. I QUADRAG.

Med. 115. — Obviat turbis et satellitibus.

1. *Surgite, eamus. Ecce appropinquavit qui me tradet* (Matth. 26). — Verba sunt ad vincula et passionem anhelantis. Unde tam animosus modo ad praesentiam lictorum, qui paulo ante ad solam horum cogitationem *coepit taedere, et pavere, et moestus esse?* Agnosce vim orationis, et perfectae in voluntatem Dei resignationis. Hoc si utaris medio, obviabis intrepidus iis quae metuebas. Deficis enim in tempore tribulationis, quia ad eam te per meditationem non disponis, quia eam non accipis de manu Dei. Et ideo, dum appropinquat hora, tu fugis.

2. *Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit,* etc. (Ibid.). — Quo evasit indomita Judae passio? Ex avaritia fur, ex fure osor Christi, ex osore venditor, ex venditore proditor et

antesignanus sicariorum. Infelix homo, cui semel vel una passio dominatur! Non opus est multis, ut in ruinam eas. Vel una est nimium potens. Una convocat turbam. Applica securim ad radicem. Etsi religiosus sis, quod metuas habes: Judas *unus de duodecim* erat.

3. *Qui autem tradidit illum, dedit eis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum* (Ibid.). — Vide industriam malitiae. Praevidit non facile dignoscendum; scit eum evasisse aliquando volentibus eum lapidare, alias volentibus regem creare; ne et hic elabatur, monet ducendum caute. Utinam tu cum tanta cautela et reflexione operareris bonum! Utinam tu duceres eum caute, ne ex corde tuo eum perderes!

FER. VI HEBDOM. I QUADRAG.

Med. 116. — De osculo Judae.

1. *Et confestim accedens ad Jesum dixit: Ave Rabbi; et osculatus est eum* (Matth. 26). — Accedit confestim; quam impudenter, tam simulate; vultu hilari, animo venenato. *Cui lethales struebat insidias, illi salutem offerebat,* ait Vict. Antioch. (in Marc.). Vocat magistrum, a cujus discipulatu perfide recedebat. Osculatur, *ausus praecipuum dilectionis signum organum efficere diaboli* (S. Ambr. in c. 22 Luc.). Si vidisses haec, quid in verbis, in gestibus reprehendisses? Et tamen quantum malum! Non sufficit, u. exhibeas externa solum signa boni christiani aut religiosi. Vide, ne intus venenum lateat. Non reprehenderis quidem ab homine, sed a Deo judicaberis, cui omnia patent.

2. *Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti?* (Ibid.). — Amicum vocat, ut amicum faciat. Ad quid venerit, rogat, ut in se regressus cogitet, quam grande scelus moliatur. Oh infinita Dei misericordia, quantis non agis, ut peccatorem reducas! Non vocat latronem, sceleratum, sacrilegum. Non attendit, quid Judae scelus merebatur, sed quod suam decebat bonitatem. Si ita blanditur hosti, quid faciet fideli servo? Quomodo tu cum eo agis, a quo offensus es?

3. *Juda, osculo Filium hominis tradis?* (Luc. 22). — Quam belluam non emollirent hae voces tam amanter prolatae? *Vide misericordiam inenarrabilem!* ait Euthym. *Siquidem donec traditus est, fuit illi cura de proditore.* Adhuc tentat illi objicere enormitatem sceleris, ut cogitet, quid agat. Quid tu fecisses? Si Deus visibilis tibi peccanti dixisset: Quid agis? Filium hominis tradis? Resiliisses sine dubio. Sed, etsi non videas oculis, debebas videre mente, quando subibat cogitatio: hocne ages? Peccatum est, Deus offenditur. Et quoties hoc tibi in corde loquebatur? Quam vero tu fuisti obstinatus?

SABB. HEBD. I QUADRAG.

Med. 117. — Manifestat se Christus turbis et satellitibus.

1. *Jesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum processit* (Jo. 18). — Advenerant cum furore turbae, jam fixerat osculum Judas: non irruunt tamen, ut designaverant, sed stant immotae: *Et Judas stabat cum ipsis.* Non poterant, quia nondum Jesus permittebat. Ideo processit ad

eos. Ostendit, quidquid eveniet, se posse quidem declinare, sponte tamen et libere passurum; immo se illa ipsa magno animo adire. Imitare exemplum. Patientia coacta non est filiorum Dei. Ad ardua qui non procedit, etiam venientia fugit.

2. *Et dixit eis: Quem quaeritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum... Ut ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* (Ibid.). — Quaerit, et quidem iterato, non ut sciat, qui scit omnia: sed ut respondeant: *Jesum Nazarenum*, et ex dignitate personae agnoscant immanitatem sceleris. Oh bonitas Dei tot artibus nos quaerentis! Agnosce tu personae illius dignitatem, non tantum ut non offendas, sed ut impensius eum quaeras. Qui Deum non quaerit, seipsum perdit. Ad unam vocem: *Ego sum*, et non minacem, non fulmineam, *cadunt retrorsum*. Ita tractantur, qui Deum quaerunt, ut perdant. Quid fiet, quando in judicio voce illa tonabit: *Ego sum*, quem tu tam indigne tractasti? Stude ergo tu eum quaerere amore et obsequio.

3. *Si ergo me quaeritis, sinite hos abire* (Ibid.). — 1. Prodit curam ac sollicitudinem, quam de suis habet, ne perdat ex eis quemquam. Si tantam curam paucorum habuit, crede non minorem habiturum tot millium fidelium. *Quod in paucis factum est, quomodo in pluribus negligetur?* ait Cyrill. Alex. (lib. 11, c. 34). *Et qui tam paucorum in tali tempore curam habuit, quomodo innumerabiles fideles non proteget?* Et tu ergo in protectione ejus es. Confide quod te perditum non volet, nisi teipsum perdas. 2. Consulit eorum famae, quos fuga dilapsuros praevidet, ut honeste abiisse videantur. Quomodo tu alterius defectus tegis?

DOMINICA II QUADRAG.

Med. 118. — Petrus defendit Christum.

1. *Petrus habens gladium eduxit eum, et percussit pontificis servum* (Jo. 18). — Facta licentia injiciebant manus in Christum satellites. Petrus ex zelo, sed indiscreto, defendendi Christum, injussus, auctoritate propria, gladio ferit; quare et se et alios ac ipsum Christum graviori periculo exponebat, unus contra omnes. Quam bonus est zelus, tam necessaria est discretio. Etiam bonorum affectuum nimia vehementia est temperanda. Zelus charitati est jungendus, ne ira fiat aut vindicta. Si zelum defendendi honoris Dei profiteris, in teipsum exhibe. Invenies multa, quae ferias. Rescinde, quod Deo non est honori.

2. *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* (Ibid.). — Increpat et docet Petrum, se calicem passionis, etsi adferatur ab hominibus tamquam ministris, a Patre accipere tamquam a primo porrigente, cujus providentia gubernantur omnia. Non dicas: hic aut ille me affligit, deprimit, honorem meum vulnerat, etc. Calicem hunc ille tibi porrigit, qui Filio suo longe majorem dedit. Furaris Deo gloriam, si creaturae tribuis, quod Dei proprium est. Ille est, et nemo alius, *qui deducit ad inferos et reducit.* Solatio sit illud, quod qui dat calicem Pater sit tui amantissimus, qui per eum non nocere vult, sed prodesse: forte ut tamquam medicus amara potione morbum tollat.

3. *Et cum tetigisset auriculam ejus* (Malchi), *sa-*

navit eum (Luc. 22). — Dominus quasi quadam teneretur restituendi obligatione, damnum, quod suus minister fecit, resarcit. Sanat vulnera ejus, qui venerat vulnera illaturus. Reddit pro malis bona, et quoties tibi? *Erudiens nos, quod in persecutores nostros beneficos nos esse oporteat*, ait S. Jo. Chrysost. (hom. 82 in Jo.). 2. Sanat auriculam, necessarium fidei ac per consequens aliis illapsibus divinis instrumentum. Oh si sanet interiorem tuum auditum, ut sanctis illius inspirationibus intendas!

FER. II HEBDOM. II QUADRAG.

Med. 119. — Comprehensio Christi et fuga discipulorum.

1. *Dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis* (Matth. 26). — 1. Jam jam in dignissime vinculandus et raptandus nihil non suae congruum benignitati profert. Sensum gravissimum insinuat, quod tamquam latro tractetur, qui praedas non egit alias, quam animarum daemoni ereptarum. Utinam anima mea sit praeda tua! En habe illam. 2. Ostendit eorum ingratitudinem, qui haec reddunt sublimi suae doctrinae in templo traditae, quam et ipsi toties sunt admirati. Quae tu reddis Deo tibi per inspirationes loquenti? Ostendit se non eorum vi, sed sponte capi, quando vult. Et ideo jam capiendum, quia *haec est hora vestra* a Patre decreta, qua me trado in manus vestras. Ita solvit iniquitates meas, quibus ego me in manus daemonum consignavi.

2. *Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum* (Ibid.). — Irruunt in agnum crudeles lupi. Expende saevitiam. Tradunt, vellunt, verberant, prosternunt, raptant, conculcant : manus, collum, pectus funibus et catenis stringunt. Vis causam? Christus Dominus *spiritus oris nostri captus est in peccatis nostris* (Thren. 4). Tu funes texuisti, tu catenas fabricasti peccatis tuis. De te queritur. *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (Ps. 118). Sed time. Erit tempus, quo fortis Samson disrumpet vincula, et tum : *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere aget* (Ps. 93). Ergo tu impone vincula manibus tuis, ne eas extendas ad iniquitatem.

3. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt* (Ibid.). — Silent jam voces illae : *Eamus et nos, ut moriamur cum eo* (Jo. 11). Et illae : *Etiamsi oportuerit me mori*, etc. *Omnes* nullo, nec tam zeloso quidem Petro, aut dilecto Joanne excepto, *relicto eo*, Domino, Magistro suo, *fugerunt*, ut suam cutem periculo eriperent. An se magis ipsos, an magis Christum amaverint, hinc conjice. Primus ad deserendum Christum stimulus est amare seipsum. Disce tuo ipsi fervori ac propositis non fidere. Saepe in arena deficis, qui antea tot tibi victorias de te ipso pollicebaris. Resolutiones factis proba.

FER. III HEBDOMAD. II QUADRAG.

Med. 120. — Jesus primum ad Annam deducitur.

1. *Et adduxerunt eum ad Annam* (Jo. 18). — Quod in hoc itinere factum est, sanctius affectu prosequeris, quam discursu. Quam aliud est hodie

Jerosolymam ingredientis spectaculum, quam nuper! Quam variabilis est hominum sensus, a laetitia in furorem, a laudibus ad contumelias, ab obsequiis ad opprobria! Et confides in homine? Quidquid molestiarum corpori, quidquid injuriarum honori excogitare poteris, id Domino majestatis illatum crede. Compatere, te causam agnosce, dole. Et dum ad omnia silentem Jesum contemplaris, disce sancto silentio longe minores tibi illatas, aut forte tantum apprehensas injurias decoquere.

2. *Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus* (Ibid.). — Reus et sceleratus Judicem examinat. Stat modestissimus Judex ante reum. Qua superbia! Quibus sannis et irrisionibus interrogatur! Quomodo ejus doctrina eluditur! Deus ab hominibus, justus a peccatoribus judicatur. Sit ergo et *mihi pro minimo*, si ab hominibus, *judicer* (1 Cor. 4). Meretur, ut judicia me meliorum tolerem, qui innocens tulit judicia iniquorum. *Charitas*, quae *patiens est et omnia suffert*, praestabit, ut non dejiciar.

3. *Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo... et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt* (Ibid.). — Duo interrogatus, de discipulis et doctrina; ad primum tacet, quia discipuli ob suam fugam non erant ei honori: bonum de iis de praesenti non potuit dicere, malum non voluit. Disce hinc caute loqui de proximo. Tace quod non est pro ejus commendatione. Vide, ut non sis confusioni tanto tuo Magistro. Ad doctrinam vero suam exculpandam allegat publicam famam libere et sine metu: *Ego palam locutus sum*. Hoc audet,

qui testimonium habet bonae conscientiae. Poteris et tu hoc semper, si ita opereris tamquam in publica omnium luce.

FER. IV HEBDOMAD. II QUADRAG.

Med. 121. — De alapa Christi.

1. *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* (Jo. 18). — Considera gravitatem injuriae. Percutit vilis homo: percutitur Dei Filius: alapa immani, et, ut pie creditur, ferrata manu, ab ingrato Malcho, cui paulo ante aurem sanaverat, ut habet S. Jo. Chrys. (hom. 82 in Joan.) in faciem, in quam desiderant Angeli prospicere: in consessu principum et sacerdotum, ob responsum mite, verum et reverens: laudatur percussor, irridetur percussus. Nec ulciscitur tamen Dominus, qui potest. Cogita terrenum regem sic a mancipio tractari: quod ferrum, qui rogi, quae rotae non expedientur? Oh bonitas! Oh patientia Jesu mei! Et ego verbum quodvis, aut minimam confusionem longe majores meritus tam fastidiose fero?

2. *Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis?* (Ibid.). — Loquitur Dominus ad alapam, qui ad flagella, ad spinas, ad clavos siluit. Docuit istis silentio commendari patientiam: illo vere patientiae laudi nihil demi, si responsio sit mollis et humilis, qualis erat Christi. Alterutrum horum serva, si injurias afficieris. 2. Bene loquitur Dominus, et caeditur; solvit delicta linguae meae. Dum male loquor, merito mihi objicit: *Quid me caedis?*

3. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem* (Ib.). — Hic cogita (ut superius, feria 3, puncto 1) omnia illa injuriarum genera Christo illata in itinere ad Caipham. Vide confusionem Christi, affectus, quibus omnia Patri offert, pro salute tua. Compatere: tibi indignare, qui causa es omnium. Dole, gratias age, etc.

FER. V HEBDOMAD. II QUADRAG.

Med. 122. — De falsis testimoniis contra Jesum.

1. *Principes autem sacerdotum et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent* (Matth. 26). — Principalis eorum intentio erat Jesum occidere: altera vero non incurrere apud populum notam, quod Jesus non sit justo judicio occisus. Igitur quaerunt falsa testimonia, qui falsa arcere debebant: *Insidias suas tribunalis schemate palliantes,* ait Vict. Antioch. (in c. 14 Marc.). Quam multa virtutis praetextu palliantur! Non tu idem quandoque facis? Non rerum colore contentus minus curas de substantia? Deponetur aliquando operum tuorum velum, et apparebunt quid sint.

2. *Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent* (Ibid.). — O quam innocens est vita Jesu mei! Non tantum crimen non inveniunt malitiosi homines, sed nec umbram criminis in Christo. Bene Orig. *Adversus Jesum nec color inveniebatur, qui posset adjuvare mendacia: adeo munda fuit vita Jesu et omnino irreprehensibilis.* Oh si vita tua foret talis, ut falsus accusator fratrum nihil in te inveniret, quod peccati speciem

haberet! Si jam migrandum esset, putasne nihil inveniret ?

3. *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur*? (Ib.). — Admirare silentium Jesu, quod ipse iniquus judex est admiratus. Quaere causam : Quare siles, mi Jesu ? 1. Non egent responso testimonia, quae seipsa conficiunt. *Et non erat conveniens testimonium illorum* (Marc. 14), quae moribus et vita satis refutantur. Vide quam vitae probitas sit firma defensio. Et frustra excusas te verbis, ubi te facta accusant. 2. Christus suo silentio satisfacit pro stultiloquio Adae, quo excusavit peccatum suum (Genes. 3. Ita S. Hier. in c. 14 Marci). Et tu illi silentium indicis, si te reum excusas, ut nocens innocens videaris.

FER. VI HEBDOMAD. II QUADRAG.

Med. 123. — Adjuratur Christus a Caipha, et condemnatur blasphemiae.

1. *Et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus : Tu dixisti : ego sum* (Matth. 26, Marc. 14). — Amorem veritatis praetexit sacerdos, reipsa calumniam quaerit. Si taceat Christus, arguetur Dei contemptor: si neget, seductor et deceptor populi: si affirmet, blasphemus. Non fuisset difficile Christo hinc evadere. Affirmat tamen se Dei Filium, qui ad alia siluit; etsi sciat se inde damnandum morte. Vide quanta libertate Deum confiteri oporteat, ejusque periclitantem honorem tueri. Sepone illusionis et

tuorum incommodorum metum, cum de Deo aut virtute agitur. Hac prodita, quid prodest vivere?

2. *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli* (Ibid.). — Duplicem suum adventum insinuat: alterum in carne humilem, dum se *Filium hominis* vocat: alterum in majestate ad judicandum, ut meminerint superbi sacerdotes, se ab illo judicandos, quem nunc tam impie judicant. Tunc ille sedebit in virtute, isti stabunt in trepidatione. Qui judicas fratrem tuum inique, memineris te olim aeque judicandum. Ne formides in nube Judicem, ama fratrem, qui ejus personam hic sustinet. Ne timeas sedentem a dextris, fratrem tuum ne tractes sinistre.

3. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit... Quid vobis videtur? At illi... dixerunt: Reus est mortis* (Ib.). — En iterum pietatis specie velatum crimen. Dolorem ostendit pontifex, discissis ex more gentis vestimentis suis ob auditam, ut praetexebat, blasphemiam. Melius scidisset corda sua quam vestimenta. Unus, quod sanctissime dictum, blasphemiae insimulat, omnes sententiam succlamant: *Reus est mortis*. Ne tu olim esses in judicio, Deus pro te factus est reus. Quos existimas, animi sensus Christo fuisse? Eos tu imitare, dum dicta factaque tua suggillantur.

SABB. HEBDOMAD. II QUADRAG.

Med. 124. — De injuriis ea nocte a Christo toleratis.

1. *Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum caeciderunt* (Matth. 26). — Gravissimum con-

tumeliae genus est, faciem alicujus conspuere. *Respice, Domine, in faciem Christi tui.* Agnosce figuram substantiae tuae. Hic est Filius tuus, quem gloria et honore coronasti. Mea haec inventa sunt. Faciem Christi conspui, quoties animam peccato maculavi. Creata haec est enim ad imaginem Dei. Sine, Domine, abstergam haec sputa: abstergam minimas maculas animae meae. Discam quoque te imitari, si quis in faciem meam conjecerit calumniam. Satis haec me convincit ratio: tu exemplo praeivisti.

2. *Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus, et interrogabant eum dicentes: Prophetiza* nobis, *quis est, qui te percussit?* (Luc. 22). — Ignorantiam appingunt sapientiae. Quomodo hoc tu ferres? Et quis tu? Quis Deus? Videri se non credunt a Deo, qui scrutator est cordium. Sic praetendis nequitiae velamen coram hominibus, et non coram Deo. Videt ille, et indicare posset percussorem. Quid tu murmuras, si tangeris? Quin et tu Deum percutis et tacet. Differt, ut resipiscas. Id nisi facias, dicet aliquando: Tu me percussisti illo peccato, illo loco, illo tempore. Quid dices qui irrisisti? Deus videt et judicat.

3. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum* (Ibid.). — Cogita, quidquid excogitare potes injuriarum a petulantissima turba, volente principibus placere, vino aestuante, a daemone instigata, nullius honorati viri praesentia coërcita. Non defendis te, mi Jesu? Et ita te in manus peccatorum tradis? At ego ne in tuas quidem me resigno. Vero hoc tam necessarium est, quam salutem velle. At nunc in manibus tuis ero. Si me percusseris aliena lingua factoque, non recedam a te.

DOMINICA III QUADRAG.

Medit. 125. — De prima negatione Petri.

1. *Petrus autem sequebatur eum a longe* (Matth. 26). — *Sequebatur*, hoc amoris erat: *a longe*, hoc timoris. Fervorem jam timor infregerat, et ad languorem sequendi deduxerat. Hic mali principium. Tantum accedis ruinae, quantum de fervore serviendi Deo remittis. Quo lentius tu pergis, hoc longius a te recedit, quem sequeris. Quotidie ergo in novitate spiritus ambulandum.

2. *Erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se* (Jo. 18). *Petrus vero sedebat foris* (Matth. 26). — En fructum lentae sequelae. 1. *Stat*, et tandem eo devenit, ut a coepta virtute desistat: 2. *Sedet*, et quasi conquiescit in suo torpore. *Calefacit se*, quia extremo frigore corripitur, et quasi gelatur anima, relicto Deo. Haec te non invitant ad fervorem spiritus? Sed hunc ut foveas, noli te miscere turbae, aut sociis, qui Deum non sapiunt. Periculum quantum sit, Petrus doceat. At: *Qui amat periculum, peribit in illo* (Eccli. 3).

3. *Et accessit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Jesu Galilaeo eras. At ille negavit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis* (Matth. 26). — 1. Adeo nefarius homo est Jesus, ut indignum ducat Apostolus, quem profiteatur? Inter alios Apostolos existens Petrus Jesum Filium Dei vivi professus est: inter sceleratos consistens dissimulat nosse. Ecce dissolutorum commercium, quo deducat. 2. Ad ancillae vocem cecidit Petrus.

Per ancillam delectamenta sensuum intellige. Turpiter labitur, qui ista audit. De hujus veritate te ipsum quaere.

FER. II HEBDOMAD. III QUADRAG.

Med. 126. — De secunda et tertia negatione Petri.

1. *Vidit eum alia ancilla, et ait:... Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento: quia non novi hominem* (Matth. 26). — Negationi secundae juramentum addit. Ita via per unum peccatum ad gravius sternitur. Minora cave, ne in graviora incidas. Dictum veritatis est: *Qui spernit modica, paullatim decidet* (Eccli. 19). Non nosti hominem, Petre, qui te erexit in fluctibus? Quem confessus es Filium Dei? Cujus tot spectasti miracula, etc.? Quam, facile mutamus consilia! Dum fervet spiritus, ad mortem pro Christo aspiramus: dum tepet, mollis ancilla aut levis tentatio nos prosternit. Nemo sibi fidat, sed cum timore et tremore quisque salutem suam operetur.

2. *Qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es... Ille autem coepit anathematizare et jurare, quia nescio hominem istum* (Marc. 14). — Quam gravi ruina collapsa est Ecclesiae columna! Haec est sibi praefidentium poena, ut sibi relicti discant quam parum possint. Sta ergo in timore: alias *cito subvertetur domus tua* (Eccli. 27). Ut modicum dedecus declinaret Petrus, Christum negavit. Quoties tu ob talem metum, seu ob respectum humanum idem fecisti, si non verbo, certe facto; erubescendo virtutis operationem? Time illud: *Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet* (Luc. 9). Tam pudor boni est malus, quam pudor mali est bonus.

3. *Et continuo gallus cantavit: et recordatus est Petrus verbi Jesu... et egressus foras flevit amare* (Matth. 26). — O misericordia Dei infinita! Adhuc loquente, et verba negationis proferente Petro, eum respicit. Quasi suarum aerumnarum oblitus in salutem servi intendit; qui ipse eum vel maxime affligebat. Quoties, Domine, cum mihi irasci poteras, es misericordiae recordatus! Suggessisti ad resurgendum media, dum laberer! Et te non amem, o bone Jesu? Sed non satis amo, nisi injurias tuas doleam, nisi defleam. Incipiam ergo cum Petro flere, et nunquam desinam.

FER. III HEBDOMAD. III QUADRAG.

Med. 127. — Christus deducitur ad Pilatum.

1. *Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent* (Matth. 27). — Tertium hoc est consilium pejus prioribus. In primo non omnes consensere, in secundo dubitatum est, in tertio in unam mortis sententiam conspirant omnes. Sic eunt per gradus etiam scelera. Tu primum cave, in secundum non ibis. Consentit impiis, qui cum illis in concilium vadit; passiones suas qui consulit facile assentitur, et quidem contra Jesum. De mane fit hoc consilium. Filii tenebrarum confundunt filios lucis, qui minus vigilant, ut Jesum servent, quam illi ut perdant. Tu mane consilium ini cum potentiis tuis, quomodo Jesu servias, vel perdas passiones, quae Jesum perdunt.

2. *Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum* (Luc. 23). — Parum aut

nihil dormivit turba illa, quae totam noctem impendit illusionibus Christi: odio tamen Christi et amore placendi principibus digerit incommodum, vigiliarum. Tantane tibi est promptitudo ad serviendum ac placendum Christo? *Surgit omnis multitudo.* Cur tu, cum omnes de mane vigilant ad fores sapientiae aeternae, indulges superfluo somno? Mane exit Christus ad opus suum, quod ei Pater imposuit; exi et tu ad tuum.

3. *Et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur* (Jo. 18). — O scelesta religio! *Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutientes!* (Matth. 23). Legalem et externam magis puritatem curant, quam internam: quasi scelus sit intrare praetorium ethnici, quod lex vetabat, et nullum sit scelus Christum occidere. Rupertus hic: *Contaminari exterius cavetis introëundo in praetorium, et intus horribiliter pollui non timetis tractando homicidium?* Talis est christianus, qui solum curat exterius videri bonus, non intus esse. *Quid facient, cum inspicere coeperit Dominus?* (Eccli. 2).

FER. IV HEBDOMAD. III QUADRAG.

Med. 128. — Desperatio Judae.

1. *Tunc videns Judas... quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos... dicens: Peccavi tradens sanguinem justum* (Matth. 27). — Tradens Christum non credebat damnandum, sed evasurum per miraculum. Secus evenit. Nunc demum gravitatem sui delicti agnoscit. Imaginem habes hominis, qui scelus antequam committat, leve quid aestimat; postquam commisit, videt

suam miseriam. Ita diabolus excaecat, ut pecces; oculos aperit, ut desperes. Non peccasset Judas, si ad illud attendisset: *Amice, ad quid venisti?* Non peccares, si prius conscientiam, aut Dei inspirationes audires.

2. *At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris* (Ib.). — D. Pasch. (l. 12 in Matth.) ait: *haec irridentes et insultantes* dixisse. Haec est merces eorum, qui, ut hominis gratiam ineant, Deum offendunt, ut ab ipsismet, quorum causa peccarunt, irrideantur et despiciantur. Tu pluris aestima gratiam Dei, etsi perdenda sit hominum. Si hominibus placere velis, Dei servus non eris. 2. Sacerdos anxium poenitentem non ita rejice, ne desperet.

3. *Et Judas projectis argenteis in templo recessit: et abiens laqueo se suspendit* (Ibid.). — Ecce quo recidit Christi Apostolus! Quis credidisset modici pretii avaritiam hunc exitum sortituram? Ita invalescit omnis passio, nisi in principio suffocetur. Ideo vigila et time teipsum. Omnis mali tenue est principium.

FER. V HEBDOMAD. III QUADRAG.

Med. 129. — Adducitur Christus ad Pilatum.

1. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras et dixit: Quam accusationem affertis adversos hominem hunc? Responderunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (Jo. 18). — Orditur consilium bene ab interrogatione. Sed quia cum turba luctatur, vix eluctabitur. Quae Christi sunt, non sunt tractanda cum turba nostrarum affectionum. His adversus virtutem numquam dee-

rit querela. 2. *Bene omnia fecit* (Marc. 7) *et malefactor* dicitur. O ingratitudo! Carperis, si bene feceris? Inspice tui Jesu patientiam et humilitatem. Nihil regere, nec quaere, ut de te dicatur: *Bene omnia fecit,* nisi a solo Deo. 3. *Malefactor* non unum sceleris genus, sed omne complectitur. Et hoc Dei Filius? O injuria inaudita! Adora ejus innocentiam. Gaude si bona, quae feceris, improbentur. Sic propior Christum imitaberis.

2. *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos et secundum legem vestram judicate eum* (Ib.). — Quae est iniquitas, inimici et accusatoris libidini accusatum relinquere? Quis Christi despectus? Quasi is ille sit, cujus nemo dignetur esse Judex? Compatere despecto Jesu. *Dixerunt ergo ei Judaei: Nobis non licet interficere quemquam.* Et tamen interficitis odio et lingua, qua caedem ejus poscitis? Quae ista sanctitas vestra? Deus non irridetur. Videt, quod latet in corde, etsi opere non patretur. Dicam ego, quoties passio suggerit factum Deo injuriosum: Mihi non licet interficere Jesum; amabo eum et reverebor.

3. *Coeperunt autem illum accusare dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram* (Luc. 23). — 1. Qui venit de stercore erigere, qui mundavit leprosos, sanavit aegros, obedire superioribus docuit, est hoc subvertere, an componere? 2. *Prohibentem tributa dare Caesari,* qui aperte jusserat *dare Caesari, quae Caesaris sunt.* 3. *Dicentem se regem esse,* qui, ne rex crearetur, fugerat. En quam falsa crimina proferuntur! Audit Christus: non interrumpit: non excusat: non regerit iniquae turbae. Itane tu agis cum oggerente defectum? Itane cum optimo superiore te com

monente? Da te Jesu convertendum: praebe illi tributum cordis tui. Adora et venerare regem tuum.

FER. VI HEBD. III QUADRAG.

Med. 130. — Christus a Pilato examinatur.

1. *Jesus autem stetit ante praesidem* (Matth. 27). — Quis? Universorum conditor Deus, judex vivorum et mortuorum. Coram quo? Coram scelerato judice. Cujus rei causa? Quaestioni subjectus, quasi reus sententiam expectans. Huc ergo se demisit summa sanctitas et innocentia? Et quousque tuam non deprimis superbiam? Stat Jesus: qua confusione? Qua tamen animi constantia? Qua modestia? Qua submissione? Qua in judicem, licet improbum, reverentia? Disce, quid te agere oporteat, dum confunderis, dum stas ante superiorem te corripientem.

2. *Et interrogavit eum praeses, dicens: Tu es Rex Judaeorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis* (Ib.). — Joco et per ludibrium quaesivit praeses: serio et ex veritate respondit Christus. Crede hunc tu, et universi et animae tuae Regem: huic te, huic obsequia perpetua devove. Et ausus es tu perduellis alium regem animae tuae admittere, aut dicere: *Nolo hunc regnare super me?* Ausus es tamquam regi tuis depravatis affectibus servire? Heu quam saeve dominati sunt! Nunc iis renuntia: dic fidenter illis: *Non serviam: dirumpam vincula eorum et projiciam a me jugum ipsorum.*

3. *Respondit Pilatus: Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti?* (Joan. 18). — Respondebo ego pro te, mi Jesu! Fecit omnia, et

nihil. Quae bona sunt et sancta, ab ipso facta sunt. Circumspice omnia. Quae mala sunt et perversa, nec ab ipso nec in ipso sunt. Pro te scio respondere. Sed si tu ex me quaeras, *quid fecisti?* hic haereo et confundor. Video enim quam abusus sim talentis a te mihi datis! Quam per meam negligentiam inanis in me fuerit gratia tua! Ne mihi olim dura accidat illa quaestio: *Quid fecisti?* antequam quidquam faciam, ex me sollicite quaeram: Quid facis?

SAB. HEBD. III QUADRAG.

Med. 131. — Continuatur idem examen

1. *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo* (Joan. 18). — Non negat se regem mundi, sed negat se eo modo, pompa et armorum apparatu regnare, quo reges mundi. Quae ergo illius regnandi ratio? Paupertate, contemptu, obedientia, humilitate, cruce. His fecit, ut omne sibi genu flecteretur. Flecto et ego. Agnosco te regem meum in vilitate tua. Hanc pro te amplector. Non potest esse vilis, qui similis tibi est.

2. *Dixit ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego* (Ib.). — Iterum se regem confitetur quaesitus. Constantia et veritas semper idem loquitur. Et ego te regem credo et confiteor: et dicam semper: *Rex meus et Deus meus es tu.* Si invadat animae dominatum passio, dicam: *Rex meus es tu.* In hoc natus sum et ego, ut factis perhibeam testimonium huic veritati; et constanter praebebo.

3. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit* (Ibid.). — 1. Salutaris

est quaestio Utinam expectaret responsum. Et tu frequenter quaere: *Quid est veritas?* Sed et responsum attende. Multa tibi movet amor proprius, animorum magus: multa Deus de abnegatione, de contemptu tui, etc. Quaere: quid est veritas? Depone larvam rebus: attende veritatibus practicis. 2. Cavet *transitorium fervorem, qui bona desiderare incipit*, sed mox iterum exit, *et in mentis proposito non persistit* (Ugo Victor).

DOMINICA IV QUADRAG.

Med. 132. — Ultimo accusatus ad Herodem mittitur.

1. *Exivit ad Judaeos, et dixit: Ego nullam in eo causam invenio* (Jo. 18). — Hoc innocentiae debebatur testimonium. Quid enim reatus inveniret in eo, qui peccatum non fecit, nec facere potuit? At ego multam in eo moriendi causam invenio; quia scio, quod *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* (Is. 53). Video in eo delicta mea, quae mortem merentur. In me culpa est, in illo amor et poena. Detestor quod ego feci: amo, quod ille fecit: gratias ago. Non addam posthac causae, quam imposui, sed demam.

2. *Et accusabant eum summi sacerdotes in multis... Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus* (Marc. 15). — In multis? Fidem auctoritate faciunt, non probatione. Et tacet Jesus non ex necessitate, sed ex virtute. Gravissima innocentiae defensio est silentium, cum vita loquitur. Sic vive, ut, etsi dici possint multa, probari nihil possit. Te silente peroret vita.

3. *Ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem* (Luc. 23). — Nec damnare voluit, quem non poterat; nec absolvere, quem debebat. Timebat Dominum liberare: voluit seipsum a causae cognitione liberare, parum sollicitus quid Domino fieret. Amor proprius est iste, qui relinquit causam Dei, ut suam agat. Quis vilior, tu aut Deus? Si alterutrius agenda sit causa, quem postpones? Agenda est autem pene quotidie.

FER. II HEBDOM. IV QUADRAG.

Med. 133. — Christus ab Herode illuditur.

1. *Herodes, viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum;... et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri* (Luc. 23). — 1. Quare nullum miraculum edis, Jesu, illi, qui tanto tui tenetur desiderio? Non est desiderium pii affectus, sed curiositatis (S. Gregor. in c. 31 Job). *Non quaerebat profectum, sed signa vel scientiam mirari.* Vide, ne per meditationes, aut pios libros magis quaeras scientiam, quam affectum. 2. Non edit miraculum Dominus, quia ut ait Ambros. (l. 10 in Luc.) *jactantiam declinabat.* Qui multa te scire putas, hoc quoque disce, te non jactare. Argumentum parvitatis est, velle magnum videri.

2. *Interrogabat eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat* (Ibid.). — Miraculum petitur; editur, et non agnoscitur. Inter calumnias et criminationes tacet Jesus. Hoc magnum miraculum est, quod mundus non vidit. 2. Uno signo edito potest lucrari regis ac totius aulae gratiam: non edit. Hoc alterum miraculum est. Potes et tu

talia patrare prodigia. Contemptus tace, inter irrisiones tace, ama Christi amore confundi ac deprimi, et rem stupendam patrasti. Fuge magnorum gratiam et miraculum edidisti.

3. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo; et illusit indutum veste alba* (Ib.).— 1. Usque ad stultitiae nomen et insignia humiliatur aeterna Dei sapientia, ut mea curetur superbia, qui nimis sollicite aestimari quaero. Agnosco tuum in me amorem, quo fatuus videri voluisti. Fac, ut ego tua hac stultitia infatuer, qui stulta mundi elegisti. 2. Vestis alba innocentiae tuae testis est. Haec ipsa est, quam ego in paradiso perdidi. Tu eam reperisti ut mihi restituas per gratiam. Gratias tibi, Domine. Conservabo eam in puritate, ut decenter indutus admittar ad nuptias Agni.

FER. III HEBD. IV QUADRAG.

Medit. 134. — Barabbae postponitur.

1. *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum?* (Matth. 27). — Confertur impietas sanctitati, scelus innocentiae, sanctus latroni, Deus peccatori, quem seraphino contulisse grandis foret injuria. Exaequationem aliquam habet omnis comparatio. Unde tantum dicitur Christus non esse pejor deterrimo. Semel a Pilato hanc injuriam tulit Jesus, a te toties, quoties amorem creaturae illius amori opposuisti, quoties non minus pensi habuisti, cupiditatibus tuis obsequi, quam legi Dei. Quid egisti?

2. *Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam* (Ibid.). — Barabbas patronos habet, Jesus neminem. Tu

patronum age illius, quem advocatum habebis apud Patrem. Tu defende virtutem in omni occasione. Persequere Barabbam. Dic animae tuae: Crucifigatur Barabbas, passio mea pessima mortificetur, pereat; vivat Jesus in anima mea.

3. *Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam* (Luc. 23). — Si conferre Christum Barabbae grandis fuit injuria, quanta erit huic eum nebuloni posthabere! Summus Deus patitur se infimo loco haberi; et indignabitur pulvis, si humiliori officio applicetur? Indignaris insanae turbae? Et cur idem facis, quoties praeponis ea, quae sunt carnis, iis quae sunt spiritus, mundi honorem honori Dei, judicium tuum, judicio superiorum? Non est haec palmaris injuria?

FER. IV HEBD. IV QUADRAG.

Med. 135. — Pilatus cedit furori plebis.

1. *Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu? Dicunt omnes: Crucifigatur* (Matth. 27). — Qui nimium turbae cessit, jam dominatum perdidit. Ex plebis insolentia evasit timidus praeses, ex timore praesidis plebs audacior, ut jam timeret ille innocentiam absolvere et sententiam rogaret a furente. Compatere Jesu tuo in tanta ignominia. Disce turbae sensualitatum ne in minimo cedere; alias fiet insolentior voluntas ad bonum debilior. Quaere ex te: Quid ergo faciam de Jesu? Responde: Eripiam eum tot injuriis, impediendo, ubi potero, omne peccatum; amabo illum, quantum isti oderunt; honorabo, quantum dehonorarunt.

2. *Videns autem Pilatus... quia magis tumultus fieret... lavit manus dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis* (Ibid.). — Multa tentavit Pilatus, ut Jesum furori plebis eriperet: sed in omnibus simul seipsum quaesivit, et superavit causa propria causam Christi. Frustra jam lavat manus, qui cor inquinavit. Et quod modo sit caedis innocens, qui, ut avertat tumultum, occidit innocentem? Disce 1. Depurare amorem Dei et amore proprio non miscere. In eo, quod pro Deo agis, non respice tua commoda: alias huc omnino deflectes. 2. Non esto meticulosus in causa Dei contra turbam passionum: alias tibi saepe imperabit. 3. Non rejice in alium culpam, quam tu patrasti.

3. *Et respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (Ibid.). — O divine sanguis; quam contemptim haberis! Quasi nemo te sit unquam requisiturus! Quasi non sis clamaturus in coelum melius, quam sanguis Abel! Sed habent, quam sibi sollicitarunt, poenam Judaei. Dicam ego suavius: *Sanguis ejus super me,* in quo dealbem animam meam, et *super opera mea,* quae semper uniam sanguini et meritis Christi.

FER. V HEBD. IV QUADRAG.

Med. 136. — Christus flagellis caeditur.

1. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit* (Jo. 19). — Diritatem supplicii ex delicati corporis sensibus, ex instrumentorum pondere tae culeis, ex tortorum immanitate, ex plagarum

numero argue. Sed omnia tormenta superabat confusio ex nuditate castissimi Jesu. Compatere dilaniato Christo. Agnosce te horum causam. *Nam supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (Psalm. 128). Disce te libenter submittere percutienti manui Dei, qui pro te se libenter submisit manibus lictorum, et dic cum eo: *Ego in flagella paratus sum* (Psal. 37).

2. *Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit.* — Expende virtutes praecipuas a Christo in flagellatione exhibitas. 1. Amorem nostri eximium: *Qui multa flagella peccatoris* (Ps. 31), quae merueramus, in se suscepit. Duris amorem proba. 2. Humilitatem ex vilitate supplicii, quod erat solum mancipiorum. Hinc Is. 53: *Vidimus eum... despectum et novissimum virorum.* Mensura tuam humilitatem, an usque ad novissimum descendat. 3. Invictam fortitudinem et patientiam (Laur. Justin.). *Tamquam gigas imperterritus stetit.* Quomodo tu stas in adversis? (Tertull. de pat. c. 3): *Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Quid tu ad ictum vel unius verbi agis? (Ambros. serm. 17 in Ps. 118): *Calumniis appetitus silentium detulit triumphale.* Potesne et tu silere? 4. Laetam suae voluntatis cum divina conformationem. *Conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia* (Ps. 29).

3. *Et flagellavit eum.* — Considera, quod refert S. August. (serm. de Pass.) motum diritate supplicii lictorem quemdam aliis inclamasse: *Numquid interficitis eum non judicatum?* Et vincula quibus ad columnas stringebatur, praesecuisse; Jesum vero prolapsum in suo sanguine volutatum. Accede et tu collige sinu ejus sanguinem, ut nec

tuis, nec alienis pedibus amplius proculcetur. Et dum pro te flagellatum cogitas Jesum, noli corpus tuum molliter ac delicate tractare.

FER. VI HEBD. IV QUADRAG.

Med. 137. — Jesus spinis coronatur.

1. *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei* (Matth. 27). — Rex Regum et Dominus Dominantium, ut rex jocularis habetur, purpura primum, quae erat regni insigne, induitur. Sed ab hoc exuerunt eum, detrahendo cum violentia vestes, quae toti corpori adhaerebant, non sine ingenti dolore. Et quae confusio iterum nudo Jesu in conspectu impurorum militum! Induitur deinde purpura ad ignominiam. Ita est. Christo est ignominiae, quidquid mundo est honori: Christo est honori, quidquid mundo est ignominiae. Elige prudenter, tene constanter.

2. *Et plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput ejus* (Ibid.). — 1. Siccine gloria et honore coronasti eum, Domine? Ita est. In regno Christi non aliae sunt coronae, quam quae pungunt. 2. Exi, et vide Regem tuum in diademate, quo tu eum coronasti. Tu coronasti te rosis, Jesu tuo solas spinas reliquisti. 3. Tu pupugisti ejus caput cogitationibus ac judiciis tuis. Agnosce, deplora, compatere Jesu tuo, et audi dicentem tibi: Non agnosco sub spinoso capite membrum delicatum.

3. *Et arundinem in dextera ejus* (pro oculari sceptro). *Et genuflexu ante eum illudebant ei dicentes; Ave, Rex Judaeorum* (Ib.). — *Et dabant ei alapas* (Jo. 19). — *Et expuentes in eum,*

acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus (Ibid.). — Expende haec ludibria. Inspice affectus Christi. Compatere amantissimo Regi. Dica ei opera tua et obsequia. Da te tamquam arundinem in manu ejus. Genu flectens adora eum : Ave, Rex meus. Deterge sputa. Excipe aut ejus loco, aut pro eo, si non alapas, alias occurrentes injurias.

SABB. HEBDOM. IV QUADRAG.

Med. 138. — Ecce homo.

1. *Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam* (Jo. 19). — Accede et tu ad hoc spectaculum. Cognosce, quod nulla sit in eo causa, sed in te; ille vero causam tuam ex amore in se susceperit. Vide si illa est facies, quae in monte Thabor refulsit. In externis est *opprobrium hominum et abjectio plebis* (Ps. 21). In internis *speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44). Cogita hanc tibi imaginem proponi, ut vitam tuam ad eam conformes.

2. *Et dicit eis: Ecce homo* (Ibid.). — Pilatus Judaeis, ut misericordia moti, desistant ejus mortem postulare. Cogita tibi ab aeterno Patre dici : *Ecce homo ;* qui hactenus jacebas paralyticus, et hominem non habebas, hic hominem vides, qui omnes tuas infirmitates curabit. Huic tu illas humiliter expone. In homine confide ; caeterum in nullo, ne tibi aliquando exprobret: *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum* (Ps. 51). Ecce *homo* qui in te, ut in *latrones incidit*, et despoliasti eum, et *plagis impositis* abiisti, et *semivivum* reliquisti. Ecce *homo,* quem unum et semper aspicere debes in omnibus operibus tuis.

3. *Cum ergo vidissent eum Pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum* (Ibid.). — Nondum satiata est crudelitas. Addunt clamoribus rationes: *Secundum legem debet mori* (Ib.). Quare? *Quia Filium Dei se fecit* (Ib.). Ergo, si Filius Dei esse vis, debes mori? Ita omnino. Vetus homo mori debet, ut vivat novus. Inclama ergo tibi: Crucifige veterem hominem cum concupiscentiis suis.

DOMINICA V QUADRAG.

Med. 139. — Iterum Pilatus pro tribunali sedet.

1. *Cum audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit; et ingressus est praetorium iterum, et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei* (Joan. 19). — Considera: 1. timorem Pilati. Desiderabat Christum dimittere, quem innocentem agnoscebat, sed timebat tumultum populi. Nunc quia audivit, quod se Filium Dei fecit, et vidit opera ejus a dicto non dissonare, magis timet, forte Filium Dei condemnare. Ideo quaerit: *Unde es tu?* Si primo statim rescidisset hunc timorem, non tam periculose luctaretur. Qui semel cedit passioni, semper fortiorem experitur. Tu principiis obsta. Quaere et tu: Unde es? ut bene Deum noveris. 2. Nihil respondit ei, ne dimitteretur liber. Tantum te amavit! Tantum opus salutis nostrae, quod susceperat, perficere desiderabat!

2. *Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et...*

dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper (Ibid.). — Ecce iterum superbia opprimit lumen, quod habebat de Christo dimittendo. Ita de una passione in aliam fit saltus et una alteram juvat in ruinam. 2. Expende responsum Christi. Applica illud tibi in omni adversitate. Verum enim est, quod nulla in te possit quidquam, nisi datum sit illi desuper. Agnosce proinde omnes ex alto venire, quamvis Deus ad eas inferendas creatis instrumentis utatur.

3. *Pilatus quaerebat dimittere eum. Judaei autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris* (Ibid.). — Violenta haec est machina. Ne perdat amicitiam Caesaris, Deum perdit. Quam inique! Quam praepostere! Timuit, ubi non erat timor. Quotidianum hoc est, forte et tuum. Deum contemnimus ut hominem amicum conservemus. Expende, quam hoc iniquum sit.

FER. II HEBDOMAD. V QUADRAG.

Med. 140. — Pilati in Christum sententia.

1. *Et dicit Pilatus Judaeis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum* (Joan. 19). — Agonizat frigida defensio, quia adhuc clamores turbarum admittit, et auscultat. Non bene satis a passione te tueris, si ei auscultas. Semper illa clamabit, ne meliori assentiaris, sed commodiori. Agnosce tu Regem, quem tollendum illi clamant. Exhibe cor tuum ut illi solium. Roga, ut hic imperet.

2. *Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus*

regem, nisi Caesarem (Ibid.). — Oh caecitas! Caesarem agnoscunt regem, a quo spoliabantur sua libertate: Christum, qui venerat, ut eos in libertatem assereret, rejiciunt. Quoties tu tyrannum animi colis, Christum despicis? Illius suggestiones velut imperia audis, et hujus contemnis? Dic potius: Non habeo regem, nisi Jesum Christum.

3. *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur* (Ib.). — Considera: 1. Injustam sententiam; quia judex cum toties innocentem agnovit et tamen condemnat. 2. Crudelem, quia *Jesum... tradidit voluntati eorum* (ut ait Luc. 23), furentium scilicet, et capitalium inimicorum. 3. Cogita Jesum hanc sententiam non tam a praeside, quam ab Aeterno suo Patre decretam in mundi salutem accepisse. Discam me libenter tradere voluntati Dei, qui se tam prompte *tradidit voluntati eorum*.

FER. III HEBDOMAD. V QUADRAG.

Med. 141. — Crucis bajulatio.

1. *Et bajulans sibi crucem exivit* (Joan. 19). — Considera: 1. Quam suavi affectu diu desideratam crucem sit amplexus: sane majore, quam Andreas suam; cupiens in ea delicta nostra portare. Quam gravem tu eam tuis reddidisti! Admirare ejus affectum, et gratias age: detestare tuum, qui injuncta officia quereris esse supra tuas vires. 2. Non absterret eum infamia crucis, quae erat supplicium latronum: non pondus debilitato corpori admodum grave. Haec sunt, quae te plerumque terrent. At non est infamia sequi Jesum. Defectum virium supplebit ipse; vel etiam succubuisse erit gloriosum.

2. *Exeuntes invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus* (Matth. 27). — Etsi violenter particeps factus infamiae Simon, accepit gratiam illuminationis, et deinde gloriae. Si hoc dedit Jesus angariato, quid dabit volenti? Associa te, aut subi vices Simonis. Non deterreat te pondus, non hominum judicia, non confusio. Si compateris, et conregnabis.

3. *Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum* (Luc. 23). — 1. Quam diversis affectibus! Aut ut crucifigant, aut ut irrideant, aut ex curiositate, aut ex humana familiaritate: nemo, ut *tollat crucem suam, et sequatur* eum (Matth. 16). Vide, ut tu hoc eum affectu sequaris. 2. Semel susceptam crucem constanter tulit usque ad montem Calvariae. Et licet tot per viam difficultates, ob pondus, debilitatas vires, confusionem, irrisiones, etc., occurrerent, non tamen dimisit. Disce non ad horam tibi portandam esse crucem, sed tota vita.

FER. IV HEBDOMAD. V QUADRAG.

Med. 142. — Crucifixus Jesus.

1. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere* (Matth. 27). — Dulcedo cordium potatur felle. Gustavit, ut suum etiam palato daretur tormentum. Noluit bibere, ne amaricarentur viscera, quae sunt misericordiae. Vinum dat mundus, sed nunquam purum. Id, quod delectat, permiscet felle. Ah! noli bibere; quia *in novissimo mordebit ut coluber* (Prov. 23). Vinum non bibitur, quia felle mixtum.

Displicent optima, quia mixta pessimis. Intentio mala, optima opera depravat. Sic ista age, ut nihil taedii, nihil simulationis, nihil commodi, aut amoris proprii admisceas.

2. *Ibi crucifixerunt eum* (Luc. 23). — l. S. Ambr. (in c. 23 Luc.) ait: *Nudus crucem ascendit: talis ergo ascendat, qui saeculum vincere parat, ut saeculi adjumenta non quaerat.* Nihil in mundum attulit, nihil aufert pauperrimus Jesus. Non amat crucem, qui non amat paupertatem; quia in ea nemo, nisi nudus, digne pendet. 2. Cogita violentiam, qua manus, pedesque trahuntur, dolorem ex trajectione clavorum; et patere te per obedientiam trahi, loco, et muneri etiam arduo, ac tibi difficili applicari. 3. Cogita, Christum egisse Aeterno Patri gratias pro illa hora, qua consummaturus erat opus: obtulisse se in sacrificium pro mundi, ac nominatim tuis peccatis. Quid vero tanto amori rependes, quo dilexit te, et tradidit semetipsum pro te?

3. *Et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum* (Joan. 19). — Hoc ad majorem ignominiam spectabat, ut pejor pessimis latronibus crederetur. Cogita tria genera crucifixorum: pessimus unus, alter conversus, tertius ipsa innocentia et Dei Filius. Quandoquidem sua justis et injustis crux est, noli crucifigi ut latro, aut sceleribus ansam dare cruci; noli violenter, ac proinde sine merito. Crucifigere cum Christo sponte, cum gaudio et ex obedientia.

FER. V HEBDOMAD. V QUADRAG.

Med. 143. — Sortes in vestes, titulus et blasphemiae.

1. *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa* (Joan. 19). — Divisa primum est exterior Christi vestis in quatuor partes. Interior et inconsutilis servatur integra. Vestes Christifideles sunt. Scinduntur, qui corpori Christi non penitus adjacent. In quo non est fundamentum amoris Dei, non est etiam amor proximi: qui adhaeret Deo, adhaeret et proximo per charitatem. Quoties quod non ausi sunt Judaei, ausus es tu, et vestem hanc charitatis christianae descidisti? Dic in posterum: Non scindam eam.

2. *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum* (Ib.). — Morienti titulus datur ab ipsis hostibus, qui datus est nascenti a tribus Magis. Sic potestas ejus, et imperium firmatur. Sed heu! Non agnoscitur Rex ab iis, qui erasum hoc nomen volunt. Erit tamen mihi Jesus et Salvator. Erit mihi Nazarenus et floridus, ac in ipsis tormentis amabilis. Erit mihi Rex, cui me devoveo: nec alium anima mea Dominum admittet: ut nunquam discedam, Christo configar cruci, clavis timoris, amoris et mortificationis.

3. *Blasphemabant* eum (Matth. 27) exprobrantes impotentiam salvandi seipsum, praesumptam regis dignitatem, fiduciam vanam in Deum, inanem Dei filiationem. Hae omnes calumniae extinguentur, si descendat de cruce. Ita enim ajunt: *Descendat nunc de cruce et credimus ei* (Ib.). Sed frustra.

Immo, quia Filius Dei est, non descendit de cruce. Filiorum Dei est, in cruce suscepta constanter perseverare, ac mori, tum continua sui ipsius mortificatione, tum quotidiana vocationis suae confirmatione.

FER. VI HEBDOMAD. V QUADRAG.

Med. 144. — Primum et secundum Christi verbum in cruce.

1. *Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt* (Luc. 23). — Loquitur in causa aliena, qui semper tacuit in sua. Et prima causa non est amantissimae Matris, sed crucifigentium. Expende verba. *Patris* nomen usurpat, ut ad pietatem moveat, moneatque esse Patrem non tantum bonorum, sed etiam malorum; et se omnium fratrem. *Illis:* non definit praesentes crucifixores, sed etiam futuros, scilicet omnes peccatores. Quid non speres, qui te non excludi vides? *Non sciunt quid faciunt.* Excusat quod potest, per ignorantiam: quia vere *omnis peccator ignorans est,* nec aestimat peccati gravitatem. Offensus quid tu agis? Ora pro persequentibus. Ignosce illis. Excusa et tu, quoad potes.

2. *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum* (Ibid.). — Latro bonus reprehendit socium blasphemantem, confitetur peccatum suum, dat testimonium innocentiae Christi, credit Christum esse Deum et plenus spe eum orat: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* 1. Quid non potest uno pene momento Dei gratia acceptata? 2. Non petit latro liberationem a cruce, sed sui memoriam. Satis illi provisum est, cujus

Deus meminisse dignatur. 3. Duo sunt ad latus Christi. Unus convertitur: quis non speret? Unus damnatur: quis non timeat, etiamsi sit apud Jesum?

3. *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso* (Ibid.). — Quae benignitas Jesu! Plus exhibet, quam petatur. 1. Quod promittit, non differt. *Hodie.* 2. *Mecum:* quod solatium esse cum Jesu? In paradiso cum illo esse et tu desideras? Sed esto prius in cruce. *Ad magna praemia perveniri non potest, nisi per magnos labores* (S. Greg. hom. 37 in Evang.). Si compassus fueris, conregnabis.

SABB. HEBDOMAD. V QUADRAG.

Med. 145. — Tertium verbum ad Matrem et ad Joannem.

1. *Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus* (Jo. 19). — Quis putas fuerit dolor sanctissimae Matris, quae unice diligebat Filium? Jesu, quem non ignorabat Deum, et hominem? *Juxta:* quae oculis suis inspiciebat; *crucem:* tormenta et infamiam supremam. Et tamen *stabat*... et ipsa animo filium pro mundi salutem offerebat. *Stantem lego, flentem non lego* (ait D. Ambr. in c. 23 Luc.). *Stare namque* (addit Amadeus hom. 5 de Martyr. Virg.) *in illa cordis amaritudine, magnae adscribitur constantiae.* Disce I stare in adversis. 1. Mente, et ratione. 2. Voluntati constanti. 3. Etiam infracto exercitio. Disce II nihil creatarum rerum, etiam spiritualia solatia, ita amare, quin, si Deus velit, si expediat pro aliorum salute, perdere velis.

2. *Cum vidisset Jesus Matrem et discipulum stantem, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus* (Ibid.). — Sui loco relinquit Matri Joannem.

Sed quae comparatio utriusque? Quale solatium. Loco Dei purus homo. Non est dubium, Beatissimam Virginem in Joanne semper speculatam esse Christum. Disce et tu in proximis agnoscere Christum, firmior inde erit charitas: praesertim vero in superioribus, exactior erit obedientia. Sed cur Joannes Matri? 1. Privilegio virginitatis hoc tribuit Theophylactus: Virgo virgini Virginem commendavit. 2. Quia ipse quoque ad crucem stetit: *Usque adeo bonum est,* inquit ille, *stare apud patientem Christum. Nam in fraternitatem ejus ducit.* En quibus frater Christi, quibus Virginis filius evadas. Pulcri tituli hoc constant pretio.

3. *Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua* (Ibid.). — 1. *Vocatus a Christo reliquit patrem. Huic traditur Virgo, qui suos nescit* (S. Ambros. in exhort. ad Virg.). Quod tibi solatium esset, si ea tibi in Matrem daretur! At fieri potest, si amore Jesu tuos nescias, et carnalem ad eos affectum exuas. 2. Fieri potes frater Jesu, et hinc Mariae filius, si exacte te voluntati Dei accomodes: *Quicumque fecerit voluntaten Patris mei... ipse meus frater... est* (Matth. 12). Accipe ergo illam in tua, et dic: *Monstra te esse Matrem;* sed vicissim tu monstra te esse Filium.

DOMINICA PALMARUM

Med. 146. — Quartum et quintum Christi verbum.

1. *Circa horam nonam clamavit Jesus voce magna: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Matth. 27). — *Vox ista non querela, sed doctrina est* (S. Leo): erudiens nos eo usque devenisse

Christi dolores, ut noluerit eos etiam interna Dei assistentia mitigare. Et tu quot solatia, non tantum a Deo, sed a creaturis mendicas? *Magnum est, et valde magnum* (ait Thom. a Kemp. l. 2, c. 9), *quam humano, tam divino posse carere solatio; et pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere, et in nullo seipsum quaerere.*

2. *Ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio* (Joan. 19).— 1. Sciebat omnia se implevisse, quae de se erant in Scriptura, hoc unum deesse: *In siti mea potaverunt me aceto* (Psal. 68). Hoc ergo implere voluit. Vide quam ad omnem obedientiae apicem attendat Christus. 2. Magna evacuatio sanguinis magnam sitim creabat. Sed major erat sitis plura patiendi. *Habuit aliam sitim, puta amplius patiendi, atque evidentius suum nobis amorem demonstrandi* (Blos. in expl. pass. c. 18). Oh si dares animam tuam, quam eum reficeres! Examina tuum in Deum et salutem proximorum amorem. Quid pro iis tolerare desideras?

3. *Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus* (Ibid.).— 1. Aceto modico, et hyssopo reficitur exhaustus et moriens Deus. Habes in mediis etiam laboribus frangendi appetitus exemplum. Non aestima lautiora tibi deberi. In schola Christi minus illi debetur in hoc mundo, qui plura praestat. Servus Christi nunquam vult indulgentius haberi. 2. Acetum dant sitienti Deo, qui optimos dies transigunt in mundanis et carnalibus; senium vero tamquam faeces aetatis Deo dare volunt. 3. Vas aceto plenum, sunt corda amaricata, et plena rancoris, aut impatientiae. Evacua hoc vas, et imple suavi vino charitatis.

FER. II HEBDOMAD. MAJORIS

Med. 147. — Sextum et septimum Christi verbum.

1. *Consummatum est* (Jo. 19) quod Pater mandavit, quod ego suscepi peragendum. Divinum est coepta perficere. Modica laus est incoepisse, maxima perfecisse. Non qui coepit, sed qui perfecit, praemium capit. Quam multa tu ordiris? Quam pauca ad finem deducis? Imitare Dei tui constantiam, ut et tu dicere possis hora suprema: Consummatum est, quod Deus jussit per praecepta, quod suscepi per consilia, quod jubent regulae, quod monuit gratia. Quam felix tunc eris! Sed quam longe adhuc abes!

2. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (Luc. 23). — Expende verba. *Pater:* fiduciae et amoris verbum est. Non bene id usurpas, nisi vivas ut filius amans, reverens, obsequens. *In manus tuas*, in quibus una est quies et securitas. Ut in illis sis in aeternum, conjice te in illas, dum vivis, perfecta tuae voluntatis in divinam resignatione. *Commendo spiritum:* non corpus. Hoc in lectulo Crucis jam quiescit. Disce spiritus majorem habere curam, quam corporis. Ut autem spiritus secure transeat in manus Dei vide, ut corpus semper sit in Cruce. Hic solus tutus est transitus, alius omnis periculosus.

3. *Et inclinato capite tradidit spiritum* (Jo. 19). — O sublime mysterium! Deus moritur. Hoc assequi non potes, nisi prius discas quid amor possit. Et pro te moritur. Vide homo, quanti sis pretii apud Deum. Vere dixit Apóstolus: *Empti... estis pretio magno* (2 Cor. 6), morte Christi. Quid

rependes, ne sis ingratus? Et tu spiritum tuum superbum, inclinato per humilitatem capite, trade. 2. Inclina caput tuum per obedientiam usque ad migrationem spiritus. 3. Inclina cor tuum *ad custodiendas justificationes tuas* (Ps. 118).

FER. III HEBDOMAD. MAJOR.

Med. 148. — Prodigia in morte Christi.

1. *Ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum* (Matth. 27).— 1. Ut significaretur morte Christi antiquam legem esse rescissam. Operetur in te hoc ipsum mors Christi, ut vetus lex, quae est lex membrorum, in te rescindatur. Efficacissimum argumentum occidendi veterem hominem est Jesus occisus. 2. *Scissum est*, ne sancta amplius obumbrarentur. Frivolae rationes sunt vela quaedam, quibus divina obvelamus. Scindantur illae, ut ista melius perspicias. Nonne iis saepius tui animi oculus fuit impeditus?

2. *Terra mota est, et petrae scissae sunt* (Ibid.). — Haec sunt signa condolentis naturae. Pudeat hominem non tantum dolere mortem Christi, quantum elementa senserunt. *Terra es:* jam pridem tibi dictum: quia terram amas, Deus mortuus est. Hic succuti debes, et quidquid terrenum excutere. Condolere non potes, nisi amas: amare autem Jesum non potes, si praeter Jesum aliud amas. *Petra es,* vel gravis pondere peccatorum, vel dura tui judicii ac voluntatis obstinatione. Si mors Christi penetrat, discindere contritione.

3. *Et monumenta aperta sunt* (Ib.). — 1. Ostenditur, quod Christus mortem nostram moriendo destruxerit, dum per eum juri mortis ipsi mor-

tui eripiuntur. Hoc quoque operetur in te mors Christi. Aperiatur et denudetur penitus sepulcrum tuae conscientiae ei, cui debes. 2 Aperiatur sepulcrum dealbatum, simulationis, ut appareas, quod es, non quod fingis. 3. Aperiatur sepulcrum malarum consuetudinum, easque omnes emittat, ut posthac ambules *in novitate vitae* (Rom. 6).

FER. IV HEBDOMAD. MAJOR.

Med. 149. — Varii diversorum affectus in morte Christi.

1. *Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat* (Marc. 15).— 1. Ex elementorum trepidatione suboritur in centurione timor, ex timore altior ad horum auctorem cogitatio: hinc cognitio, et tam nobilis confessio. Quot alii spectarunt idem, sed immoti? Mirabilis Deus in flectendis cordibus. Tu interim disce ex iis quae fieri vides in natura, cogitationem ad omnium auctorem erigere, eum confiteri et magnificare. 2. In ipsa vilitate passionis, Deum confitetur: quid isthic divinum vidit? Certum est, si quid in te divinum sit, id in adversitate, in contemptu potissimum elucere et probari.

2. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur* (Luc. 23). — Plebs aliquem animi motum prodidit, non Principes sacerdotum. In superbos et obstinatos vix cadit aut raro bonus affectus. Ex illa tamen plebe nemo confessus est Deum. 1. Quia *aderant* solum tamquam *ad spectaculum*. Unde tam rarus tibi,

aut tepidus ad passionem motus? Forte quia eam ut spectaculum meditaris, non ut bonitatis, amoris ac misericordiae argumentum. 2. *Revertebantur*. Vidisse, et abiisse quid juvat? Perseverandum est ad crucifixum, et saepius hoc objecto pascendus animus.

3. *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres... haec videntes* (Ib.). — Hae teneris lacrymis mortem Jesu deplorabant. Non probo, quod a longe: cominus spectanda est Christi mors. Petrus, quod a longe secutus sit, cecidit. Nolim a Jesu procul abesse. Etsi vero non prope, *stabant* tamen, ut et viderent Jesum, et a vivo adhuc viderentur. *Stabant* constantia, videbant contemplatione: accedebat animus, quo non penetrabant corpora. Persevera in assidua tibi repraesentatione vitae et mortis Christi.

FER. V HEBDOMAD. MAJOR.

Med. 150. — Lancea latus ejus aperitur.

1. *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura* (Joan. 19). — Opinioni Judaeorum praemortuus est Jesus: forte indignati illi, quod amplius saevire non possint ad sensum. Dei in nos amor acceleravit mortem, ut opus redemptionis nostrae citius perficeret. Quam felix tu! Si, cum daemon, aut malignus homo te quaerat affligere, jam tibi, mundo et concupiscentiis tuis per solidam abnegationem mortuus inveniaris! Hic modus est conservandi ossa integra, hoc est soliditatem virtutum. Alias sine mortificatione nulla virtus est solida.

2. *Unus militum lancea latus ejus aperuit* (Ib.). — Patet amoris ostium, omnium dolorum scaturigo. Vide quantis tu cor illud doloribus affeceris, quam illud peccatorum tuorum veneno infeceris, quantum ille te amaverit! Vide quantis amoris characteribus ille te in libro filiorum Dei descripserit! Pedes dedit peccatoribus, ut Magdalenae (Luc. 7) : manus amicis, ut Petro (Act. 3) : cor dat Filius Dei, quibus dicit Isaias: *Ad ubera portabimini* (c. 66). Hic memento ingratitudinis tuae, amoris sui. Aspice eum nunc cum amore, ne olim videas cum tremore, *in quem transfixisti.*

3. *Et continuo exivit sanguis et aqua* (Ibid.). — Opportuna salutis nostrae remedia, Ss. Sacramenta, quibus et ablueremur a peccatis et adornaremur gratia. An et hoc parvum amoris signum est? Quantum vero illud? Usque ad ultimam guttam sanguinem pro te dedit. *Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur* (Euseb. Gall. hom. 6 de Pasch.). Quam liberalis in te est Deus! Quam tu parcus in illum, ut pro tanto sanguine nec lacrymam stilles!

FER. VI HEBD. MAJOR. (PARASCEV.)

Med. 151. — Contemplatio crucifixi Jesu.

4. *O vos omnes qui transitis per viam ; attendite et videte si est dolor sicut dolor meus* (Thren. 1). — Considera tormenta Christi : 1. In corpore : *Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea* (Psalm. 21). *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas* (Is. 1). 2. In animo ex contemptu sui : *Subsannaverunt me subsannatione* (Ps. 34). *Factus sum in deri-*

sum omni populo meo, canticum eorum tota die (Thren. 3). Ex infamia crucis cum latronibus: *Et cum sceleratis reputatus est* (Is. 53). Ex defectu compatientis, aut consolantis: *Non est qui consoletur* eum *ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt* eum, *et facti sunt ei inimici* (Thren. 1). *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni* (Ps. 68). Ex ingratitudine hominum et parvo fructu suae passionis: *Quae utilitas in sanguine meo?* (Ps. 29). *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?... Expectavi, ut faceret uvas et fecit labruscas* (Is. 5).

2. *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?* (Zach. 13). — Quaere ita ex Jesu tuo, et respondentem audi: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me* (Ibid.). Agnosce infinitum amorem: *Inspice caput hoc inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Haec quanta sint, cogitate; haec in statera vestri cordis appendite; et totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fuit affixus in cruce* (S. Aug. lib. de Virg.). *Vere dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis* (Eph. 5). Illud a te quaeri existima. *Simon Joannis, amas me?* (Jo. 21). Et responde toto affectu: *Domine, tu scis quia amo te* (Ibid.).

3. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est* (2 Cor. 5). — Hunc ex Christi morte fructum trahe. Non tibi, non commoditati, non delectationi, non honori vive, aut actum ullum impende. Te et tua illi debes. *Non estis ve-*

stri? Empti enim estis pretio magno (1 Cor. 6). *Quid ergo retribuam Domino* (ait Bernardus tract. de dilig. Deo), *pro omnibus, quae retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se: et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, et redditus, me pro me debeo et bis debeo. Quid Deo tribuam pro se?*

SABB. SANCTO HEBDOMAD. MAJOR.

Med. 152. — Depositio corporis Christi de cruce et sepultura.

1. *Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu* (Matth. 27), *occultus tamen propter metum Judaeorum* (Joan. 19), *audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Jesu* (Marc. 15). — 1. Patibulatum corpus Jesu unus tantum petit. Quam pauci amant Jesum crucifixum! 2. Ante ob metum latebat, jam pendentis Jesu se declarat discipulum. Hic fructus passionis est. In te vacuam non credam, si in confusione et vilitate Deum agnoscas et sequaris; idque audacter nulla veritus pericula praestes.

2. *Venit autem et Nicodemus... ferens mixturam myrrhae etc.* (Joan. 19). — 1. Duo ergo ex omnibus discipulis sunt, qui in crucifixum Jesum testantur affectum. Aude tu tertius esse. 2. Expende officia, quae Christo exhibent. Deponunt corpus de cruce, aromatibus condiunt, involvunt sindone et suis humeris viri nobiles eum, qui tam infamis habitus fuit, deportant. En quam contempto Christo nobilitatem suam subjiciant, ut tu eidem contempto non neges tuam vilitatem. Exhibe eadem officia in Christi membra, seu proximos,

depone de cruce afflictos solatio spirituali, condi aromatibus, sive cura illorum famae, involve sindone silentii eorum defectus.

3. *Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra: et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti* (Matth. 27). — Sepelis in corde Christum, quoties sumis. Haec ergo observa. Sit sepulcrum novum, in quo non sit ullus alius positus sinister affectus: sit in lapide immobilitatis et constantiae: advolve saxum efficacium propositorum; circumda custodiam sanctarum cogitationum, etc.

DOMINICA RESURRECTIONIS

Med. 153. — De resurrectione Christi.

1. *Resurrexit tertia die secundum Scripturas* (1 Cor. 15). — Succedunt laeta tristibus. Deus ita constituisse videtur, ut per aspera eatur ad amoena. Christus gloriae resurrectionis praemisit 33 annos durae vitae, tres dies acerbissimae passionis. Sic ergo et tibi eundum ad gloriam. Si commortuus fueris, et convives.

2. *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi* (Psal. 3). — Anima Christi reunitur corpori, ut quod socium fuit passionum, esset et resurrectionis. In momento recedunt livor et vulnera; accedunt decor et gratia, quo tam corporis quam animae illius gaudio? Quibus Patrum e limbo eductorum affectibus, fidei, spei, charitatis gratulationis? etc. Accede ad Christum paribus: et ut gaudium tuum sit plenum, unire et tu tamquam

membrum corporis Christi illius animae per amorem.

3. *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* (Rom. 6). — Recipis fructum resurrectionis Christi, si ambulas in novitate vitae: sed non ambulas in novitate vitae, nisi occidas veterem hominem. Sicut non est ingressus ad vitam aeternam, nisi per mortem naturalem; ita nec ad novam perfectamque vitam ingredieris, nisi *spiritu facta carnis mortifices.*

FER. II HEBDOMAD. RESURR.

Med. 154. — De dotibus corporis gloriosi.

1. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione* (1 Cor. 15). — Prima corporis gloriosi dos est, qua et mortis, et morborum, ac vulnerum immune redditur. *Mors illi ultra non dominabitur* (Rom. 6). Quibus mediis ad hanc evasit Christus? Patiendo, et moriendo. Huc tu evadere debes, ut nec in prosperis, nec in adversis ullo pravo affectu corrumparis. Ad hoc vero expende, quam necessarium sit mortificationis studium omnibus Jesu Christi discipulis.

2. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (Ibid.). — Secunda dos est subtilitas, qua corpora dura, et aliis corporibus resistentia penetravit. Tu penetra omnes difficultates, et impedimenta in via virtutis. *Omnia* potes *in eo, qui* te *confortat* (Phil. 4). Sed ad hoc quoque opus est, ut seminetur animale, et proprii commodi studiosum.

3. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*

(Ibid.). — Tertia dos est agilitas, qua se, ubi volebat, momento praesentem sistebat. An ita tu agilis ad inspirationes divinas? An ad nutus superiorum? An ad progressum in via virtutis? An ad seminandum in infirmitatis tuae cognitione, et abjectione tui?

4. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria* (Ibid.). — Quarta dos claritas, qua longe supra solem resplenduit. *Sic luceat lux* tua *coram hominibus, ut videant opera* tua *bona* (Matth. 5). At non erit, nisi semines in ignobilitate et abnegatione tui.

FER. III HEBDOMAD. RESURR.

Med. 155. — De vulnerum cicatricibus in glorioso corpore reservatis.

1. *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?* (Zach. 13).— Ideo in glorioso corpore retenta vulnera, *ne causam ipsam gloriae obscuraret lux gloriae* (Euseb. Emiss. hom. 10 de Pasch.). Voluit in aeternum constare, se per vulnera emisse gloriam. Si hoc est gloriae pretium, quid ego olim ostendam, qui pati detrecto? *Christum oportuit pati et ita intrare* (Luc. 24). Ergone mihi alia via pingetur?

2. *Non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te* (Isaiae 49). — Altera retentarum cicatricum causa est, ut sint Christo memoriale sui in nos amoris, pro quibus ea pati voluit; et in iis legat pretium nostrae salutis, pergatque adhuc nos amare, qui tanto illi constamus. Ergo tui memoriam in aeternum vult habere Jesus. Recordare et tu Salvatoris tui. At non saepe recordaberis,

nisi obliviscaris creaturarum, quae memoriam Dei impediunt.

3. *Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt* (Apoc. 1, 7). — Tertia causa est, ut olim damnandis ea ostendat, exprobret saevitiam eorum, qui eum peccatis suis crucifixerunt; ingratitudinem, qui tanto amori non correspondderunt. Item, ut ea ostendat Beatis in aeternum, et gaudeant de tanto amore, qui per cicatrices elucet. Quomodo tu eas aspicies? An cum confusione? An cum gaudio?

FER. IV HEBDOMAD. RESURR.

Med. 156. — Apparet sanctissimae Matri suae.

1. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (Joan. 14). — Manifestasse se Christum Matri, non tradunt Evangelistae, at certum creditur; quia eam prae caeteris dilexit: et prae caeteris ab ea diligebatur. Amans ut ad centrum, properat ad amatum. Nondum sentis tibi per sancta lumina manifestari Jesum? Forte non satis amas. Amantibus se manifestat Jesus.

2. *Secundum multitudinem dolorum meorum... consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* (Psalm. 93). — Cogita, quae fuerit Virginis viso Filio consolatio. Ut eam assequaris, magnitudinem doloris in passione habiti expende. Ad mensuram doloris datur consolatio. Quantam tu sperare possis, ex mortificationis et toleratae afflictionis magnitudine collige.

3. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (Cant. 5). — Cogita quod fuerit expectantis

Virginis desiderium; qui jam Christum aspicientis affectus, demissionis, devotionis, adorationis, gratulationis de exantlato tanto opere; gaudii de triumpho resurrectionis, amoris, etc., qui omnes ex ferventi in Jesum desiderio nascuntur. Non experiris, hos in te? Excita fervens videndi et cognoscendi Dei desiderium: sequentur reliqui.

FER. V HEBDOMAD. RESURR.

Med. 157. — Sanctae mulieres tendunt ad sepulcrum Domini.

1. *Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quae paraverant, aromata* (Luc. 24). — Cogita harum studia. 1. Emunt aromata. Jam non habebant amplius, quod posset vanitati servire. 2. Conficiunt unguentum, etsi scirent jam a Josepho et Nicodemo unctum, spectantes non quid ab aliis factum sit, sed quid a se fieri deceat. 3. Valde mane exeunt, non citra incommodum tenebrarum; et forte insomnem noctem transegere ob dolorem. 4. Veniunt ad monumentum sine metu custodum. Amor enim eas urgebat. Vere amas Jesum, si haec ei obsequia praestas.

2. *Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem?* (Marc. 16). — Expendunt difficultatem, quae obviat suscepto operi: agnoscunt vires sibi ei superandae non suppetere. Non cedunt tamen, sed pergunt. En constantia in bono, fiducia in Deo nata ex amore. Usurpa tu hanc saepe reflexionem: quis revolvet mihi lapidem hujus tentationis, difficultatis, impedimenti? Ne imparatus retunda-

ris. Fide Deo, ubi tu deficis et susceptum opus constanter urge.

3. *Et ecce terraemotus factus est magnus* (Matth. 29), *et respicientes viderunt revolutum lapidem* (Marc. 16). — En ut divina providentia constantiam et fiduciam juvat! Terrae motu revolvitur lapis, fugantur custodes, qui opus meditatum impedire potuissent. Ita serio Deus ad se tendentibus adest: tollit impedimenta externa aliorum hominum, aut circumstantiarum, interna malorum habituum et consuetudinum, fugat daemones inimicos. Expende quoties id sis expertus; et persevera in bono, confide in Deo.

FER. VI HEBDOMAD. RESURR.

Med. 158. — Sanctae mulieres de resurrectione Christi ab angelo informantur.

1. *Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos; scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis* (Matth. 28). — En alterum timentibus, sollicite tamen Deum quaerentibus solatium! Sed cur non timeant terrae motum, angelum aspectu fulguris? Quia Jesum quaerunt crucifixum. His sua Deus mittit solatia. At carebis illis, dum tēipsum, dum creaturas, dum aliud praeter Jesum et hunc crucifixum quaeres.

2. *Non est hic; surrexit enim, sicut dixit* (Ibid.). — Quaerunt Jesum in tumulo. Dolere poterant, quod hic non esset; sed si sui Jesu bonum amabant, gaudere debebant, quod gloriosus surrexerit. Ubi tu Jesum quaeris? In tuis commoditatibus? In creaturis? In sensuum oblectamentis? Quoties respondent tibi divina lumina:

non est hic? Quoties frustra et damno tuo quaesivisti? Et nondum desistis?

3. *Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus* (Ibidem). *Et ingressae non invenerunt corpus Domini Jesu* (Luc. 24). — Amor erat, quo Jesum quaerebant, sed adhuc sensualis, ut eum viderent, tangerent, ungerent. Ideo non invenerunt. Puro quaerendus amore est. Examina intentiones tuas, an purae sint, an soli Jesu intentae, an nihil amoris proprii admixtum? Mixta non invenies eum, qui solum pura intentione invenitur.

SABB. HEBDOMAD. RESURR.

Med. 159. — Reprehenduntur mulieres et mittuntur nuntiae ad apostolos.

1. *Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quaeritis? Viventem cum mortuis?* (Luc. 24). — Reprehendi merentur, quia angelis clare monstrantibus non credunt. Has imitantur, qui in rebus etiam sanctis non sequuntur ductum patris spiritualis, et suo sensui inhaerent. Quaerunt Jesum, cui se dederant: sed inter mortuos cum judicio, et amore proprio. Ibi est Jesus, ubi nihil tui est.

2. *Non est hic, sed surrexit* (Ibid.). — Infallibile resurrectionis signum exhibent, quia *non est hic*. Hoc argumento probatur nostra spiritualis resurrectio: si a verace angelo, non a blandiente sensu dici possit, non est in hac imperfectione, in hoc pravo affectu, in hac passione, in priori tepiditate spiritus. Gaude, si est ita: si non est, cura ut sit.

3. *Cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit* (Matth. 28). — Nomine Christi hoc mandant angeli mulieribus. At non merebantur tam laeta nuntia apostoli, qui eum tam foede deseruerant. Spectavit Christus, quid suus amor postulet, non quid eorum merita. Amat etiam immerentes. Hoc me indignum amore mei Domini solatur. Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, sed fac secundum misericordiam tuam.

DOMINICA IN ALBIS

Med. 160. — Mulieres referunt apostolis nuntium resurrectionis.

1. *Surrexit... dicite discipulis ejus et Petro* (Marc. 16).— Exprimi nominatim Petrum, tenerioris affectus est argumentum. Erat caeterorum caput: hoc honorat Christus. Amaverat plus caeteris Jesum, inde plus caeteris dolebat: affectum affectu rependit. Non cessabat suum peccatum deflere: erigit moestum amoris demonstratione. Agnosce bonitatem, ama, in eam spem tuam repone. Non dimittet te, etiam cum ex fragilitate peccaveris.

2. *Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: et non crediderunt illis* (Luc. 24). — Quae nuntiant mulieres, sunt ea ipsa, quae Christus apostolis praedixerat: concordant omnino magistri verbis, nec tamen credunt. Imitaris apostolorum incredulitatem, qui inspirationes divinas, ut vanas rejicis. Superiorum monita, scrupulos, conscientiae remorsum, deliria arbitraris. Attende illis: quia per illa Deus ducit. Aberras, si non sequeris.

3. *Maria Magdalena venit... ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum* (Jo. 20). — Non dixerat angelus *tulerunt*, sed *surrexit*. Impetus forte amoris, aut doloris fecit, ut non accurate attenderet. Etiam bonis affectibus, non secus ac ventis, ponendum est pondus. Cum rationem turbent, in errorem trahunt.

FER. II HEBDOMAD. I POST PASCHA

Med. 161. — Petrus et Joannes currunt ad sepulcrum.

1. *Exit ergo Petrus et ille alius discipulus et venerunt ad monumentum* (Jo. 20). — Nuntii a mulieribus accepti veritatem experiri volunt. Non retinentur aliorum non credentium exemplo. Attendunt non quid agant alii, sed quid prudenter agendum sit. Cape hujus regulae necessitatem et sequere.

2. *Currebant autem duo simul* (Ibid.). — Amor eos incitabat ad cursum. Hic nescit tarda molimina. Parum distant, lente velle obsequia Dei et diu nolle. Qui amat divina, volat ad illa. Currisne tu, an serpis? Vis progredi? Ama: tantum procedes, quantum amabis.

3. *Ille alius... praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum... non tamen introivit* (Ibid.). — 1. *Joannes elatus virginitatis alis praecucurrit* (S. Hier. in c. 56 Is.) quia plurimum haec virtus recedit a carne, plurimum accedit ad Deum. 2. Joannes non intrat prior. Honorat in Petro dignitatem capitis, nec considerat in eo, quod Christum negaverit, ipse autem

ad crucem constiterit. Disce, quid debeas superiori, licet imperfecto. Idem praestabis proximo, si in eo Christum agnoscas.

FER. III HEBDOMAD. I POST PASCHA

Med. 162. — Christus apparet Petro.

1. *Abiit* (Petrus) *secum mirans, quod factum fuerat* (Luc. 24). — Viderat Petrus sepulcrum vacuum. Discedit a Joanne; solus secum meditatur, quae vidit. Optima dispositio ad videndum Deum, divinaque cognoscenda, recedere etiam corpore, multo magis affectu a creaturis. Solitudinem animae amat Deus. *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus* (Os. 2).

2. *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni* (Ib.). — Apparet Dominus non Joanni, qui constans ad crucem permansit; sed Petro, qui et fugerat et negaverat. Ita animat Deus peccatores poenitentes, ut non dejiciantur. Ostendit quantum aestimet lacrymas poenitentis. Qui hic affectus Petri? Quae confusio ob scelus admissum? Qui dolor? Quae lacrymae? Excita in te eosdem ad pedes Jesu.

3. *Visus est Cephae* (1 Cor. 15).— Christus non exprobrat Petro scelus admissum sed blandissime solatur. Disce, qua benignitate peccatorem contritum excipias: qua charitate obliviscaris injuriarum a proximo acceptarum. Quod feceris proximo, expecta a Deo. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis* (Matth. 6).

FER. IV HEBDOMAD. I POST PASCHA

Med. 163. — Magdalena ad monumentum.

1. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum* (Jo. 20). — Considera amoris signa. Stat ad monumentum: flet: saepius inspicit videndi Jesum desiderio. Repeti de illa potest: *Dilexit multum* (Luc. 27). Expende curam, qua tu Deum quaeris. Stasne in propositis? Dolesne amissum? Considerasne ubi, quomodo reperias?

2. *Et vidit duos Angelos in albis sedentes* (Ibid.). — *Cum circa monumentum perseverat plorans, voce angelorum ad cognoscendum Christum juvatur* (S. Cyr. Alex. lib. 12 in Joan. c. 46). Ut angelos, seu spiritualia lumina assequaris, non obiter exigenda est meditationis hora: sed perseverandum et attentione, et affectu; etiam sua deploranda est caecitas.

3. *Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; et nescio ubi posuerunt eum* (Ibid.). — Causa fletus est amissus Jesus. Optima et una lacrymis digna. Sed si flet illa, quod *tulerunt* invitae et ignoranti, quid te agere decet, cui scienti et volenti tuae passiones et mali affectus toties Jesum tulerunt?

FER. V HEBDOMAD. I POST PASCHA

Med. 164. — Christus apparet Magdalenae ignotus.

1. *Conversa est retrorsum et vidit Jesum stantem; et non sciebat, quia Jesus est* (Joan. 20). — Dum quaeritur Jesus, adstat a tergo Magda-

lenae. Vide, quam non procul est ab iis, qui eum quaerunt in toto corde. Sed dissimulat quandoque praesentiam suam, ut non apprehendamus hic Jesum esse, sed nos desertos cogitemus. At respiciamus post tergum, sive ad exitum nostrarum afflictionum, videbimus ibi Deum.

2. *Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? Quem quaeris?* (Ibid.). — 1. *Occultat se,* ait Drog. Host., *ut ardentius requiratur, et requisitus cum gaudio inveniatur: inventus cum sollicitudine teneatur* (Serm. de pass.). 2. Interrogat non ignorans, sed quia delectatur nos quandoque affligi sui ipsius desiderio. Si videaris tibi a Deo desertus, ardentius Deum require; iste est inveniendi modus.

3. *Dicit ei* (Maria) *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum et ego eum tollam* (Ibid.). — Vide amoris vim, qui solum Christo intentus, quid loquatur, vix advertit. *Dominum* vocat hominem vili hortulani veste indutum: addit, si sustulisti *eum;* quem? Non exprimit, quasi obvius quisque ejus affectus intelligat. Novit quis fuerit Judaeorum furor, et ait *se eum ablaturam,* ubique sit, sine omni periculorum metu. Ita amor animosam reddidit ac resolutam. Quantum tu ab his resolutionibus distas? Quia plurimum distas ab amore.

FER. VI HEBDOMAD. I POST PASCHA

Medit. 165. — Christus manifestat se Magdalenae et mittit eam ad discipulos.

1. *Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni* (Joan. 20). — Uno Christi verbo, *Maria;* altero Mariae, *Rabboni,* magni affectus clau-

duntur: in Christo benignitatis, suavitatis, affabilitatis, familiaritatis: in Maria vero reverentiae, humilitatis, adorationis, amoris, gaudii. Ille ex uno verbo noscitur; illa uno verbo se eum nosse significat. Ita Deus paucis verbis multa homini; ita homo paucis verbis multa Deo loquitur. Plura de Deo cogita, quam loquaris.

2. *Dicit ei Jesus: Noli me tangere* (Ibid.). — Expende causam, cur eam tactu prohibeat, fuisse, ut nimium fervorem, quo illa se ad pedes Jesu projecerat, nonnihil temperaret. Amor enim pene reverentiam exuerat. Amari vult Deus; sed et reverenter coli. Ut Deo ergo familiaris esse debes per intimam cum eo communicationem; ita debes esse et reverens, tam externo corporis situ, quam interna animi compositione.

3. *Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum* (Ib.). — Ad pedes Christi suos exerere affectus Maria desiderabat; Christus vero quantocyus suus consolari. Ideo accessu eam prohibet, et ad discipulos ablegat, quos ad exprimendum amorem, fratres vocat. Vide, quam Deo placeat, ut tua spirituali consolatione abstineas, ut alium moestum consoleris. Curat eis significari ascensum suum *ad Patrem vestrum:* ut incipiant de Christi recessu cogitare, se ad illum tolerandum disponere, et confidere in Deum quem sciant affectu Patrem esse.

SABB. HEBDOM. I POST PASCHA

Medit. 166. — Apparet aliis mulieribus.

1. *Ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete* (Matth. 28). — Assecuta fuerat illas Magdalena: signifi-

caverat se vidisse Dominum: dolebant se ad sepulcrum non expectasse, desiderabant et ipsae videre Dominum. Ita dispositas primus salutat: *Avete.* Ita benignus est Deus iis, qui eum desiderant, et obsequia deferunt. Non diu differret te consolari, si serium ejus desiderium concipias. Omnis perfectionis initium est desiderium.

2. *Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum* (Ibid.). — Expende gaudium, reverentiam, et dulcissimos affectus ad Christi pedes. Arcuerat paulo ante Magdalenam a pedibus suis, jam eam cum reliquis ad eorum osculum admittit. Non omne simul solatium praebet: differt quandoque: exhibet autem perseverantibus, sed hora, qua sibi placet. Tuum est insistere bono; de tempore consolationis curam Deo remitte. Non aberit a se desiderantibus.

3. *Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt* (Ibid.). — Expende verborum suavitatem tum ad mulieres, tum de Apostolis nuper sui desertoribus. Sed suaviorem crede fuisse animum; neque enim aversionem ab iis, quamquam graviter offensus, concepit. Etiam qui te offendit, fratrem cogita, suavi alloquio et affectu dignare. Galilaeam illis designat, ubi videatur, locum scilicet quietum, et a tumultibus submotum. Ut gustes Deum, recede a strepitu mundi, vanitatum et passionum tuarum.

DOMINICA II POST PASCHA

Med. 167. — Jungit se Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus.

1. *Ecce duo ex illis ibant... in castellum... nomine Emmaus* (Luc. 24). — Tristes de Christi morte, dubitantes de resurrectione, solatium quaerunt a villa. Convertuntur ad sensualia, qui expectare debebant divina. Promissus tertius dies aderat, accesserat mulierum, Petri ac Joannis testimonium: isti tamen adhuc dubitabant. Quam carum sustinemus Dominum, qui nos tot annis sustinet? Quam facile ad sensualia convertimur! Immodicam tristitiam cave; si aliqua te tangat, noli a creaturis, remedium quaerere. Expecta Dominum, et intendet tibi.

2. *Et ipsi loquebantur ad invicem de iis omnibus quae acciderant. Et factum est, dum fabularentur et secum quaererent et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis* (Ibid.). — Errabant oves: adest Pastoris charitas, ne perdantur. Dissimulat abitum, ut prius eos ad divinum solatium recipiendum disponat. Vult enim ad suas gratias nos praeparari. Dum fabulantur de passione, se illis miscet; adeo Domino placet, suam a nobis mortem commemorari. Assuesce non inania, sed divina loqui, ut Jesum habeas itineris tui socium.

3. *Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent* (Ibid.). — Hoc exhibebatur foris, quod agebatur in mente. Nec eum fidei oculo agnoscebant, nec corporis. Qua causa tenebantur oculi? Credibile est, nimia tristitia, quae animum plerumque confundit. Adest Deus iis, qui afflicto sunt

corde: et tamen dum tangimur, abesse credimus. Tunc fide firmandus est animus. Sapiens est Deus, scit: omnipotens, potest; bonus, vult adesse. Expecta ergo, viriliter age, et confortetur cor tuum.

FER. II HEBDOM. II POST PASCHA

Med. 168. — Qui sint eorum sermones exquirit Christus.

1. *Ait Jesus ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem..... et estis tristes? Et respondens unus..... dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti, quae facta sunt in illa?* (Luc. 24). — 1. Quaerit, quod sciebat, *ut ulcus suum detegerent, ac pharmacum susciperent:* ait Theophyl. En benignitatem Christi! 2. Quia gaudet rememorari suam passionem, praebet narrandi occasionem. Narra ergo tu Deo per gratiarum actionem, quanta pro te passus sit. Qui sunt tui sermones? De iis rebus., quae sunt in corde. Expende quae sint, an divina, an humana. Denique ulcera animi, non cela, ut medicinam capias.

2. *Quibus ille dixit: Quae? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, etc.* (Ib.). — 1. Quaerit tamquam ignorans, aut quasi jam oblitus injuriarum suarum tam immanium. An tu sic minutarum oblivisceris? 2. Quaerit *quae?* Tamquam tota illa passio res esset adeo minuta, ut ei memoria ceciderit. Tam ingens amor tui repraesentat illi parva ea, quae pro te fecit. Parvus ergo est meus in Jesum amor, qui me pro eo egisse multa existimo. Conabor praestare plura, sed ero tamen servus inutilis.

3. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset re-*

dempturus Israël (Ibid.). — Aperiunt ulcus modicae fidei. Non credebant enim illam ipsam Christi mortem esse redemptionis medium. Si consilia Dei in humanis eventibus assequi non potes, acquiesce illis. Optimum est, quidquid decernit ipse : per media a nobis judicata contraria fini, ad finem pervenit.

FER. III HEBDOMADAE II POST PASCHA

Med. 169. — Christus reprehendit duos discipulos incredulos.

1. *Et ipse dixit ad eos : O stulti et tardi corde ad credendum !* (Luc. 24). — Acerba reprehensio, sed nulla indignatio. *Stultos* vocat, non pro convitio, sed pro officio charitatis. Si corripis, sic age : si corriperis, sic suscipe. Et tu tardus es corde ad credendum practice, quae passus est Christus. Nam credis mente, at non opere et imitatione.

2. *Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* (Ibid.). — Causa reprehensionis allegatur, quod hanc veritatem non satis credant. Tu eam crede. Oportuit ob necessitatem satisfactionis, ob utilitatem redemptionis, ob vim sui in nos amoris, ob exemplum imitationis. Christum pati oportuit ; et tu te a mortificatione eximes? Et quidem ut in *suam* ille gloriam intraret : et tu sine cruce intrabis in alienam?

3. *Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant* (Ib.). — Vide modos, quibus se iis insinuavit. 1. Blande alloquendo. 2. Corripiendo. 3. Instruendo. His et tu utere, si cum iis agis,

qui duro sunt corde. Ausculta tantum doctorem interpretantem. Confer id, quod docet declarando, cum eo, quod fecit opere: et quod ipse doces, operibus tuis confirma.

FER. IV HEBDOM. II POST PASCHA

Med. 170. — Longius ire se fingens Christus, invitatur a discipulis.

1. *Et appropinquaverunt castello, quo ibant: et ipse se finxit longius ire* (Luc. 24).— 1. Decreverat apud illos manere: fingit se abire: *Non quia hoc volebat*, ait Bernard. (serm. 74 in Cant.), *sed quia volebat audire: Mane nobiscum, Domine.* Vult Deus tibi gratias conferre; sed vult desideriis rogari. Non queraris gratiarum inopiam, si aut nulla sunt tua, aut lenta desideria. 2. Fingit Deus se a te recedere, sed non abit. *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. 90).

2. *Et coëgerunt illum dicentes: Mane nobiscum,* Domine, *quoniam advesperascit* (Ibid.). — Invitant ignotum, tu nec notum serio rogas: immo forte plures ansas praebes ad recedendum. Cogunt illi sanctis desideriis, quae vim quasi quamdam in ipsum Deum habent. Rationem addunt, *quia advesperascit.* Immo clarescebat apud illos, quia interpretatio Scripturae jam eos illuminabat. Sed apud te advesperascit; quia hunc ipsum diem cum nocte dividis. Coge ergo Dominum, vim tibi inferendo ut is apud te maneat hodie, tamquam ultimus esset vitae dies.

3. *Et intravit cum illis* (Ibid.). — Quae felicitas habere hospitem Dominum! Quam putas tu eum honorifice exceperint, et quidem adhuc igno-

tum; si non rerum copia, saltem affectuum! Credere licet, eum prima sede locatum, eidem sollicitem ministratum. Quis primum apud te locum tenet in aestimatione, in amore? Tu ipse? An Deus? Inspice opera et tentationes.

FER. V HEBDOMAD. II POST PASCHA

Med. 171. — Agnoscitur Christus in fractione panis.

1. *Accepit panem... et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum* (Luc. 24). — Credunt sancti Aug. (serm. 140 de temp.) et Jo. Chrysost. (serm. 17 imperf.) Christum panem isthic consecrasse, et porrexisse, et ex eo agnitum esse. Hic est Ss. Eucharistiae effectus, mentes illuminare ad percipienda divina. At cum hanc toties sumas, unde tam hebes ad divina, tam vivax es ad sensualia? Causa effectum poneret, nisi impedires. Tolle ergo impedimenta.

2. *Et ipse evanuit ex oculis eorum* (Ib.). — Cur non expectabat ab illis ea, quae cognitionem sequi solent, adorationem, gratiarum actionem, obsequia? etc. Monstrat se et mox se eripit. Disce etiam divina solatia in hac vita non esse diuturna; immo a Deo eripi, ut te patientia, humilitate, longanimitate, exerceat. Sed nec expedit ea esse diuturna.

3. *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* (Ibid.). — *Christi sermones* (ait Orig.) *accendebant corda ad amorem divinum.* Legis pios libros, meditaris documenta Christi, audis adhortationes, Deus tibi loquitur: accenderis, nisi resistas. Sed quando ducunt se exarsisse? Non in

fractione panis, dum eum agnoscerent ; sed in via, dum adhuc lateret. Etiam desolationes (cum Deus a te absconditur) ad hoc tibi serviant, ut inflammeris desideriis, amore, affectibus adhaerendo Deo, etc.

FER. VI HEBDOM. II POST PASCHA

Med. 172. — Apparet discipulis congregatis.

1. *Cum sero esset... et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati... venit Jesus* (Joan. 20). — Ubi non est dispositio, tardat Deus. 1. Nondum credebant: varia ad eos resurrectionis nuntia miserat, ut disponeret, per quae et desiderium accenderet. Ideo sero venit, quia sero se disposuerunt. Ut visiteris a Deo, pone congruam dispositionem. 2. *Cum fores essent clausae.* Deus non intrat in cor, si portae sensuum non sunt obseratae. Dissipatus est spiritus, ubi sensus non sunt custoditi, ubi creaturarum affectus ultro citroque meant. Inspice portas tui cordis.

2. *Venit Jesus et stetit in medio* (Ibid.). — Ut aeque omnibus esset conspicuus, ut dux, magister, pastor, protector suorum. Ubi duo, vel tres congregantur in nomine ejus, adest ipse. Congrega ergo potentias animae tuae in oratione, claude portas sensuum, mox tibi aderit dux ad animosa proposita ; magister ad solidas veritates ; pastor ad solatia ; protector contra tuos hostes. Quia vero medium amat, etiam tu eum in medio cordis repone, ut nihil prae illo aestimes, ames, timeas.

3. *Et dixit eis : Pax vobis* (Ib.). *Ego sum, nolite timere* (Luc. 24). — Omnia singularis solatii verba. *Pax vobis :* quam olim spopondit, quam

passione sua comparavit. Est Deus pacis. Pax ergo tibi sit cum Deo, per tuae cum illius voluntate conformationem: cum proximo per charitatem patientem, benignam, non inflatam, etc.: tecum per affectuum pravorum mortificationem. *Ego sum,* addit Chrysol. (serm. 81), *qui vos per gratiam vocavi, elegi per veniam, pietate sustinui, portavi charitate et modo vos sola benignitate suscipio.* Dic etiam animae meae: *Ego sum:* et (Ps. 26) *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.*

SABB. HEBDOM. II POST PASCHA

Med. 173. — Conturbatis et conterritis cicatrices vulnerum exhibet.

1. *Conturbati vero, et conterriti existimabant se spiritum videre* (Luc. 24). — *Discipuli rudes adhuc et imperfecti, non credunt,* ait Beda, *tertia die potuisse resurgere. Putant ergo, se videre spiritum seu phantasma; tametsi jam audierint: Ego sum.* Quoties nos sancta dictamina et veritates practicas aut putamus, aut nobis mentimur esse illusiones: quia timemus scilicet agendi difficultatem; et magis nobis illudimus. Nunquam tu ita timuisti? An posthac timebis?

2. *Et dixit eis: Quid turbati estis et cogitationes ascendunt in corda vestra?* (Ibid.). — Christus in repentinis eos timere, ac turbari non probat. Ideo amice corripit. Repentina probant animum constantem, Deoque innixum. Ut nihil tibi repentinum eveniat, quo sternaris, assuesce praevidere omnia, ac te praemunire. Id si fecisses, quantas difficultates gloriose superasses, quibus

turpiter succubuisti? Id ut obtineas, expugnandus omnino est amor proprius.

3. *Videte manus meas et pedes* meos, *quia ego ipse sum* (Ibid.). — Ad pellendum timorem, ad firmandam fidem, hoc fecit. O benignitas Christi! Venerare sanctum latus, manus ac pedes transfossa. Inhaere huic spectaculo, quamdiu potes. Si vero te terreat difficultas aliqua, aut grave munus suscipiendum; inspice illa vulnera, nuper acerba, nunc illustria, et spera tua quoque vulnera et adversitates tibi cessuras in gloriam.

DOMINICA III POST PASCHA

Med. 174. — Christus manducat cum discipulis.

1. *Adhuc illis non credentibus et mirantibus prae gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?* (Luc. 24). — Vide, quot modis se Jesus suis insinuat, ut ipse esse credatur. Mittit, per quos nuntietur: ipse se videndum, audiendum, tangendum praebet. Hic etiam, licet in glorioso corpore, ad manducandum petit, ut incredulos reducat. Animarum salus non uno remedio peragitur: tentanda sunt plura, etiam ut tuam emendes. Non elanguesce, si uno non proficias. Zelus tuae et alienae salutis id efficiet, et plura suggeret.

2. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis* (Ibid.). — Tenuitati discipulorum aliud non suppetebat. Optimum, quod habebant, porrexerunt. Fac Jesum a te petere quod manducet: quid porriges? Da optimum, quod habes, teipsum;

sed assum tum interna, tum externa mortificatione. Aliter placere Deo non potes. Sed adde mel promptae ad ejus obsequia voluntatis, puraeque intentionis: quo condimento si careant, opera dissipiunt Deo.

3. *Gavisi sunt discipuli viso Domino* (Joan. 20). — Viderant utique statim ingredientem, at primum post longiorem conversationem gaudent. Forte quod non exprobret turpem fugam. Unde ex hac benignitate subit spes omnium olim promissorum bonorum. Quam hic discipulis, tibi saepius fugitivo exhibuit benignitatem. Gaudere potes et a tam benigno Deo plura bona sperare.

FER. II HEBDOM. III POST PASCHA

Med. 175. — Aperit illis sensum Scripturarum.

1. *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos... quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt* (Luc. 24). — Agit suae passionis et mortis memoriam, ostendendo haec non casu acta, sed ex Dei decreto. Quae autem decrevit Deus, necesse est impleri omnia. Disce, si quid pateris, ex Dei decreto venire. Non ergo te oppone, quia necesse est impleri. Utinam id semper egisses!

2. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (Ibid.). — Non tantum ut ipsi intelligerent, sed ut eundem etiam nobis sensum tamquam magistri traderent. Sed quid est, quod tam bono magistro sensum Scripturarum et doctrinae Christi nondum capimus? Amor proprius et affectus inordinati excaecant nos. Isti ergo tollendi sunt. Nonne hi te hactenus obfuscarunt?

3. *Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et*

sic oportebat Christum pati (Ib.). — Expende illud *sic:* ex amore erga homines, ex obedientia erga Patrem, ex necessitate satisfactionis *pati oportebat:* quia decretum fuit, quia elegi et suscepi. Quid tu ad ista? Vis pro tuis peccatis satisfacere? Oportet pati: Amas salutem hominum? Oportet pati: Vis obedire Patri? Oportet pati.

FER. III HEBDOM. III POST PASCHA

Med. 176. — Dat illis Spiritum Sanctum et potestatem absolvendi.

1. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (Jo. 20). — Creat apostolos et legatos suos. Mittit eos eodem fine, quo a Patre missus est, ad salutem hominum. Vult eos illam operari eodem amore, quo ipse egit, usque ad effusionem sanguinis. Quantum est cooperari Filio Dei in salutem animarum! Haec vocatio tantum a te zelum exigit, quantum Christus habuit: quam procul habes? Exigit, ut hoc zelo complura patiaris. Meretur id Deus, meretur unius animae pretium.

2. *Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum* (Ibid.). — Insufflavit, ut sciremus, quemadmodum unus Dei afflatus Adamo dedit vitam, vigoremque naturalem, ita per Spiritum Sanctum dari vitam, vigoremque supernaturalem. An tu hanc vitam habes? Certe dare toties ille voluit, quoties menti sancta inspiravit. Quis evades, si hos afflatus accipias?

3. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Ib.). — Agnosce Christi in nos amorem. Offenditur a nobis Deus et dat hominibus potesta-

tem reconciliandi. Quam facilem nobis veniam reddit? Poterat post suam passionem naufragantes deserere: suggerit secundam tabulam. Aestima hoc beneficium Ecclesiae factum: et si te peccatis obstrictum vides, magna spe veniae hoc remedio utere.

FER. IV HEBDOM. III POST PASCHA

Med. 177. — Thomae apostoli incredulitas.

1. *Thomas, unus ex duodecim... non erat cum eis, quando venit Jesus* (Jo. 20). — Audierat discipulos, qui ex Emmaus reduces narrabant se vidisse Christum et quia non credebat, recessit. Caruit igitur hoc solatio praesentiae Christi. Duo autem commisit; judicium suum illorum asserentium judicio anteposuit, et a communitate recessit. Cave tu utrumque. Prima ad errorem via est judicium proprium. Adest Christus charitate conjunctis, subtrahit se iis, qui cum charitatis laesione sunt singulares. Expende, qui te in his habeas.

2. *Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum* (Ibid.). — Sed Thomas prius duobus, nunc omnibus, forte et Beatissimae Virgini asserentibus non credit sui tenax judicii. Sic de malo, quod semel coepimus, in pejus ruimus. Cave ergo malorum principia et eorum radices tolle. Oh si pridem hoc fecisses!

3. *Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (Ibid.). — Ita protestatur, ut suum sustineat judicium. Et quanta hinc mala? Incredulitas pertinax, superbia suum

omnium judicio praeferentis, praesumptio modum suae conversionis Deo praescribentis. Apostolus huc recidit: quantus, quantus sis, time, et cum humilitate judicium submitte, cui debes.

FER. V HEBDOMAD. III POST PASCHA

Med. 178.— Christus apparet discipulis praesente Thoma.

1. *Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis* (Joan. 20).— 1. Dies octo in sua incredulitate duravit Thomas; perstitisset diutius, si Christus non occurrisset. Ita labi, et in malo perseverare possumus, nec resurgere, nisi per Dei misericordiam. Quoties es expertus? Ama hanc bonitatem. 2. Unum quaerebat, ad omnes venit: ut qui coram omnibus peccaverat, coram omnibus resipisceret: qui omnes contristaverat, omnes exhilararet. Nam iis debes exemplum bonum, quibus et in quo malum exhibuisti.

2. *Venit Jesus januis clausis* (Ibid.). — Agendum erat de gravi culpa Thomae, de eaque iste corripiendus. Noluit Jesus ad hoc patere portas, sed totum clausis peragi. Bonus pater in latebris domesticis increpat filium malum, ne ejus famam laedat. Sit tibi etiam cura famae alienae et noli aperire januam oris tui, ne quandoque laedas.

3. *Stetit in medio et dixit: Pax vobis* (Ibid.), — Quasi dicat, quando sum in medio, est pax, alias nulla. Thoma, non eras cum iis, in quorum medio fui: ideo tibi nulla pax. Disce, quod nisi Jesus sit in medio, et solus omnium tuarum actionum centrum, non habebis pacem. Noli ergo te centrum tuarum actionum ponere.

FER. VI HEBDOMAD. III POST PASCHA

Med. 179. — Verba Christi ad Thomam et Thomae ad Christum.

1. *Deinde dicit Thomae* (Jo. 20). — **Cur ad unum convertitur?** Adsunt digniores, Petrus, Joannes et, ut creditur, Beatissima Virgo; unum Thomam alloquitur, ut ejus se causa venisse ostendat: non attendit ad plurium dignitatem, sed ad unius necessitatem. Quam amans, quam benignus Deus! Tu avertisses te ab eo, a quo recenter offensus esses. Disce non rogatus benigne alloqui, a quo offensam acceperis. Haec nota filiorum Dei est.

2. *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, etc.* (Ibid.).— 1. Ostendit se Deum, ei praesentem fuisse, cum Thomas protestaretur. Id si animo cogitasset Thomas, cautius locutus fuisset. Hoc tu praesentiae divinae remedium, adhibe, ut caute agas et loquaris. 2. Condescendit Thomae in omnibus, quae dixerat Thomas: addit tamen admonitionem: *et noli esse incredulus* (Ib.). Sic suaviter tractandus delinquens, ut tamen increpatione erudiatur.

3. *Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus* (Ibid.). — Magnus affectus paucis verbis conclusit. Nec dolor, nec amor plura eum loqui patiebantur: dolor ex delicto suo: amor ex benignitate Christi, cum meritus ipse esset indignationem. *Dominum* vocat, quem timeat: *Deum*, quem amet. Agnoscis tu quidem Christum esse Dominum tuum et Deum tuum: sed necdum ut Dominum, aut ut Deum habes. Si Dominus est, cur non times offendere? Si Deus est, cur non amas super omnia?

SABB. HEBDOMAD. III POST PASCHA

Med. 180. — Apparet discipulis ad mare Tiberiadis.

1. *Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum* (Jo. 21). — Mirus charitatis consensus. Unus voluntatem indicat, omnes consentiunt. Noli tu esse charitatis dissipator, ubi actio est licita et honesta. Mira exempli vis, praesertim a superiore! Subditi enim ad illius exemplum rapiuntur. Si subditus es, habes majorum exempla, quae sequaris: si praees, habes, quos exemplo trahas.

2. *Et ascenderunt in navim: et illa nocte nihil prendiderunt* (Ibid.). — Deo disponente factum est, ut nihil caperent ea nocte, ut discerent se sine Jesu nihil posse quantumcumque laborent; et in nocte peccati, pravae intentionis, aut praesumptionis inaniter laborari et sine merito. Ut ergo fructum e laboribus feras, ambula in luce gratiae, et uni te Deo cogitatione, affectu, fine et oratione.

3. *Mane autem facto, stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli, quia Jesus est. Dicit ergo eis Jesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non* (Ib.). — In mari versamur et in nocte, dum sumus in hac vita. Qui piscantur honores, delectationes, vanitates, fatebuntur olim se nihil coepisse, sed non sine dolore. Sic ergo laborem impende, ut rogatus olim a Deo, *numquid pulmentarium habes*, respondere possis: per gratiam tuam hoc, illudve cepi. Interrogat autem Christus, non ut discat, sed ut ipsi paulo post advertant, quam sit inanis, se absente, quam fructuosus, praesente, labor. Sine te nihil possum, Domine.

DOMINICA IV POST PASCHA

Med. 181. — Christus detegit se discipulis.

1. *Dixit eis: Mittite in dexteram navigii rete et invenietis. Miserunt ergo: et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium* (Jo. 21). — Dominus jussit, licet nondum notus ; prompta fuit discipulorum obedientia. Hinc tam copiosa captura. Quae ex obedientia facis, Dominus benedicet. Dominus potentia sua collegit ad dextrum latus pisces, ut obedituris in promptu essent. Ut capias animas, a Deo praeparandae sunt. Non artis illud fuit, sed pietatis Domini. Nil fide tibi, sed Domino. Ad dexteram jaci recte jussit, ut discas sancta, non sinistra intentione operari. Sic laborans non fraudaberis fructu.

2. *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est* (Ibid.). — Cur primus Joannes Dominum videt ? 1. *Jesus stabat in littore, nec sciebant apostoli, quem viderent: solus virgo virginem agnoscit* (S. Hier. lib. 1 contr. Jovin.). Virginitas ad Deum, divinaque cognoscenda conducit plurimum. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5). 2. *Primus, qui diligitur, videt; quia semper vivacius, qui diligitur intuetur* (Chrysol. serm. 78). Redde ergo te dignum, ut ameris a Deo, per amorem ; et diliget te et manifestabit se tibi. 3. Joannes Dominum esse Petro significat. Quae de Deo capis, sine invidia communica.

3. *Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se et misit se in mare* (Ibid.).

— *Non contentus vidisse, impatiens desiderii, negligens captionis, immemor periculi, ubi Dominum vidit in littore, serum aestimat, si cum caeteris navigio perveniret* (S. Hieron. in c. 24 Luc.). Ita fervor nec patitur moras, nec timet pericula. Confer tuam tepiditatem. Quam lente, aut quam parum operaris, etsi multa cognoscas! Abrumpe moras et impedimenta. Petrus non est mersus, nec tu frangaris.

FER. II HEBDOM. IV POST PASCHA

Med. 182. — Christus in littore parat cibum et invitat discipulos.

1. *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas et piscem superpositum et panem* (Joan. 21).— 1. Dum piscantur, Christus eis cibum parat. Etiam in glorioso corpore non dedignatur vile ministerium. Et dedignaberis tu in mortali carne humile officium? 2. Ignorabant apostoli, unde pisces illi assi (nam plures erant), unde panes, ac formatum prandium. Indicare voluit Christus sibi omnia parere, ac illam ipsam tot piscium capturam suum esse beneficium. Agnosce, si quid boni habes a Deo venire. Redde ergo illi et ad ejus gloriam impende.

2. *Dicit ei Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc* (Ibid.). — Petrus illico traxit in terram 153 magnos pisces. Voluit Christus, ut ex multitudine et magnitudine piscium, post irritum noctis laborem uno tractu captorum, cognoscerent id se ejus beneficio habere: unde ad impensius amandum moverentur. Adverte ergo, quae

ab eo accipis beneficia, et illis ad amandum moveare, ejusque gloriae impende.

3. *Dicit eis Jesus: Venite, prandete* (Ibid.). — En quanta suavitas et affabilitas Christi invitantis et comprandentis! Ama hanc bonitatem. Hunc vero cibum paravit Dominus, *ut benevole discipulos a labore per cibum refocillet,* ait Euthym. Piscare et tu sedulo animas in hoc mundi mari natantes. Confide, quod Dominus in littore patriae invitabit te, *ut* edas *et* bibas *super mensam* suam *in regno* suo (Luc. 22).

FER. III HEBDOM. IV POST PASCHA

Med. 183. — Christus committit Petro suas oves.

1. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos* (Joan. 21). — Destinatur Petrus supremus Pastor. Hunc multus labor manet qui nisi sit amor, non toleratur. *Interrogatur amor, imperatur labor,* ait S. August. (tract. 124 in Joan.). Major ergo apud Christum est, qui plus amat. Pro hac tu magnitudine contende, caeteras ride. Petrus respondit: *Tu scis,* jam doctus sibi non credere. Nec addit: *Plus his:* memor suae praesumptionis confusae. Noli te aliis praeferre. Deficit enim fervor et confunditur praesumptio.

2. *Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi, etc.* (Ibid.). — Repetit quaestionem ad exigendam amoris constantiam in Pastore animarum. Sine hac neque tu animam bene gubernabis. Felix Petrus, qui respondere potuit: Amo te! Infelix ego! Respondere deberem: Amo me, amo

mea commoda ; amo creaturas ; et si te quandoque amo, quam cito deficio et tepesco ? At non ita posthac.

3. *Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me ?* (Ibid.). — Quare tertio quaerit ? *Ne apostoli severe contemnerent eum, qui negaverat Christum.* Optat. Milevit. (contr. Parmen.). Ita consulit superiorum auctoritati. *Quia tertio negaverat, tertio confitetur.* S. Ambr. (in c. 22 Luc.). Quoties peccasti, negasti ! An toties confessus es per veros vivae fidei et amoris actus ? Assuesce ad frequentes fidei actus, quia sunt origo omnis boni. *Contristatus Petrus,* quod tertio quaereret : quia vel rediit antiqui sceleris memoria et dolor, vel subiit timor sui ipsius, etsi sibi nihil conscius esset. Time et tu, quia per hoc probatus non es, quod non sis tibi conscius.

FER. IV HEBDOM. IV POST PASCHA

Med. 184. — Christus praedicit Petro martyrium.

1. *Cum esses junior cingebas te et ambulabas, ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis* (Joan. 21). — Post trinum amoris examen timuit Petrus, ne sicut post protestationem moriendi Christum negaverat, ita post amoris protestationem laberetur. Christus ergo eum certum reddit, quod pro suo amore sit manus extensurus in cruce. Dum non possum esse certus, quod pro amore Jesu me alius crucifiget, *crucifigam carnem meam cum concupiscentiis.* Sed et si ab aliis aliqua afflictio veniat, *extendam manus meas in amplexum.*

2. *Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conversus Petrus vidit illum Discipulum* (Ib.). — 1. Praedixit Petro crucem: quomodo ferenda sit, docet: *Sequere me:* exemplum meum sit tibi prae oculis. Ex hoc capite nos deficimus sub cruce, quod non respiciamus in Jesum. *Respiciam* ergo *in auctorem et consummatorem Jesum.* 2. Petrus vocatur; sequitur et Joannes. Qui amat, non expectat mandata, sed sponte sequitur Jesum. Unde tu lente sequeris, nisi quia tepide amas?

3. *Hunc ergo* (Joannem) *cum vidisset Petrus, dixit Jesu:.... Hic autem quid? Dixit ei Jesus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere* (Ib.). — Redarguitur Petri curiositas: quam melius tua? Investigas aliena, quae domi, quae foris accidunt: *quid ad te?* Observas quid, cum quibus, quamdiu agant alii: *quid ad te?* Immisces te negotiis alienis: *quid ad te?* Tuum est Jesum sequi: ad hoc unum attende, reliqua Deo committe.

FER. V HEBDOM. IV POST PASCHA

Med. 185. — Christus apparet in monte Galilaeae plusquam quingentis discipulis.

1. *Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam montem* (Matth. 28). — 1. Memorat Paulus (1 Cor. 15) fuisse plus quam 500 discipulos. Excitatos fuisse credo relatione foeminarum et aliorum dicentium, quod spoponderit se in Galilaea videndum. Christus charitatem suam non restrinxit ad paucos, sed in omnes extendit. Communica affectum omnibus, non uni particulari, in quo multus et sensualitatis locus. 2. Apostoli, qui Christum

viderant, commonent alios, ut et ipsi tanti boni participes fiant. Quod tibi datum est, sine invidia communica. 3. Considera expectantium affectus et desideria.

2. *Ubi constituerat illis Jesus* (Ibid.). — Observat condictum locum et tempus suae apparitionis Jesus, ut fideliter adimpleat, quod promisit. Quam fidelis Deus in promissis! Quam tu parum ei fidelis! Quanta proponis, quam pauca agis! Quam infidelis est mundus et quam accurate ei servis!

3. *Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt* (Ibid.). — Ex iis nempe, qui eum ante non viderant, licet ex aliis omnia anteacta intellexerint. Haec cordis nostri est duritiés ad divinas inspirationes. O Domine, tolle a me cor lapideum! Principio dubium fuit paucorum, exitu tamen communis omnium adoratio: cum qua reverentia, humilitate, amore et gaudio? Ascende et tu montem altioris virtutis, ut talem consolationem merearis.

FER. VI HEBDOMAD. IV POST PASCHA

Med. 186. — Destinat discipulos ad conversionem mundi.

1. *Et accedens Jesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* (Matth. 28). — Quam haereditario jure habebat, vi unionis hypostaticae, ut naturalis Dei Filius, potestatem, eam tibi datam, ait, per crucem et merita passionis. Vim seriae mortificationis agnosce, per quam datur tibi potestas in coelo, seu in parte rationali, et in terra, seu in parte animali, in qua sunt pravae affectiones. Agnosce hunc Do-

minum omnis potestatis: adora eum: subjice te ejus potestati. Roga, ut eam exerceat per superiores tuos, prout est ad gloriam suam.

2. *Euntes ergo docete omnes gentes* (Ibid.). — 1. Expende illud: *Ergo.* Quia data est mihi potestas, ergo vos docete. Quomodo hoc sequitur? Ostendit se summae potestati conjungere optimam voluntatem, et potestate hac uti ad benefaciendum. Ama hanc bonitatem, quam non semel expertus es. 2. *Docete omnes:* Etiam in te respexit, neminem exclusit. Si doces, *doce omnes:* non sperne pauperem. Assiste tam miseris, quam felicibus; immo illis potius, quia de istis habes: *Quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (Matth. 25).

3. *Baptizantes eos in nomine Patris, etc.* (Ib.). — Abrogatur rigida lex circumcisionis in remedium peccati originalis, et instituitur Baptismus suavior. Age gratias Deo, quod per legem evangelicam jugum suave, et onus leve reddiderit. Accepisti et tu hoc Baptismi beneficium, quo carent tot pagani. Quantum debes Domino! Factus es de familia Christi, Christianus. Sed nomen pulcrum est grande convitium, si facta desint. Vives ergo, ut statum tuum decet, ut decet filium tanti Patris.

SABB. HEBD. IV POST PASCHA

Med. 187. — Continuatio instructionis Apostolis datae.

1. *Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (Matth. 28). — *Jussit, ut primum docerent, deinde fidei tingerent Sacramento; post quae essent observanda, praeciperent* (S. Hier. hic).

Servare dixit, non *scire :* quia finis legis evangelicae est ejus observatio. *Omnia* non *aliqua. Quicumque... offendat in uno, factus est omnium reus* (Jac. 2). Observa ergo : ab hoc pendet salus tua. *Et mandata ejus gravia non sunt* (1 Jo. 5). Imposuit enim ille, qui te amat.

2. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. 16). — Intellige quid sit damnari, quid salvari : utrumque a tua voluntate pendere. Vis salvari ? Ad hoc Fide et Baptismo opus est : Fide autem non mortua, quae est sine operibus; sed viva, et operibus probata. Age gratias pro Baptismo et Fide. Sed expende, quomodo eam operibus probes. Compatere et ora pro iis, *qui in tenebris... sedent* (Luc. 1).

3. *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur* (Ib.). — 1. Miraculis probanda fides praedicitur, quae post probata est. Tu haec spiritualiter operare. Daemonia ejicient, *cum eradicantur e corde peccata* (S. Bernard. serm. 1 de Ascens.). 2. Linguis loquuntur novis : id est *cum recedunt vetera de ore eorum.* 3. Serpentes tollunt : id est *cum venenatas suggestiones extinguunt.* Mortiferum sine noxa bibunt, *cum tentationes sentiunt, non consentiunt.* 4. Super aegros manus imponunt, et bene habent; id est *cum aegras affectiones bonis operibus operiunt.*

DOMINICA V POST PASCHA

Meditatio 188. — Spondet nobiscum osse usque ad consummationem saeculi.

1. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28). — Mittebat discipulos tamquam oves inter lupos. Quantae ergo illos manebant adversitates! En solatium. *Ecce vobiscum sum.* Hoc tibi quoque sit solatio: *Ne timeas... quia ego tecum sum* (Jerem. 1). *Non ut nihil patiaris* (ait Prosp. l. 2 de voc. gent. c. 1), *sed, quod multo majus est, ut nulla saevientium crudelitate superaris.*

2. *Ego vobiscum sum* (Ibid.). — Et qua Deus, et qua Homo Deus. Deus per immensitatem. Etsi non videar a vobis, video vos, et observo, quae agitis. En stimulum ad bene agendum. Fervor accendet, si oculum Domini semper praesentem cogites. Qua Homo Deus, per praesentiam in Eucharistia. Expende, et ama tantum beneficium.

3. *Ego vobiscum sum* (Ibid.). — 1. Per gratiam habitualem, quae nos Deo conjungit. Quanta cura hujus vinculi est habenda! 2. Per gratias actuales, dando vires ad operandum supernaturaliter. Sed per me stat, ut sint efficaces. Oh si eas semper acceptassem, quantus alius essem! 3. Per specialem providentiam regendo quemque ad finem suae vocationis. Tot modis mecum es, Domine: ero et ego tecum semper corde et opere.

—

FER. II HEBD. V POST PASCHA

Med. 189. — Apparet ultimo recumbentibus in coenaculo.

I. *Novissime recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum* (Marc. 16). — Specta humanitatem Christi, qui etsi in corpore glorioso, et jam, jam ascensurus, cum discipulis recumbere non dedignatur. In quocumque sis honore, par caeteris esto. Exprobratio illa amoris est, volentis suos magis purificare. Nemo se isthic excusat. Quando tu sic accipies correctionem, et amorem aestimabis?

2. *Vado ad eum, qui misit me* (Joan. 16). — Etsi hic, quid ulterius locutus sit, non prodatur, credi tamen potest, manifestasse illis, jam tempus esse, ut vadat ad Patrem, et quaedam ex ultima coena repetivisse. Considera, quo doloris sensu id acceperint, quod privandi essent Christi praesentia. Tu magis dole, si abeat a te per gratiam, quia magis est perniciosum. Non quaere sensibilem devotionem, sed in hoc te Deo remitte: veram autem, et solidam ne dimittes.

3. *Vado ad eum* (Ibid.). — Ut Christus suos repentino nuntio sui abìtus non prosterneret, sensim eos disposuit, raro illis et ad breve tempus in gloriosa carne comparendo. Aegrius separamur ab illis, quibus saepius et familiarius utimur. Hoc tu modo a creaturis, a tuis commodis te remove. Raro, et nonnisi in transitu iis utere primum, postea facile carebis.

—

FER. III HEBDOMAD. V POST PASCHA

Med. 190. — Christus arbitrus suos Apostolos consolatur.

1. *Expedit vobis, ut ego vadam* (Joan. 16). — Etiam hoc repetivisse crediderim moestis. Non dicit: *expedit mihi:* quamquam et ipsi expediret quam plurimum, ut post passionem frueretur gloria, et sederet ad dexteram Patris: sed *expedit vobis.* Ut intelligant eum in humana carne tam passibili, quam gloriosa, non sibi, sed suis intentum fuisse, et etiamnum quod agit, eorum bono se agere. Nonne decet, ut et tu non te constituas centrum tuarum operationum? Nonne, ut quidquid agis, pro Deo agas, qui omnia pro te agit?

2. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* (Ibid.). — Amabant Apostoli Christum adhuc carnaliter: et in hoc amabant seipsos. Expediebat, ut hoc, quod in sensu est, totum converteretur ad spiritum, et perficeretur eorum fides, spes et charitas. Vult ergo Christus, ut amore ita puro, et spirituali diligatur: ne affectus erga illum mixtus amore proprio impediat Spiritum Sanctum: et quomodo eum non impedient tot inordinati affectus? *Spiritualis gratiae plenitudinem occupata mens non admittit* (S. Bernard. serm. 6 de Ascens.).

3. *Si autem abiero, mittam eum ad vos* (Ib.). — Spiritus Sancti adventus pendebat a Christi in coelum ascensu; quia ita decretum fuit a Deo: ut consolatio illa adhuc carnalis tolleretur: mitteretur alia omnino spiritualis. Et credo etiamnum esse statutum a Deo, ut non gustet quis cum suavitate

coelestia et spiritualia, nisi terrena et carnalia sibi eripiat. Vide ubi haeres? In quibus terrae, et carnis affectibus? Inde tibi non sapiunt spiritualia. Sapient haec, si illa tollas.

FER. IV HEBD. V POST PASCHA

Med. 191. — Educit discipulos ad montem olivarum.

1. *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (Luc. 24). — Expende verba, cape mysteria; quae a te exigatur ad Spiritum Sanctum promissum praeparatio. 1. Monet *sedere*, indicans quietem maxime animi, a creaturis, a suis passionibus non inquietari. 2. *In civitate*, etiam inter negotia intentos quietem habendam. 3. *Donec:* non insinuat tempus, ut accendat desiderium, et divinae dispositioni acquiescant. 4. *Induamini virtute.* Ut nos cognoscamus esse omnino nudos sine Spiritu Sancto, et posse nihil; ab hoc solo esse omnem nostram virtutem. Hac etiam hodie resiste adversariis tuis.

2. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam* (Ib.). — Vadit in Bethaniam, ut credere licet, vale facturus Marthae et Magdalenae, et ad suum triumphum deducturus. Adverte quantum eas amaverit. At meruerunt amari: altera per hospitalitatem erga Jesum, altera per contemplationem. Quam non obliviscitur Deus officiorum, quae ei praestas! Quam tu oblivisceris gratiarum, quas accipis.

3. *In montem qui vocatur Oliveti* (Act. 1). — 1. Cogita, qui fuerint apostolorum Christum comitantium affectus? Quae gaudia dolore mixta? Quae valedicentium lacrymae? Quae, et quam suavia vulnerum oscula? Quae preces? etc. 2. Montem Oliveti

subit, ad coelos inde ascensurus. Recogita, quod ibidem suam passionem sit auspicatus, et intellige adversitates esse principium gloriae. Non ibis ergo ad gloriam per mundi delicias, et sensuum oblectamenta. Dic ergo cum S. Theresia: Aut pati, aut mori.

FER. V HEBDOMADAE V POST PASCHA

Med. 192. — De ascensione Domini.

1. *Elevatis manibus suis benedixit eis* (Luc. 24). — Quibus verbis benedixerit, non constat. Cogitare licet eam fuisse, quam in coena dedit. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos* (Joan. 17). Benedictio autem Christi efficax est, dans gratias, quas precatur. O Pater mi, benedic etiam mihi benedictione coelesti, non terrena, quia nec satiat, nec amplius sapit!

2. *Videntibus illis elevatus est* (Act. 1). — Non mere videntibus, sed, quod rem adeo insolitam, gloriosam et amabilem spectantibus accidere solet, comitantibus affectu admirationis, gaudii, ac desiderii. Unde singulos dixisse credas: *Trahe me post te* (Cant. 1). Comitare tu iisdem. *Elevatus est*, non momento abreptus, ut diutius illi suis affectibus inhaererent. Momentanei non agunt radices. Quos tu in meditatione excitaveris, saltem in eum diem foveas, et proferas.

3. *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum* (Philipp. 2). — Ibi ascendere incipis in coelum, ubi te deprimis. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit?* (Eph. 4). Humilitati hoc promisit Christus: *Qui se humi-*

liat, exaltabitur (Matth. 23). Tanto altior erit ascensus, quanto profundior humilitas. Potesne tibi coelum polliceri, si pergas ea via, qua hactenus? Inspice vias Domini et sequere.

FER. VI HEBDOM. V POST PASCHA

Med. 193. — Adstant duo Angeli, praedicunt secundum Christi adventum.

1. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum* (Act. 1). — Gratissimum oculis objectum, et unicam laetitiae materiam nubes involvens eripuit oculis. A Deo productam cogitare licet, non aliunde advocatam. Deus aliquando est, qui nubem ponit intellectui nostro, ut non penetremus divina; ne contemplationi intenti praetereamus opera charitatis in proximos; aut ut in ipsa desolatione humiliter tolerata, plus illi placeamus. At vide, ne aliae sint in te nubes exhalantium passionum, ac pravorum affectuum, quae tollunt aspectum Dei. Veni, coelestis auster, et dissipa has nubes.

2. *Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt... qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum?* (Ibid.). — Postquam absconditus est Jesus ab oculis discipulorum, reprehenduntur. 1. Quod *stent*. In hac vita sumus in via: ergo non est standum, sed de virtute in virtutem procedendum. 2. Quod *aspiciant in coelum*. Non solum aspiciendo, aut desiderando eo pertingitur: laborandum est pro eo regno, quia *vim patitur*. Sed forte tu hanc correptionem non mereris, qui intentione tua raro coelum aspicis? Posthac *oculi mei semper ad Dominum* (Psal. 24).

3. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet...* (Ibid.). — Ingerunt secundi ad judicandum adventus memoriam : *sic veniet* quoad majestatem quidem, non tamen quoad finem, qui jam vadit in coelum, ut advocatus sit noster: tunc veniet, ut judicet. Volunt ergo hujus adventus memoriam, abeunte Jesu, apud nos remanere, ut timeamus offendere eum, quem habituri sumus Judicem. Sic ergo sequere ascendentem, ut non debeas timere judicantem.

SABB. HEBD. V POST PASCHA

Med. 194. — De triumphali Christi in coelum comitatu.

1. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem* (Eph. 4). — Comitantur ascendentem sanctae e limbo animae amoris vinculis captivae, et augustum reddunt triumphum. Meminerunt angustiarum suarum ; vident, et gaudent se liberas. Adjunge te illi comitatui. Aspice, quam dilecta tabernacula Domini virtutum, et sordebit tibi tellus. Aspira ad libertatem Filiorum Dei, qui vinctus teneris tuarum cupiditatum catenis. Denique disce, apostolicum virum non debere solum, et sine comitatu coelum ascendere, sed secum praedas animarum orco ereptarum deducere.

2. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium* (Psal. 67). — Occurrunt triumphanti Angeli. Gratulantur Christo, ut victori, debellatum infernum ; ut pastori, repertam ovem, quae perierat; ut parenti hominum, recuperatum filium prodigum, etc. Gratulare cum illis Christo. Recogita, quanti steterit hic triumphus. Agnosce et te ereptum inferis; te esse ovem illam, quae

abieras in errores concupiscentiarum; filium prodigum, qui dissipaveras omnem substantiam. Gaude, gratias age, propone.

3. *Ascendit Deus in jubilo* (Psal. 46).— Cogita, quae fuerint jubilationum voces. Dixerint animae, quo nihil audit libentius triumphator: *Redemisti... nos in sanguine tuo...* Cecinerint Angeli: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere coronam, etc.* (Apoc. 5). Tu cum his et illis applaude Christo. Cum illis agnosce te sanguine Christi redemptum. Agnosce tuam inde nobilitatem, ne degeneres. Ab his vero disce, coronam dari occiso, ut tu veterem hominem occidas.

DOMINICA VI POST PASCHA

Med. 195. — Triumphalis Christi in coelum ingressus.

1. *Pater... opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam: et nunc clarifica me tu, Pater, etc.* (Joan. 17). — Ubi Filius ante Patrem constitit, haec aut similia dixisse puta. Repraesentat expletam obedientiam, ostendit vulnera, offert animarum spolia: et ideo gloriam petit. Fac te ante eumdem Patrem consistere: potesne cum veritate dicere: *Opus consummavi?* Quam imperfecta est tua obedientia! Quam pauca pro Christo sustines! Quam frigidus es ad salutem proximi! Age, ut cum hora venerit, ita dicere possis, aeterno Patri.

2. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis* (Psal. 109).—Crede humanitatem Filii ad dexteram Patris invitatam, ab Angelis et Beatis latriae cultu adorandam: *sedere jussam* ad maje-

statem, potentiam, et super omnes creaturas excellentiam indicandam. At qui hic gloria et honore coronatus, est frater tuus ; ille ipse est, qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem* (Phil. 2). Sed propterea *exaltavit illum Deus*, ut discas humilitatem certam esse viam ad gloriam.

3. *Sedet a dextris Dei* (Marc. 16). — Sedet ad imperandum, et judicandum. At nihil imperabit, nisi quod ipse fecit. Ut suaviora nobis sua redderet imperia, ea exemplo condivit. Quam durus est servus, qui ad illa opera se applicare detrectet, quae Dominus non dedignatur ! Sed quoties tu detrectasti ? Judicavit autem abscondita cordium. Si non amas Patrem, Fratrem ac Dominum, time Judicem. Si hominem fallis, hunc fallere non potes.

FER. II HEBD. VI POST PASCHA

Med. 196. — Fructus ascensionis Christi.

1. *Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portae aeternales* (Psal. 23). — Primus fructus est, quod portas coeli per peccatum nobis clausas, Christus sua ascensione reseraverit, ut intrare nobis liceat ad gloriam, modo velimus. Coegita, quae fuerint Patrum lamenta, dum eae essent clausae ; quae gaudia dum apertas viderunt. Gaude et tu de hoc tibi beneficio facto. Sed quale monstrum est peccatum, quod unum tibi iterum eas portas claudere potest ? Declina ab hoc, et abhorre, ne, dum pulsaveris, audias, *clausa est janua* (Matth. 25).

2. *Vado parare vobis locum* (Joan. 14). — Alter fructus ascensionis Christi, ut nobis locum paret.

Ita qui passionem suam et mortem voluit nobis servire, vult etiam gloriam suam nobis prodesse; ut ubi est caput nostrum, ibi et nos simus ejus membra. Quam bonus est Deus, qui totus est meus! Visne et tu totus esse Dei? Visne per infamiam, et bonam famam, per gloriam, et ignobilitatem? Hoc certe meretur Deus; qui tantum de te est meritus.

3. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum* (1 Joan. 2). — Tertius hic fructus est. Toties rei, toties recidivi habemus advocatum, qui interpellat pro nobis, et vulnera sua Patri ostendit, ut eorum objectu mitiget iram, quam promeremur. Redde te dignum, et committe te totum, ut pro te interpellet. Sed scito, quod *non pro mundo rogo* (Jo. 17). Ideo non mundi, sed Christi legibus vive.

FER. III HEBDOM. VI POST PASCHA

Med. 197. — De nostra ascensione.

1. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (Psal. 83). — Ascensio Christi nostram invitat. Haec non una est. Prima est in *valle lacrymarum*, sive in animae purgatione. Hic *ascende super equos*, indomitarum tuarum passionum. *Elevabunt nos, si fuerint infra nos* (S. August. serm. 176). Per ea ascendis, quae calcas. Calca ergo et mundum et teipsum generoso contemptu.

2. *Ibunt de virtute in virtutem* (Ibid.). — Altera ascensio est per profectum in virtute. Nullus est terminus praescriptus: quia quibus dicitur: *Estote... perfecti, sicut Pater vester coelestis* (Matth. 5),

semper habent, quo progrediantur. Quotidie ergo hic adhibendus conatus est, omnis captanda occasio. Et quot tu praetermittis, numquam amplius redituras? Excita novum fervorem.

3. *Videbitur Deus deorum in Sion* (Ibid.). — Tertia ascensio est per unionem: quando eo pervenis, ut Deus sit tibi omnia: extra Deum nihil velis, ames, timeas. O quando ascendam in hunc montem Domini? Oh quam adhuc amo terrena! Quam meipsum! Quam facile humano respectu a bono avocor! O Deus meus, et omnia!

FER. IV HEBD. VI POST PASCHA

Med. 198. — De regressu discipulorum in Jerusalem.

1. *Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem* (Luc. 24). — 1. Obsequuntur monentibus Angelis, relinquunt locum, in quo cum magno suo solatio diutius haesissent. Si juberis mutare locum, si aliud, etiam cum tuo incommodo, et privatione solatii spiritualis, attende pretium obedientiae. 2. *Adorantes* osculis vestigia relicta. Adora vestigia virtutum Christi, cum desiderio iis insistendi.

2. *Cum gaudio magno* (Ibid.). — Quod viderint gloriam Domini: quod acceperint benedictionem ad labores, quos sperant a Domino prosperandos: quod cum parandi sibi loci promissionem acceperint, sperant etiam se aliquando eo ascensuros: in his gaudent servi Dei, in vanis, et noxiis mundus.

3. Intraverunt *in coenaculum... et manebant ibi* (Act. 1). — 1. Mandato Christi obedientes, qui eos jussit redire in Jerusalem. 2. Ex cognitione suae imbecillitatis; ne, si prodirent non induti vir-

tute ex alto, deficerent. Cognosce et tu, quam parum possis sine eo, qui solus potest omnia : et ut possis aliquid, imbecillitatem tuam illius omnipotentiae junge.

FER. V HEBD. VI POST PASCHA

Medit. 199. — De electione S. Matthiae.

1. *Oportet impleri Scripturam:... Episcopatum ejus accipiat alter* (Act. 1). — Ut loco Judae alius substituatur. Vide providentiam Dei, quae nec in Ecclesia aptos ministros, nec in religionibus servos suos deesse patitur; et cum unus deficit, de alio providet. Accepisti et tu in religione alicujus defuncti locum? Sta in timore, et humilitate, cum vides Apostolum defecisse.

2. *Et statuerunt duos, Joseph... et Matthiam, et orantes dixerunt: Tu, Domine... ostende quem elegeris* (Ibid.). — En medium bonae electionis, oratio et indifferentia ad Dei nutum. Sine his quam male elegisti multa! Quanto melius elegisses, si haec adhibuisses! Saepe tuo damno.

3. *Et dederunt sortem eis, et cecidit sors super Matthiam* (Ibid.). — Praefertur Matthias Barsabae, nec ille effertur, nec iste murmurat, tametsi forte praeferendus videretur, quod et prior nominetur, et elogio Justi honoretur. A Deo dictatum uterque accipit. Si alteri praeponaris, esto Matthias; si postponaris, esto Barsabas.

FER. VI HEBD. VI POST PASCHA

Med. 200. — De expectatione Spiritus Sancti.

1. *Sedete in civitate* (Luc. 24). — Ad hoc Christi mandatum subducunt se Apostoli a conversatione,

et forensi tumulti, expectaturi quem promiserat Deus, Spiritum Sanctum. Itaque vivebant illo tempore abstracti a rebus saeculi, et hominum commercio. Spiritus Sanctus lingua est Dei; sed *non auditur in compitis, non percipitur in foris.* Secedendum est ab extraneis ad interna, ut percipiatur. Discede ergo a distractionibus, et te intra te collige. Anima dissipata non est cum Deo. Si id fecerunt, quibus Christus revelavit adventum Spiritus Sancti, quanto magis te decet id praestare?

2. Donec *induamini virtute* (Ibid.). — In illa recollectione spirituali expectabant illud: *Donec.* Cum enim venturum certo crederent Spiritum Sanctum, horam autem ignorarent, ita agebant, ut semper parati reperirentur. In dilatione erat longanimitatis et patientia; cum ardenti desiderio aequanimitas, et indifferentia, ut tum veniret, cum Deo placeret. Debes etiam ad consolationes spirituales habendas, aut non habendas, indifferens esse: et id unum spectare, ut Dei voluntas fiat, tui alias desiderii nulla ratio habeatur.

3. *Erant perseverantes... in oratione* (Act. 1). — Non ignorabant, quod *dabit spiritum bonum petentibus eum:* ideo in illo secessu orationi vacabant. Crede petivisse eos illum variis titulis: ut *lumen cordium*, tum ad sua, tum ad aliena corda illuminanda: ut flammam, ad accendenda sua et aliena corda ad amorem Dei; et ad omnia, quae sunt apostolicae vocationis. Oratione trahis Spiritum Sanctum. Esto certus, si petes ut debes, accipies.

—

Med. 201. — Peculiaris Apostolorum ad accipiendum Spiritum Sanctum praeparatio.

1. *Erant omnes perseverantes* (Act. 1). — Hinc neque Thomas abest, jam semel expertus, quanto se bono privet, qui a communitate se separat. Magnus Sanctus evasit, qui, quae sunt religioni communia observat. Ab his neque majoris spiritualis commodi causa est recedendum. Nam communes gratias perdis per singularitatem et hoc defectu mereris, ut particulares non accipias. Esto ibi, ubi filii Dei sunt *omnes*.

2. *Erant perseverantes unanimiter* (Ibid.). — In summa concordia, et animorum consensu, qui apparuit in electione Matthiae. Quod charitatis vinculum nec solvit numerosa congregatorum multitudo, nec nationum diversitas, nec discrepantia naturalis genii. Sed *erat cor unum, et anima una.* Spiritus Sanctus est amor essentialis, et vinculum charitatis. Quomodo eum praestolari potes, si solvis vinculum? Si cum plurium offensa adhaeres uni? Si diversos genio, aut natione fugis? etc.

3. *Cum mulieribus, et Maria matre Jesu* (Ibid.). — Maria, ut docent theologi, merita est acceleratiönem Incarnationis; cogitare licet impetrasse etiam Spiritus Sancti adventus accelerationem. Efficacissima est ejus oratio apud Filium. Credibile est, Apostolos suas cum illius orationibus conjunxisse. Concipe magnam Beatissimae Virginis aestimationem, ex aestimatione amorem, ex amore fiduciam; preces tuas illi committe, Deo offerendas, et reddendas dignas ut in conspectu Dei appareant.

PARS SECUNDA

DOMINICA PENTECOSTES

Med. 202. — De adventu Spiritus Sancti in vento.

1. *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco* (Act. 2). — Tempus non vacat mysterio. Dies erat idem, quo olim data fuit lex timoris; cui hodie sufficitur lex amoris, quam venit Spiritus Sanctus scribere in cordibus fidelium, ut efficiatur per illam jugum Christi suave, et onus leve. Vere enim amanti nihil difficile. Oh si et hodie ad me veniat, et scribat *legem* suam *in medio cordis mei* (Ps. 39); ut non ex necessitate servili sed ex amore filiali Deo serviam!

2. *Factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis* (Ib.). — Expende verba: *Factus est sonus:* quo omnes occupet, et si quis esset incurius, percelleretur. Quam altum ego dormio, qui necdum hoc sono excitor! *Repente:* quia visitatio Spiritus Sancti non habet definitam horam, sed ut expetenda est semper, ita semper expectanda. *De coelo:* unde est *omne donum,* idest, Filius Dei, *et datum perfectum,* idest, Spiritus Sanctus. *Tamquam spiritus,* idest, venti, cujus diversas proprietates, ut Spiritui Sancto convenien-

tes, considerare potes. *Vehementis:* adnotandum impetum, quo corda nostra ad actus virtutum impellit. Oh quam vehementi mihi spiritu opus est, qui tantum torpeo! Veni, Sancte Spiritus, perfla hortum, aut cor meum.

3. *Et replevit totam domum, ubi erant sedentes* (Ibid.). — Abundantia donorum ostenditur, quibus Ecclesia a Deo repletur; a quo nemo, qui in coenaculo, seu in Ecclesia est, excluditur. Ora, ut domum animae tuae totam impleat. Aperi angulos et latebras, ut penetrare possit. At non replebit, nisi et tu sedeas per quietem internam et animi compositionem. Non enim implet animam vagam, et ad exteriora effusam.

FER. II HEBDOMAD. PENTECOSTES

Med. 203. — De ejusdem adventu in igne et linguis.

1. *Apparuerunt illis dispertitae linguae* (Act. 2). — Non dabatur Spiritus Sanctus apostolis, ut res otiosa; sed ut formarentur praedicatores legis novae, ideo linguae illis figura datus est; et ut loquerentur magnalia Dei. Ex lingua tua argue, an habeas Spiritum Sanctum in corde tuo. Ex abundantia cordis os loquitur: sensus, quos promis, praehabes in corde? Si reperis non habere, linguam emenda.

2. *Tamquam ignis* (Ib.). — Alias sub aliis figuris apparuit, nubis, columbae, fluvii, etc., hic sub ignis specie, quo Apostoli et illuminarentur, et alios illuminarent; accenderentur ipsi et alios accenderent, ac mentes peccatorum purificarent: quae sunt potissime dotes evangelici praedicatoris. Oh quam tibi opus est hoc igne, ut illuminentur tuae tenebrae ad declinandos consuetos errores!

Ut accendaris amore tam in Deum, quam in proximum! Veni, Sancte Spiritus, accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus.

3. *Seditque supra singulos eorum* (Ibid.). — *Sessio haec* (ait S. Greg. Nazianz. orat. 44 de Pentec.), *regiae in Spiritu Sancto dignitatis excellentiam significat*, qua cordium illorum dominatum accepit. *Sedit*, non discessurus, quia apostoli in gratia confirmabantur. Oh si Spiritus iste regiam in corde tuo dignitatem obtineret! Oh si te tam varium et mutabilem confirmaret! Dominabitur, si velis; si carnis dominatum non admittas; si pareas ejus inspirationibus. Confirmabit, si velis firmiter et constanter. Totum ergo hoc a tua pendet voluntate.

FER. III HEBDOMAD. PENTEC.

Med. 204. — De fine, quo missus est Spiritus Sanctus.

1. *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis... Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere* (Joan. 14). — Finis est, ut sit *Paracletus*, seu consolator. Consolatur autem, qua *Spiritus veritatis* est, discernens falsa a veris. Quae nos affligunt, plerumque falsa sunt imaginationis figmenta. Detege tibi veritatem: consolatio erit in promptu: quia videbis inanes umbras fuisse.

2. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (Jo. 16). — Secundus finis est ut conferat apostolis intelligentiam eorum, quae Christus sive aperte, sive occulte docuit, toti Ecclesiae tradenda. En quanta cura et providentia Dei, ut errores ex suorum mentibus eximantur.

Intellectus est, qui ducit aut seducit voluntatem. Quantum interest, ut hic fallacias detegat, et altis veritatis principiis imbuatur, ne principiis carnis, aut mundi, voluntatem seducat! Quae sunt autem principia tua? Quam conformia veritati?

3. *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio* (Ib.). — Tertius finis est, ut per apostolos arguat mundum, ut corrigatur. Cur arguendi munus tribuitur Spiritui Sancto, qui est Spiritus amoris? Ut omnis increpatio fiat in Spiritu amoris ac lenitatis. Nota autem tria, de quibus arguet. De peccato incredulitatis: de justitia, quod mundus se justum putet; de judicio, quod principem hujus mundi diabolum faciat. Vide, quae tua sit fides? Quam firmetur operibus? Anne falsa aestimatione sis justus? An audias suggestiones daemonis?

FER. IV HEBDOMAD. PENT.

Med. 205. — Quid Spiritus Sanctus in Apostolis operatus sit.

1. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto* (Actor. 1). — Collationem Spiritus Sancti baptismum vocat; significans per illum datos esse apostolis principales effectus baptismi, purgationem a peccatis, remissionem poenae, gratiam, perfectam charitatem, et unionem cum Deo, et omnes habitus virtutum supernaturalium. Oh felix apostolorum sors! Infelix tua! Quantum tibi horum deest! Veni, Sancte Spiritus, imple superna gratia, quae tu creasti pectora.

2. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum* (Rom. 5). — Charitas ista

zelus est, quem conceperunt apostoli ad totius mundi conversionem pro gloria Dei, sine metu periculorum, tormentorum et mortis, qui antea ad vocem ancillae exhorruerant, aut metu mortis fugerant. Estne zelus iste gloriae Dei in te? Quaeris salvandas animas? Quaeris tuam? Sed quas pro illa difficultates superas? Quas umbras non times,

3. *Coeperunt loqui variis linguis* (Act. 2). — Ut praedicare omnibus gentibus possent evangelium, collatum est illis per Spiritum Sanctum donum omnium linguarum. Gratias itaque dedit congruas ad finem vocationis eorum. Ita Deus cum omnibus agit. Quos vocat, vocationi aptat. Nec tibi deerit, dummodo utaris mediis, quae tibi suggerit. In hoc plerumque defectus est noster. Quantus evades, si utaris.

FER. V HEBDOM. PENT.

Med. 206. — Quid Apostoli per Spiritum Sanctum egerint.

1. *Coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* (Actor. 2). — Accepto Spiritu Sancto prosiliunt apostoli; praedicant magnalia crucifixi Jesu: antea idiotae, nunc sapientia pleni; antea timidi et pusillanimes, nunc tormentorum et mortis contemptores. Quem movet spiritus, nihil timet, cum moventi obsequitur. Noli tardare, cum motum senseris: noli metuere. Ille finem dabit optatum, qui jussit.

2. *Stupebant autem omnes et mirabantur... Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt* (Ibid.). — Res sane digna fuit admiratione, illa sapientia, linguarum notitia, facundia in ex-

plicandis mysteriis, zelus et fortitudo. Sed a malis linguis nihil intactum. Irridentur ut *musto pleni.* Cum optime feceris, etiam de te pessime loquentur alii. Sed ut per hoc non desistebant apostoli inceptum prosequi, tu pariter non desiste. Propter sermones hominum non coepisti, propter eosdem non desine.

3. *Stans autem Petrus... levavit vocem suam, etc.* (Ibid.). — Occasionem ex imputata ebrietate nactus Petrus, negat ebrios esse vino; affirmat plenos esse Spiritu Sancto. Exprobrat Judaeis, quod Christum crucifixerint. Quibus illi *auditis, compuncti sunt corde* (Ibid.). 1. Disce apprehendere omnem occasionem boni. Oh quot tibi elapsae sunt! 2. Inebriari Spiritu Sancto, qui inducit rerum terrenarum oblivionem. 3. Sermones tuos eo dirigere, ut compungantur corde, qui te audiunt. Ad hoc autem zelo et solida, non ficta et apparente, virtute opus est.

FER. VI HEBDOM. PENT.

Med. 267.— Fructus Spiritus Sancti in primis christianis

1. *Erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus* (Actor. 2). — Ter mille baptizati fuerunt. Hi statim 1. sequuntur doctrinam apostolorum, sensui arduam et contrariam. 2. Eucharistiam frequentant, qua dispositione! Qua fame! Quo fructo! Orant, qua fide! Qua humilitate! Qua constantia! Confer te cum illis. Vide, quo deficias. His stude: quia sunt primum vitae spiritualis nutrimentum.

2. *Erant pariter et habebant omnia communia* (Ibid.). — *Non erat meum, ac tuum, frigidum*

illud verbum. Qui spiritum Dei concipit, facile ab amore terrenorum avellitur. Evacua te ad perfectam paupertatem. Quo minus habueris rerum, plus spiritus habebis. Non intrat spiritus cor, quod aliarum rerum amore plenum est.

3. *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (Actor. 4). — In tanta diversitate nationum, conditionum, talentorum, summa concordia: nulla alterius de altero querela, de nullo sinistra existimatio, minus sermo sinister. Oh felix societas, in qua multi vivunt una anima et consensu! *Quam bonum et quam jucundum est, habitare fratres in unum* (Ps. 132)! Vis spiritum Dei et tuae vocationis? Cura unionem: hac laesa, semper laedis pupillam oculi.

SABB. HEBDOM. PENT.

Med. 208. — De iis qui non accipiunt Spiritum Sanctum.

1. *Non permanebit Spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est* (Gen. 6). — Qui addictus est sensualitati et delectationibus, non speret in se Spiritum Sanctum. Quia caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Vide ergo et hinc necessitatem sensus tuos et concupiscentias occidendi.

2. *Spiritus... Sanctus disciplinae effugiet fictum* (Sap. 1). — *Fictum*, intellige simulatorem, qui vult videri bonus, non studet esse; qui suis sensuum delectamentis apud superiores praetexit bonum aliquem finem; qui malis suis intentionibus colorem sanctitatis appingit. Hunc effugiet Spiritus Sanctus, quia est Spiritus veritatis, quae alium colorem non admittit. Tolle ergo fictionem

et omnem humanum respectum, pestem animae: age candide, simpliciter et sincere.

3. *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere* (Jo. 14). — Quia mundus falsis principiis nititur: divitias, honores, oblectamenta sensuum esse quaerenda; fugiendam paupertatem, contemptum et crucem. Veritas autem prorsus habet contraria principia: non potest ergo mundus Spiritum veritatis accipere. Examina, utris tu principiis innitaris. Agnosce illorum falsitatem; istorum firmitatem et te exemplo Christi ad ista converte.

DOMINICA SS. TRINITATIS

Med. 209. — De mysterio Ss. Trinitatis.

1. *Dominus Deus noster, Dominus unus est* (S. Eccl.). — Deus est una quaedam simplicissima entitas, in omni genere perfectionis infinita; primum rerum omnium principium et finis ultimus: unicum summum bonum, ideo unicus Deus, extra quem non est alius. Non capio te, sed credo te, adoro, laudo, glorifico, timeo, amo et tibi soli servio; tu centrum omnium meorum affectuum. Ah sero te agnovi, *sero te amavi, pulcritudo mea!* Qui multiplicavi mihi Deos, quoties me vel creaturam aliquam plus quam te colui et amavi, aut illi impensius servivi. Ex hoc tu unus eris mihi in Deum, cui omnia ossa mea dicent gloriam.

2. *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (Matth. 28). — Ita Deus est in essentia unus, ut tamen sit trinus in personis. Pater sui intelle-

ctione generat Verbum; Pater et Verbum mutua dilectione producunt Spiritum Sanctum. Neque hic capio cum perfecta unitate perfectissimam distinctionem; sed credo, adoro, laudo, etc. Applicabo animum ad vivam Dei cognitionem, ut quoad po test in hac umbra, aliqua ejus imago in mente mea generetur; quam summi aestimem, ex aestimatione amem, et ita etiam Spiritus Sanctus aliqua ratione in me producatur.

3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus* (Apoc. 4). — In hac personarum Trinitate summa est perfectionum aequalitas eadem bonitas, gloria, immensitas, aeternitas, omnipotentia, justitia, etc., quas omnes affectiones una sanctitas comprehendit; et ideo praecipue memoratur. Cum omnis creatura sit quaedam imitatio Dei, ut omnes Dei perfectiones nos imitemur sanctitas sola imitanda proponitur: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum:* non potentia, altitudo, scientia, quam ambierunt angelus et primus homo, et male perierunt. Hoc ergo age, ut Dei sanctitatem imiteris. Sed quantum abes!

FER. II HEBDOM. I POST PENT.

Med. 210. — De persona Patris Aeterni.

1. *Numquid ego, qui alios parere facio ipse non pariam?* (Is. 66). — 1. Pater est fons et origo divinarum processionum et perfectionum, qui a nullo procedit, a quo procedunt reliquae personae; qui cognoscendo seipsum producit Filium, cui totam essentiam et omnes perfectiones absolutas communicat. Hoc non intelligis? Captiva intellectum in obsequium fidei: humiliter adora,

lauda, glorifica, ama cum omnibus Angelis. 2. Ita generat Filium, ut tamen et in Patre sit Filius et in Filio Pater: immo sunt unum Pater et Filius. O Pater! Da nobis, ut simus unum, sicut tu et Filius tuus.

2. *Ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur* (Eph. 3). — Unicum ad intra, et ex necessitate generat Filium sibi consubstantialem, sed multis ad extra dat, ut sint et nominentur Filii Dei adoptivi per gratiam. Vide, quanta majestas est, quae adoptat! Quanta vilitas hominis qui adoptatur! Habes, quo confundaris, quod alios titulos tanti feceris, hanc filiationem Dei tam parvi aestimaveris: quo gaudeas quod possis esse filius et haeres Dei: quod timeas et omni studio imposterum caveas amittere.

3. *In manu tua est fortitudo et potentia* (2 Paral. 20). — Etsi et perfectiones absolutae et actiones ad extra sint communes Trinitati; Patri tamen, quia fons omnium et origo est, attribuitur potentia, per quam est, quidquid extra Deum est. Et tu de nihilo ab illo es: quidquid es, illius es: Illi ergo te redde, cujus es. Hoc tua natura, hoc omnis creatura clamabit tibi toties: *Ipse fecit nos et non ipsi nos* (Ps. 99): et tu surdus quoties magis creaturas coluisti? Non pudet? Et quid ages?

FER. III HEBDOMAD. I POST PENT.

Med. 211. — De persona Filii.

1. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* (Jo. 1). — Filius intellectione Patris productus est substantialis imago Patris, cujus habet eandem individuam naturam, easdem omnes perfe-

ctiones absolutas. *Unigenitus*, cui totum communicatur, quidquid potest Pater communicare. *In sinu Patris*, cum Patre et intelligit et amat et beatus est et Spiritum Sanctum producit. Crede, lauda, glorifica, ama, etc. Cujus es tu imago? Nonne Dei? Ad hanc quidem creatus es: sed quam defoedasti eam!

2. *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (Rom. 8). — Unicus Filius et haeres, multos fratres adoptivos et cohaeredes admittit; immo adsciscit per assumptionem humanitatis et gratiam adoptionis suo sanguine fundat. Habes ergo fratrem Filium Dei: quae gratia? quae gloria? Sed quam parvi eam aestimasti! Inspice hanc imaginem denuo, ut quid tibi desit, advertas et repares.

3. *Omnia in sapientia fecisti* (Ps. 103). — Filius est Sapientia Patris. Huic supernaturalia lumina et cognitiones referuntur in acceptis; quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Jo. 1). Ab hoc veram sapientiam pete, quae est cognitio et aestimatio rerum, prout sunt: ut terrena aestimes terrena, divina divina, transitoria transitoria, aeterna aeterna; ut transeas solum per ea, quae transeunt, haereas in illis, quae permanent.

FER. IV HEBDOM. I POST PENT.

Med. 212. — De persona Spiritus Sancti.

1. *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (Jo. 15). — Pater videns in Filio suam essentiam et perfectiones, necessario

amat Filium. Filius videns easdem sibi a Patre communicatas, necessario amat Patrem. Reciprocus hic amor substantialis est Spiritus Sanctus. Crede, lauda, adora, glorifica, etc. Oh si et ego conjungerer Deo in eodem Spiritu!

2. *Accepisti Spiritum adoptionis filiorum* (Rom. 8). — Quos adoptat Pater in Filios, Filius in fratres, hos in dies perficit Spiritus Sanctus communicando seipsum, dona supernaturalia et gratiam habitualem; quae est quaedam participatio naturae divinae. Sed quoties tu *resistis Spiritui Sancto* (Actor. 7), ne in te hanc filiationem perficeret? Noli imposterum *contristare Spiritum Sanctum Dei* (Eph. 4). Quod te extra Deum magis laetificat, hoc certo Spiritum Sanctum magis contristat.

3. *Oh quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus!* (Sap. 12). — Bonitas, suavitas, misericordia, etsi aeque sint communes Trinitati, specialiter Spiritui Sancto tribuuntur. Huic debes, quod sis deductus in terram bonam, quod fecerit tecum Deus misericordiam suam, quod lacrymis laveris peccata tua, etc. Et quid reddis? Vide, ne si ingratus esse pergas, ipse quoque a te abstrahat misericordiam suam et cesset postulare pro te gemitibus inenarrabilibus.

FER. V HEBDOM. I POST PENT.

Med. 213. — De amore Christi erga nos in Sanctissimo Sacramento.

1. *Hoc est corpus meum... Hic est sanguis meus* (Marc. 14.) — Idem in Eucharistia est corpus, quod in Incarnatione assumptum fuit: idem

sanguis, qui in cruce effusus. Quanti amoris onus est incarnatio et mors Christi, tanti est sui ipsius exhibitio in Eucharistia. Tantum ergo debes Christo per hanc ad te venienti, quantum totus mundus incarnato et mortuo. O Domine, quis tu es? Et quis ego sum? Et tamen, quam parum tibi obsequii reddo! Quam multum mihi ipsi, et vanitati!

2. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* (Jo. 6). — Sub speciebus panis et vini se abdidit, ut nobis incorporaretur, et ut nostrum alimentum transiret in substantiam. Vides amorem erga te, quo Jesus vult tecum unum fieri? Quam ergo debet purum esse, et immaculatum cor tuum! Quam ab omni re creata avulsum, et uni Deo adhaerens! Qui enim amat alia praeter Deum, non amat, ut debet, Deum.

3. *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* (Ibid.). — Ut vitam viveremus divinam, divinum exhibuit alimentum. Noluit in sacramento hoc permanere substantias, ut ipse substantia sui corporis et sanguinis nos satiaret. Non est hoc amoris vere divini argumentum? Non deberet hic cibus omnem meum appetitum satiare? Toties hoc pascor, et tamen ad caepas Aegypti, ad delectamenta sensuum, ad creata suspiro? Oh pudor!

FER. VI HEBDOM. I POST PENT.

Med. 214. — Sanctissima Eucharistia est memoriale passionis Christi.

1. *Hoc Sacramentum instituit tamquam passionis suae memoriale perenne* (S. Thom. op. 3).

— Cruenti sacrificii ut perennis extaret memoria, incruentum instituit quotidie peragendum. Semel pro nobis immolatus, invenit modum, quo saepius immoletur. Ergone putandum est Christum toties pro me mori? Agnosce amorem. Sed nihil reddis, nisi et tu quotidie immoleris. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal. 4).

2. *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22). Quanti ipse suam passionem fecerit, hinc aestima; quia voluit ipse seipso ejus esse memoriale. Obligat hoc te ad continuam tanti beneficii memoriam; non quae in sola cogitatione sistat, sed quae in affectum, et opus transeat. *Qui enim passionis dominicae mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus* (S. Greg. 4, dialog. 59).

3. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem* (Domini) *bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (1 Cor. 11). — Quoties Eucharistiam sumis, cogita te mortui Christi sepulcrum esse. Non eris dignum, nisi sis novum; voluit enim poni in *monumento novo*. Non eris novus, nisi veterem hominem occidas. *Necesse est, ut dum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus* (S. Greg. ibid.). Quid ad hoc ais? Expedi arma, et te hostiam ei exhibe, qui se dedit hostiam pro te.

SABB. HEBDOM. I POST PENT.

Med. 215. — De dignitate sumentis Eucharistiam.

1. *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. 14). — Qui sumit Eucharistiam, fit Dei habitaculum. Ut advertas, quanta sit haec

dignitas, cogita uterum beatissimae Virginis, in quo primum homo factus habitavit. Quantis illam gratiis cumulavit! At is ipse est, qui in Eucharistia ad te divertit. Quanta est hujus habitaculi dignitas! Ah! noli permittere, ut in ea divertant foeda animalia infraenium passionum.

2. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (Jo. 6). — Non solum fit habitaculum Dei, qui Eucharistiam sumit, sed admirabili quadam unione fit unum cum eo. Assequere, si potes, quanta sit haec dignitas, uniri humanitati Christi, et veluti ea mediante ipsi personae Verbi et toti Trinitati, quae concomitanter in Eucharistia sumitur. Considera ad quid te obliget haec dignitas: ut qui uniris Deo, avellaris a luto creatarum rerum; ut dicta, facta, cogitata tua sint talia, quae non dedeceant membrum Christi.

3. *Ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me* (Ibid.). — Excellentiam unitionis cum Christo adverte. Sicut Filius accipit a Patre essentiam, vitam et omnes perfectiones; ita ut sit unus Deus cum Patre et in eo vivat, easdemque cum illo perfectiones habeat, idem intelligere, idem velle et operari: ita per Eucharistiae sumptionem fis particeps vitae et perfectionum Christi. Debes ergo idem cum illo sentire, velle, agere, pati. Efficiet id unitus tibi Christus, nisi tu obsistas.

DOMINICA II POST PENT.

Med. 216 — Sanctissima Eucharistia est coena magna.

1. *Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos* (Luc. 14). — Eucharistia *coena* est, parata vespere: seu in fine saeculorum: sumenda in nocte obscura ad fidei lumen. *Magna* ab editore Deo, a ferculis humanitatis ac divinitatis Christi; a convivis omnibus fidelibus; a ministris Angelis. Omnia magna sunt: tu solus parvus es et indignus; et tamen te quoque Homo Deus ad illam invitat. Huc totam famem, sitimque applica; *et ne desideres de cibis ejus* (mundi et carnis), *in quo est panis mendacii* (Prov. 23).

2. *Et coeperunt simul omnes excusare*, (seu recusare) (Ib.). — Domini bonitas est omnes admittentis; sua cujusque malitia est, seipsum excludentis. Tria excusationum genera inducuntur: *in empta villa, dominatio et superbia notatur* (S. Aug. serm. 33 De Verb. Dom.). In emptis bobus avaritia, aut quinque sensus, qui nos ad terrena trahunt. In ducta uxore, carnis voluptates. Priores rogant se excusari: tamen venire contemnunt. *Humilitas sonat in voce, superbia in actione* (S. Gregor. hom. 13). Tertius solus: *Non possum venire:* quia *animus ad voluptates propensus, infirmus est et invalidus ad exequenda, quae Dei sunt* (Cyrill. Alex. lib. 4 de Ador.). Haec tria plerumque sunt, quae si te non abstrahunt a coena, fructum imminuunt. Vide, ne recuses.

3. *Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo:*

Exi cito in plateas et vicos civitatis; et pauperes, ac debiles et coecos et claudos introduc huc (Ibid.). — Merito irascitur Dominus, cujus tanta humanitas, tantum beneficium respuitur. *Pauperes et debiles dicuntur apud semetipsos infirmi qui judicio suo sunt* (ait S. Greg. hom. 36). Quam ille ardet habere convivas! Quam tu languide accedis! Ille undequaque conquirit, nec aversatur *infirma mundi*. Non avertaris infirmitate tua; *quia, quem vocaverit, dignum facit, si sequatur et sanat omnes infirmitates tuas* (S. Ambr. lib. 1 de poen. c. 6).

FER. II HEBDOM. II POST PENT.

Med. 217. — De dispositione ad Ss. Eucharistiam sumendam.

1. *In sole posuit tabernaculum suum* (Ps. 18). — Curanda summa puritas animae, in quam venturus est eucharisticus Deus. Exigit hoc summa puritas et majestas hospitis. Expende enim, quis, ad quem ingreditur? Si Matrem, quae conceptura erat Filium Dei, *decebat tanta puritate nitere, qua major infra Deum excogitari non potest;* te idem decet, qui eundem excipis. At puritas, non est sola ab omni peccato immunitas, sed etiam affectuum purgatio et virtutum ornatus. Potesne sic te mundum dicere? Quanto labore adhuc opus est, ut huc pervenias? Pervenies, si serio voles. Dic cum leproso: *Domine, si vis, potes me mundare* (Matth. 8). Confide, extendet manum suam et dicet: *Volo: mundare* (Ib.).

2. *Vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso* (Ap. 2). — Idest quod est *in Ecclesia militante per praesentiam corporalem in sacra-*

mento Altaris (ut ait Richar. a S. Laur. De laud. B. V. lib. 12). Ut hoc fruaris mysterio, necesse est, ut te vincas et appetitum rationi, rationem Deo subjicias. Non satis ergo digne accedis, si te non vincis. Quantus tibi in te ipso victoriarum campus! Superbia, ambitio, tui aestimatio, vanae gloriae cupiditas, ira, impatientia, languor in spiritu, tepiditas, et alia, quae tu nosti. Haec devince et dabitur tibi *de ligno vitae*. Quam alius esses, si quoties ad hanc escam accessisti, vel unum ex his hostibus subjugasses!

3. *Ecce ego pluam vobis panem de coelo; egrediatur populus et colligat* (Exod. 16). — Promittitur hic manna, figura Eucharistiae, et quidem ad instar pluviae super justos et injustos cadentis. Quae bonitas Dei se tam prodige largientis! Sed ut eo potiaris, necesse est te *egredi*. Unde? Aut quo? *De pristina conversatione, de vetustate vitae. Nondum enim deposito vetere homine, non est nobis hoc manna colligere* (Respondet Rupertus lib. 3, c. 11 in Exod.). Expende, quam vivat in te vetus homo, quanta in eo occidere debeas, ut induas novitatem vitae.

FER. III HEBDOM. II POST PENT.

Med. 218. — Item de dispositione ad Ss. Eucharistiam sumendam.

1. *Pauperes ejus saturabo panibus* (Ps. 131). — Felix paupertas, quae sola *edit magnam eleemosynam Regis regum, quam dat ipse; non aliam, quam seipsum* (ut ait Rupert. in cap. 6 Joann.). Datur ergo ille panis, ut eleemosyna magni Dei. Exinanire, exinanire ut pauper fias

illa dignus. Ejice amorem saeculi et vanitatem ejus. Indigne eleemosynam accipit, qui dives est: indigne Eucharistiam, qui saeculo afficitur. Scito, qui *esurientes*, seu pauperes, implet *bonis*, ille *divites* dimittit *inanes*. Et haec est forte causa tam parvi fructus a te relati, ex tam frequenti hujus mysterii sumptione.

2. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (Jo. 7). — Sitis quaedam, et fames, ac vehemens desiderium adferendum est ad hunc cibum. Fons ille sacramentalium gratiarum non patet, nisi sitienti. *Sitienti dabo de fonte vitae* (Apoc. 21). *Oportet namque, ut sancti desiderii ardor praecedat faciem ejus ad omnem animam, ad quam est ipse venturus* (ait Bern. serm. 81 in Cant.). O tepida anima! Nonne sacrilegium crederes nauseare cibum istum pretiosissimum? Certe proximus nauseae es, si non desideras. Excita ergo, quoties accessura es, fervens desiderium; quod nascetur ex actuali fide dignitatis hujus cibi, amoris Dei in te, fructuum ex Eucharistia dimanantium, etc.

3. *Cum invitatus fueris ad nuptias... recumbe in novissimo loco* (Luc. 14). — Ad nuptiale convivium Dei se tibi desponsantis accessurus es; quis tu? Quis ille? Agnoscis in ejus majestate tuam indignitatem? Sed dignus fieri potes, si corde sincero sis humilis. *Respexit humilitatem ancillae suae* (Luc. 1), ut ejus sacratissimum uterum subiret: non despiciet tuam humilitatem. Et quanta te deprimendi materia si bene expendas, quis tu? quis ille?

—

FER. IV HEBDOM. II PÓST PENT.

Med. 219. — De effectibus Ss. Eucharistiae sumptae.

1. *Accedite ad eum, et illuminamini* (Ps. 33). — Accedentium ad Christum fructus est, quod intellectu illuminentur ad cognoscenda altissima mysteria. Ipse lux *est, quae illuminat omnem hominem* (Jo. 1). Expende tenebras tuas. Heu quantum ad divina caecutis! Scisne, quod in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum (Luc. 24)? Ecce idem caecitatis tuae medicus est. Idem, quod ex caeco olim Jerichuntino, ex te quaerit: *Quid tibi vis faciam* (Luc. 18)? Oh benignitas praevenientis! Dic fidenter cum eodem: *Domine, ut videam* (Ib.) te, videam me.

2. *Qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur, ut aquilae, juventus tua* (Ps. 102). — Senescit anima, cum ad virtutem languet: juvenescit, cum viget. Senio hoc frequenter et tu occuparis: sed in novitate vitae ambulandum est. Ut renovetur autem juventus tua, aptissimum remedium est, ut Deus repleat *in bonis desiderium tuum.* Si ergo per *hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne Domini* (S. Hieron. in c. 3 Ezech.), ex hoc digne sumpto juvenesces. Aestima, lauda, ama, anhela; et quoties accedis, aliquid veteris hominis depone.

3. *Exurgens Maria... abiit in montana, cum festinatione* (Luc. 1). — Effectus hic fui concepti Dei. *Quo enim jam Deo plene, nisi ad superiora cum festinatione contenderet?* (ait Ambr. lib. 2 in Luc.). Eundem accipis in Eucharistia, quem Virgo concepit. Idem in te, nisi tu obsistas, ope-

rabitur: ut ardenti voluntate ad ardua virtutum contendas et quidem magna festinatione ad apicem perfectionis pervenias. Cooperare id desideranti Deo, ne te semper, per tuum languorem in imo reperiat. Elevabit te Deus, sed non sine te.

FER. V HEBDOM. II POST PENT.

Med. 220. — De aliis effectibus Ss. Eucharistiae sumptae.

1. *Panem Angelorum manducavit homo* (Psalm. 77). — Dicitur Ss. Eucharistia *Panis Angelorum*, non quod Angeli eo vescantur, sed quod homines sumentes veluti Angelos efficiat. *Datus est hominibus, ut fiant Angeli* (ita Hugo card. in c. 31 Prov.). Quae tua est felicitas, si fias veluti corporis expers, totus spiritualis, tentationum immunis, expers passionum? Certe si nondum factus es talis, tu impedivisti. Et quae haec tua insania, cum possis, nolle ad Angelicam perfectionem evadere?

2. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. 1). — Effectus sanctissimae Eucharistiae est, ut te faciat filium Dei, non quidem naturalem, sed adoptivum. Per quod simul intras in jus haereditatis. *Si enim filii* Dei sumus *et haeredes* (Rom. 8). Oh mira dignatio! Expende, quem Patrem habeas; quem Fratrem; quo affectu, reverentia, fiducia in eum ferri debeas? Sed quam degener tu fuisti hactenus filius et frater! Non te pudet? Sed quid eris imposterum, ut digne Patrem voces Deum, Fratrem Jesum?

3. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo* (Jo. 6). — Altius ascendit dignitas, quam per S. Eucha-

ristiam obtines. Non tantum fis filius Dei: sed unum cum Deo, ut is in te maneat, tu in illo. Sed necesse est ad hoc, ut moriatur in te quidquid tu es; vivat solum, quod Deus est. Oh quando erit illud tempus, quo cum veritate dicere possis: *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus* (Gal. 2)!

FER. VI HEBDOM. II POST PENT.

Med. 221. — De infinita Dei perfectione.

1. *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. 11). — Quidquid concipere potes perfectionis, bonitatis, sanctitatis, pulcritudinis, sapientiae, potentiae, felicitatis, etc., hoc in Deo est infinite perfectiori modo, quam tu concipias. Ex hoc, et per hunc sunt omnia, quae aliquid perfectionis habere videntur. Oh Deus meus et omnia! Tu es esse necessarium a te ipso: omnis creatura nihilum necessarium ex seipsa. Quid ergo amorem ad nihilum converto, a te averto? Tu es Deus meus, et solus dignus amore meo. Felix ego, si tantae majestati digne possim servire.

2. *In ipso sunt omnia* (Ibid.) — *Sunt omnia*, non tantum eminentiali modo essendi, sed etiam ut in idea, seu exemplari omnis perfectionis; praesertim vero intellectualium creaturarum, quas ad imaginem et similitudinem suam creavit, et usque modo per conservationem ad eandem similitudinem efformat. Quam eximium tibi propositum est exemplar, quod imiteris! Lauda, gratias age, ama. Sed confer vultum animae tuae cum illo: proh quantum abludis! Adnitere ergo Deum assidue in-

tueri: exuere, quod modo refers: refer eum, quem debes.

3. *In ipso sunt omnia* (Ib.). — Perfectiones illae omnes innumerae, per creaturas dispersae, in Deo sunt unica, eademque res, quae est sapientia, bonitas, misericordia, etc., sine omni compositione, sine omni distinctione: unde quae unum sunt, et in eadem unitate multa, magis Deum re ferunt. Esne tu unus, unitate intentionis? Unam forte habes, sed non eadem unitate multiplicem; sed diversas, et pugnantes: placendi Deo et hominibus; serviendo sensibus et Deo. Unam habe, qua Deum respicias, sed idem opus ex pluribus virtutum motivis age; erit unum opus, multiplex perfectio.

SABB. HEBDOM. II POST PENT.

Med. 222. — De sapientia Dei, et sui ipsius contemplatione.

1. *Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus* (Hebr. 4). — Scit enim, quidquid sciri potest; quidquid in Deo est, quidquid extra Deum conditum est, aut condi potest, et ipsa cordium secreta; sapientia inventrix omnium, quae in mundo fiunt, disponens omnia in numero, pondere et mensura: in cujus comparatione omnis Angelorum scientia est mera ignorantia. Crede, aestima, lauda, ama, spera in omni casu adinventurum tibi remedium: consigna te illius sapientissimae dispositioni. Imitare nihil agendo temere, sed adhibita consideratione. Attende quid agas, quia Deus videt.

2. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus* (Ibid.). — Non tantum quae fuerunt, sunt aut erunt, sed etiam quae non erunt quidem sed

essent tamen si conditio aliqua poneretur. Hac scientia composuit v. gr. te, cum omni tempore, loco et circumstantia possibili, et vidit, quid in quaque circumstantia acturus esses. Quid ergo non debes Deo, quod te non produxerit ex parente idolatra, in tempore et loco infidelitatis, non conjunxerit iis circumstantiis, in quibus certo eras periturus, etc? Lauda, magnifica, ama, time, si forte aliquam circumstantiam viderit, qua esses eum derelicturus, quae forte a te ipso, a tua gratiam acceptandi negligentia dependeat.

3. Considera primum essentiale et necessarium objectum divinae cognitionis esse Deum ipsum, quoad essentiam, attributa, perfectiones omnes, tam absolutas, quam personales. Ex hac cognitione oritur sui ipsius infinita aestimatio, amor, gaudium et beatitudo. Haec cognitio immutabilis est et aeterna: et cum tanta eodem temporis momento moliatur, a sui contemplatione nunquam avocatur. Lauda, adora, etc. Hoc quoque sit tuum primum objectum. Vide, ut ab ejus contemplatione non quavis musca avoceris. Per ejus contemplationem eo tende, ut magnam de eo aestimationem concipias.

DOMINICA III POST PENT.

Med 223. — De potentia et dominio Dei.

1. *Mirabilis potentia ipsius* (Eccli. 43). — Quia infinita est, et potest quidquid de se est possibile, mundum hunc, et infinitos alios de nihilo condere, destruere, annihilare: a qua omnis vis est causarum secundarum, in cujus comparatione omnis

alia potentia est mera infirmitas. Admirare, adora, benedic, aestima, implora hanc in tuis necessitatibus. Junge te humili confidentia huic omnipotentiae, etsi ex te nihil possis; omnia poteris ea corroborante.

2. *Tu, Domine universorum, qui nullius indiges* (2 Mach. 14). — Supremus, absolutus, necessarius, aeternus, omnium Dominus est, tam dominio jurisdictionis, quam proprietatis. Primo quidem titulo creationis ex nihilo: a quo proinde res omnes essentialiter dependent, secundum omnia, quae sunt et possunt. Agnosce te opus manuum ejus. Offer illi quidquid es, quidquid potes. Sive te deprimat, sive elevet, sive affligat, sive soletur: Dominus est, faciat quod ei placitum est.

3. *Dominus omnium es* (Esth. 13). — Alter absoluti et supremi dominii titulus est (ut infinitos alios taceam) conservatio continua illius esse, quod per creationem dedit; qua nos continuo producit, et esse communicat, ac suspensas tenet creaturas, ne rursus in abyssum nihili corruant. Hinc omnes tuae actiones Dei sunt: nec licet tibi potentiis tuis abuti. Injuriam ergo ei facis, si his ad tuam gloriam, ad tuum commodum magis utaris, quam ad illius. At quoties id fecisti? Hinc ulterius omnes tuos affectus debes illius affectibus ac voluntati conformare.

FER. II HEBDOM. III POST PENT.

Med. 224. — De sanctitate et immutabilitate Dei.

1. *Sanctus Dominus Deus noster* (Ps. 98). — Sanctitas, ex S. Dionys., *est munditia ab omni immunditia libera, perfecta, et omnino immacu-*

lata. Cogita sanctitatem ejus *ad intra* in infinita cognitione sui ipsius, quae est generatio Verbi: in amore infinito sui qui est productio Spiritus Sancti; in gaudio, quo in se de se fruitur: quid hic non infinite distat ab omni macula? Exclama viva fide, gratulatione, adoratione, tui confusione: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* (Apoc. 4). Imitare Dei sanctitatem, ama puritatem; execrare immunditiam in cogitationibus, in affectibus tuis.

2. *Sanctus in omnibus operibus suis* (Ps. 144). — Cogita sanctitatem ejus *ad extra,* quae relucet in operibus ejus: quae sive consideres in seipsis, sive ex fine, quo a Deo fiunt, sancta omnino sunt, pura et immaculata, ita ut nulla possit imperfectio intervenire, hoc ipso quod a Deo fiant. Immo non potest non omne malum, quod sanctitati contrariatur, immutabili et aeterno odio prosequi. Lauda, glorifica, ama, detestare omnes animi tui maculas, opera tua redde immaculata.

3. *Ego... Dominus et non mutor* (Malach. 3). — Amat, odit, operatur libere nec tamen mutatur; gubernat universum; eodem momento se omnium rerum motibus impendit; producit, ac destruit infinita, et tamen est semper idem. Blasphematur, injuriis afficitur infinitis, et non turbatur. Admirare, lauda, pete hanc perfectionem, qui minimo moveris. Ut imiteris, tolle ex animo immoderatos motus, extermina praecipites gestus, alterationem vocis, asperitatem vultus, etc.

—

FER. III HEBDOM. III POST PENT.

Med. 225. — De amore Dei, quo se, et nos diligit

1. *Deus charitas est* (1 Jo. 4). — Quia se comprehensive cognoscit esse summum bonum sine omni admixtione mali, se quoque infinite amat per Spiritum Sanctum, qui est amor substantialis. Hinc se aeternum laudat, et quidquid operatur, ad unicam suam gloriam refert. Huc etiam me, meaque omnia dirigit. Quam alte me evehit Deus! Sed quantum ego ejus intentioni sum reluctatus, operationes meas ad meum honorem, meaque commoda retorquendo!

2. *Ipse enim Pater amat vos* (Jo. 16). — Quia omnia, quae fecit, cognoscit esse bona: hinc *nihil* odit *eorum, quae* fecit (Sap. 11). Quia ergo amat, et amor est quaedam effusio sui in amatum, se quoque nobis communicat, conferendo esse naturale, facultates corporis et animi, gratiam et dona supernaturalia; esse suum personale naturae humanae, seipsum mihi in eucharistia. Admirare, lauda, gratias age, ama, ob eos fines, ob quos te Deus amat: impende dona ad eos usus, ad quos dedit.

3. *Omnia quaecumque voluit, fecit* (Psal. 113). — Cum se tot modis communicat, non facit id ex necessitate, aut coacte, sed libere ex sola sua bonitate, ac amore. Deinde nihil inde sui emolumenti quaerit, quia nullius est capax. Admirare, lauda hanc benefaciendi propensionem, gratias age. Confundere, quod nisi coactus vix reddas obsequia; quod tua in omnibus quaeras commoda.

Dic cum Psallite : *Voluntarie sacrificabo tibi* (Ps. 53). *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Ps. 113).

FER. IV HEBDOM. III POST PENT.

Med. 226. — De suavitate, misericordia et justitia Dei.

1. *Suavis Dominus universis* (Psal. 144). — Leges nobis imponit, sed viribus commensurat; ad observationem earum gratia sua juvat, et nobiscum cooperatur : non necessitate, sed gratia inducit : non exigit a nobis omnia, quae possumus, quod utique ut supremus Dominus posset : errantes amanter revocat, etc. Lauda, adora, ama, confundere quod in proximum sis asperior ; quod plura ab illo exigas, quam Deus. Imitare verborum lenitate et suavitate morum religiosa, non affectata.

2. *Et miserationes ejus super omnia opera ejus* (Ibid.). — Etsi in Deo perfectiones omnes sint aequales, quia sunt ipse Deus, quoad nos tamen et in ordine ad effectus supereminet misericordia, qua sublevat omnes miserias nostras corporis, animae, necessarias ac liberas, vel praeveniendo, vel eruendo, vel coadjuvando et consolando. Quantam in peccatores exhibet quotidie, qui dissimulat *peccata hominum* (Sap. 11), et expectat poenitentiam ! Quantam in te ! Quid debes ? Lauda, adora, fiduciam concipe exemplo filii prodigi.

3. *Ulciscens in omnes adinventiones eorum* (Ps. 98). — Ut ut misericors sit Deus, est tamen etiam justus vindex. Infinite sanctus peccato laeditur; ideo punitione injuriam reparat. Nullum est seu in justis, sive in reprobis, seu grave, seu leve peccatum, ne otiosum quidem verbum, cujus poenam non

exigat. Quia non decet ejus majestatem impune laedi. Hinc morbi, mors, bella, pestis, etc. sunt poenae peccati. A Deo ergo accipiendae ad expiationem scelerum, quia eo fine a Deo decernuntur. Admirare, lauda, time justitiam, quae nulli parcit. Imitare sumendo de te ipso poenas, acceptando humili et hilari animo, quas Deus de te sumit, etc.

FER. V HEBDOMAD. III POST PENT.

Med. 227. — De providentia Dei.

1. *Dominus regit me et nihil mihi deerit* (Ps. 22). — Providentia est ordinatio, et applicatio mediorum, quibus Deus quamlibet creaturam ad suos fines vult deducere. Ab hac nullam excludit creaturam, *cui aequaliter cura est... de omnibus* (Sap. 6). Non muscam, non vermiculum, non improbos, non atheos, etc.., a quibus gravissime offenditur. Quamque creaturam ita curat, quasi ea unica extaret in universo. Recogita, per quae media te duxerit, quam suaviter, quam efficaciter. Ubi potes esse securior, quam si te totum divinae providentiae committas, quoad corpus, animum, locum, etc.? Quam spem potes concipere, si ejus dispositioni non obsistas!

2. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum* (Gen. 50). — Providentia sua Deus immittit res adversas, famem, pestem, bellum, tentationes daemonis, persecutiones, morbos corporis, afflictiones animae: sed facit, ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum*. Josephi venditi recordare. Utitur enim illis ut mediis ad suos fines. Aestima ejus omnes dispositiones. Nec fallitur Sapientia, nec fallit bonitas. Nihil

tibi accidet, quod tuo non sit emolumento. Afflictionem ergo excipe a Deo, lacto hilarique animo. Et dic cum Filio Dei: *Calicem, quem dedit mihi Pater... bibam illum* (Joan. 18): et posthac: *In manibus tuis sortes meae* (Ps. 30).

3. *In pace in idipsum dormiam..., quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me* (Ps. 4). — Qui omnem spem suam fundat in Dei providentia, ideoque se totum illi committit, vere dormit et quiescit in summa animae tranquillitate, in cordis jucunditate, quae nullo rerum eventu turbatur. Et quanta haec voluptas? Haec propria est libertas filiorum Dei. *Omnem* ergo *sollicitudinem* tuam projice *in eum, quoniam ipsi cura est de* te (1 Petr. 5).

FER. VI HEBDOM. III POST PENT.

Med. 228. — De immensitate et praesentia Dei.

1. *Coelum et terram ego impleo* (Jer. 23). — Ubi spatium quodcumque est, immo ubi quodcumque fingi potest, ibi Deus est. Nusquam ergo tibi tutae sunt latebrae a facie ejus. Quo fugis, Deus est. Ubi lates, Deo pates. Ubique pariter Deo frui potes. Si Deum quaeris, invenies eum in omni loco, ad quem te destinat obedientia. Nullus illi tam vilis est locus, in quo non sit: et cur tu fugis?

2. *Coelum et terram ego impleo.*— Cogita modos, quibus Deus est ubique. 1. Per essentiam secundum totam suam divinitatem. Hinc ergo, ubi ego sum, est Pater, generatur Filius, spiratur Spiritus Sanctus, etc. Ergo numquam sum solus. Ergo semper habeo, cum quo amice versari possim. Ergo ubique Deum revereri debeo; ergo ubique timere.

2. Per praesentiam, non veluti mortuam, sed advertens et cognoscens omnia. Adest oranti, tentato afflicto, bonum operanti. Crede, ama, confide, illius solius oculis placere stude. 3. Per potentiam, ubique enim operatur, conservando, coagendo, etc. Non despondebo ergo animum in adversis, *quoniam tu mecum es* (Ps. 22): tu adjuvas infirmitatem meam.

3. *Non longe* est *ab unoquoque nostrum* (Act. 17). — Cogita etiam tibi Deum esse praesentem, longe intimius, quam sit ipsa tua anima. Intra te est Pater, Filius, Spiritus Sanctus, ac tota divinitas, per essentiam, praesentiam et potentiam. Ejus bonitas dat tibi esse, sapientia intelligere, omnipotentia agere, etc. Gaude, admirare, confide, ama, Deum intra te ipsum quaere: stude ut sis dignum ejus Majestati habitaculum; ne ei displiceas, quem semper tecum habes.

SABB. HEBDOM. III POST PENT.

Med. 229. — Jesus baptizatur a Joanne.

1. *Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo* (Matth. 3).— Considera Christi humilitatem. Qui formam peccatoris assumpserat, induit etiam poenitentis. Non est, nec esse potest peccator et haberi non pensi habet. Vitam activam ab humilitate dedignatur. Admirare, lauda, gratias age pro exemplo, imitare. Cura, quis sis, non quis habearis. Quae cum proximo agis, in humilitate funda. At *Joannes prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* (Ibid.). — Agnoscit eo momento Christum, quem nondum viderat. Hinc re-

verentia, admiratio venientis ad se, humilitas se baptismo indigere profitentis. Tantum est semel nosse Deum. Si nitereris bene Deum nosse, quantos illa cognitio excitaret affectus!

2. *Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam* (Ibid.). — Ut tu baptizes ego baptizer, ego me demittam, tu obedias. Ergo omnis justitia, seu sanctitas continetur humilitate et obedientia. Nondum bene hanc veritatem es assecutus. Nunc igitur subjicere non tantum majori, aut aequali, sed etiam minori, exemplo Christi.

3. *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua: et ecce aperti sunt... coeli* (Ibid.). — Tria post Christi baptismum evenere. 1. Coeli aperti sunt. En clavis, quae tibi coelum reserat: humilitatem, quia humilibus datur gratia: gratia est semen gloriae. Aspira ad coelum. Sed scito, quod vim patitur, quam tibi inferas te deprimendo. 2. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam* (Ibid.). Ita humiliantem se Spiritus Dei honorat. Non nega ei gustum, quem dare potes per tuam humilitatem. At venit super humilem in specie columbae purae et innocentis: quia humilitas conservat innocentiam. 3. *Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Ibid.). Qui se inter peccatores abjicit, declaratur Filius Dei. Testatur Pater, sibi Christum placere in hac humilitate. Oh si tibi diceret Deus: Tu es Filius meus dilectus, quantum exultares, amares, etc! At dicet, si te cum Christo humiliaveris: quia *humilia respicit et alta a longe cognoscit* (Ps. 137).

—

DOMINICA IV POST PENT.

Med. 230. — Christus in desertum secedit, et tentatur.

1. *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu* (Matth. 4). — Utique sancto, non vano, non mundano, Filius et filii Dei Spiritu Dei aguntur. *Ductus est in desertum,* non in frequentem civitatem, ut fugiat plausum, quem forte dedisset populus motus reseratione coeli, descensu Spiritus, et voce audita. Quo tu spiritu duceris: aut potius raptaris? Et quorsum? Confundere, et sine te a Spiritu Dei agi, ab hominum frequentia, ad fugam laudum et plausuum. *Ut tentaretur a diabolo* (Ib.). *Ut diabolum provocaret* (S. Amb. in Luc.). Hic finis illius secessus fuit. At cur tentari voluit Dei Filius? 1. Ut discas tentationes etiam in filios Dei cadere, ne in tentationibus pusillanimis fias. 2. Ut habeas vincendi Magistrum. Assume animos; et, ut vincas, exemplo Christi pugna.

2. *Et tentabatur a satana* (Marc. 1). — Audet diabolus, quia Deus permisit, qui prohibere poterat. Quanto plus audebit in te, qui prohibere non potes. Sta in timore. Ex occasione famis arripit statim occasionem eum gula tentandi. Ita vigilat in omnem occasionem nocendi. Disce vel ab ipso diabolo vigilare in id, quod tuae est professionis: vigilare in omnem occasionem mali, ne tibi noceatur.

3. *Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es,* etc. (Matth. 4). — In tribus his Christi tentationibus adverte, quibus potissimum argumentis, seu fraudibus uti soleat. In prima, quia famet

Christus, persuadere vult necessitatem cibi. In secunda, ad praecipitium sollicitat *sub specie boni*, quod Deus per Angelos assistet. In tertia, regna mundi tantum ostendit, cum dare non possit, et *imaginationi* tamquam quid magnum *objicit*. Reflecte, an non sub specie necessitatis, aut boni, te tua passio seduxerit. An non aestimaveris magni, quae apud Deum nihil sunt, etc. *Qui respondens dixit: Scriptum est* (Ib.). Considera, quid Christus egerit: 1. Statim resistit tentatori. Noli cum tentatione tricari. Facile vincitur, qui principio non resistit. 2. Rejicit uno verbo: *Scriptum est:* objiciendo id, quod Deus mandat. Dic et tibi in tentatione: Prohibet Deus: plectit Deus, et aeternum. Tunc accedent ad te angeli, seu verae consolationes spirituales.

FER. II HEBDOM. IV POST PENT.

Med. 231. — De tribus tentationibus, et victoria Christi.

1. *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant* (Matth. 4). — Incitat Christum ad inordinatum affectum cibi per miraculum quaerendi. Christus huic tentationi obviat per generosum contemptum. *Non in solo pane vivit homo* (Ib.): quasi dicat, se hoc medium contemnere, cum alia supersint plura. Ita obviandum est tentationibus sensus. Felicius contemnes, quam positive lucteris. Aliae sunt voluptates homine dignae; sensuum dedignare.

2. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum...* (Ibid.). — Est tentatio vanitatis, specie boni, seu confidentiae in Deum tecta. Huic obviat: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (Ib.). Larvam detegit, et

ostendit esse tentationem, quod ut bonum objiciatur, ut confidat Deo se praecipitando. Ita obviandum est tentationibus specie bonitatis. Non statim sanctum aestima, quod speciem boni habet: sed examina fines, intentionem, circumstantias. Quoties sic aberrasti?

3. *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (Ib.). — Impudentissima haec est ambitionis tentatio, per quam cultus Deo debitus creaturae tribuitur. Hanc cum indignatione repellit. *Vade satana* (Ib.). Ita indignare tentationibus, quae Dei honorem violant, quae affectum ad creaturas rapiunt; dic magno animo: *Dominum Deum* meum *adorabo, et illi soli serviam* (Ibid.). Vide etiam quanti aestimet daemon peccatum mortale, ut omnia regna pro uno proponat. Tu tanti fac salutem tuam.

FER. III HEBDOM. IV POST PENT.

Med. 232. — Testimonium Joannis de Christo.

1. *Miserunt Judaei... Sacerdotes et Levitas... ut interrogarent eum: Tu quis es?* (Jo. 1). — Vitae austeritas, sanctitas, et zelus magnum nomen Joanni fecerant. Hinc orta quaestio, an ipse Christus sit. Magnum nomen quo plus quaeris, minus obtines; sanctitatem vitae sequitur sponte. Ab hanc obtinendam multum proderit saepe quaerere: Tu quis es? Et respondere sibi: *Non sum ego Christus* (Ib.): agnoscere suam vilitatem, abjecte de se sentire et loqui. Humilitas enim est fundamentum sanctitatis.

2. *Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum* (Ib.) — Poterat Joannes et Eliae et Prophe-

tae nomen acceptare, qui a Christo dictus fuerat *spiritu* (Elias) *et plusquam Propheta* (Luc. 7): quia tamen id etiam negare poterat, responsum illud elegit, quod ad sui contemptum magis facit. Haec verae humilitatis est regula. Quomodo tu eam observas? Quid Joannes de se? *Ego vox* (Jo. 1). Quid tu de te? Nihilum te forte dicis, sed non sentis, et idipsum quod dicis, vis non credi, et sub pallio humilitatis tegis superbiam. Confundere: et posthac *non veniat* tibi *pes superbiae* (Ps. 35). Unum enim tantum habet pedem superbia; hinc facili impulsu prosternitur.

3. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? etc... Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti* (Ibid.). — Effunditur in laudem Christi, et per sui honoris dispendium, honorem Christo asserit. Confer te cum Joanne. Quam tu parcus in aliorum laudes! Quasi tibi decedat, quod alterius meritis tribuis: quam ambitiosus tuarum, quas etiam non mereris! Quam facile, ut tuum cures, honorem Dei negligis!

FER. IV HEBDOM. IV POST PENT.

Med. 233. — Alterum Joannis testimonium de Christo.

1. *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi* (Jo. 1). — *Propheta simul et Apostolus, quem venturum praedixerat, jam demonstrat praesentem* (Cyrill. lib. 1, in Jo. c. 1). Praecursor constitutus primam oblatam praedicandi Christum occasionem arripit. Oh si et tu

nullam sineres elabi occasionem Christum tibi et aliis manifestandi, laudandi, etc., et verbo et opere. Spera id futurum, si veniat Jesus ad te per gratiam sine qua nihil potes : si *videas tu Jesum*, et cum reflexione advertas ad occasionem. Hoc ora Jesum.

2. *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi* (Ib.). — Expende ipsa verba testimonii : 1. Agnum vocat, ut reducat in memoriam illud : *Ego quasi agnus... qui portatur ad victimam* (Jer. 11). 2. Agnum Dei, quo ipsius divinitatem manifestat. 3. *Qui tollit peccatum mundi :* finem, ob quem venerit, ostendit. Cogita hujus Agni mansuetudinem, patientiam, obedientiam. Vide, qui possis imitari et te quoque illi victimam facere. Gratulare mundo et tibi, quod tollat peccata. Spem tuam solum in eum pone. *Ecce.* Saepius illum menti tuae objice : saepius illum, ubi occasio est, aliis demonstra.

3. *Et ego vidi et testimonium perhibui : quia hic est Filius Dei* (Jo. 1). — Joannes *venit in testimonium* (Ib.) : ut testimonium perhiberet. *Vidit* et testatur : *Hic est Filius Dei.* Disce testimonium dare de proximo : 1. *Vide* et observa ejus virtutes, non defectus. 2. Ubi occasio est lauda eum, non te, sed dic : *Ego nesciebam* (Ib.) hanc virtutem : ego sum illo longe infirmior : *Hic est Filius Dei,* quia habet spiritum Dei, ego vero spiritum mundi et vanitatis, etc.

FER. V HEBDOM. IV POST PENT.

Med. 234. — Tertium Joannis testimonium cum fructu discipulorum.

1. *Altera die iterum stabat Joannes et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem et secuti sunt Jesum* (Jo. 1). — Ex destinato Christus se exhibet, ut Joannes ansam habeat de Christo testandi, discipuli sequendi. Ita praevenit nos gratia: sed quoties non audimus! Joannes ansam arripit: tu nullam boni neglige. Plures cum Joanne fuerunt, duo tantum ad sequendum Christum moventur. Dei est cor tangere. E quot millibus te Deus respexit? Agnosce beneficium vocationis: gratias age, time, nisi satisfacias.

2. *Conversus Jesus... et videns eos sequentes se, dicit... Quid quaeritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, ubi habitas? Dicit eis: Venite et videte* (Ib). — Intellige: 1. Christi respicientis gratiam. Sine hac ubi esses? A te petit Jesus: *Quid quaeris?* Ut te invitet ad se quaerendum. At tu mundum, teipsum, tua commoda quaeris? 2. Discipuli compellendo Jesum, *Magistrum*, ostendunt desiderium, quod habent ab eo discendi. Quem tu magistrum habes? Mundum, tuas pravas affectiones. Transi ad scholam Christi. Ita vive, ut in morte a Christo invitante audias: *Veni et vide* (Ib.) me in aeternum.

3. *Venerunt et viderunt, ubi maneret, et apud eum manserunt die illo* (Ibid.) — Vide, ut statim obsequuntur invitanti. Quid viderunt, nisi me-

ram paupertatem et incommoda ? Non quaere Jesum in affluentia commodorum. Cogita suavem illius noctis conversationem, et discipulorum attentionem et gustum. Confundere, quod tam facile te divinorum taedeat, ut etiam horulae spatium cum Deo agendi tibi sit molestum. Etsi gustum quaerere non debeas sensibilem ; habebis solidum, si permaneas cum Jesu. Qui cito satiatur, tepide cum Deo versatur.

FER. VI HEBDOM. IV POST PENT.

Med. 235. — Andreas Petrum ad Christum ducit: vocatur Philippus.

1. *Invenit hic* (Andreas) *primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam* (Joan. 1). — En fructus habitae cum Christo conversationis: cognoscit Messiam ; gaudet de invento ; zelum concipit fratrem suum ad eam cognitionem deducendi. Si contraria in te experiris, cogita, quod non solide cum Christo per spiritualia verseris et emenda. Quanta erit tua felicitas, si tandem *invenias Messiam !* Quia in eo habes omnia. Ut invenias ergo, danda sunt omnia.

2. *Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas* (Ibid.). — Andreae zelus Petrum adducentis ad Christum : Petri promptitudo ad accedendum, quantum te confundunt ! Tergiversatio ad divina est semper noxia. Aspectus Jesu cor Petri movet : Oh Jesu ! Et me aspice tua gratia. Imponit nomen Petri, ut solidus sit et constans. Et tibi nomen imposuit socii Jesu. Vide, ut nomini facta respondeant.

3. *Invenit Philippum, et dicit ei Jesus: Sequere me* (Ibid.). — Quaesiturus discipulos in Galilaeam abit quae inter Judaeae terras erat maxime rudis et ignobilis; *ut non crederetur, sermo ejus esse in sapientia mundi, sed in doctrina Spiritus Sancti* (ait S. Jo. Chrysost.). Ubique ad magna humiles elegit. Attende vocationis verba: *Sequere me.* Quis? Quem? Quae dignitas Christum sequi! Quo fervore id agendum! Quo tempore id agis? etc.

SABB. HEBDOM. IV POST PENT.

Med. 236. — Nathanaël a Philippo ad Christum ducitur.

1. *Invenit Philippus Nathanaël, et dixit ei:... Invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth... A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, et vide* (Joan. 1). — Philippus agnitum Jesum vult et ab aliis agnosci. Deum non satis amat, qui, ut ille ametur ab aliis, non laborat. Dubitat Nathanaël; quia putat a vili Nazareth nihil esse boni. Jesus tamen elegit Nazareth in patriam. Ita amavit undequaque vilitatem. Nihil tam humile, ubi Jesum non invenias. *Veni et vide:* ad experimentum provocat. Qui Deum gustant, sciunt quid sit.

2. *Vidit Jesus Nathanaël... et dicit... Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël: Unde me nosti? Dixit ei Jesus:... Cum esses sub ficu, vidi te* (Ib.). — Offendi poterat Christus Nathanaëlis dicto, quod nihil boni esset a Nazareth. Excusat hoc a sinceritate, *sine dolo.* Qui Jesum sequuntur, aliena dicta in bonum sensum accipiunt. Inde quietem non perdunt. Laudat Jesus Nathanaëlem a candore animi: *Vere Israëlita.* Po-

testne de te dici: *Vere sine dolo?* Vere religiosus, et non tantum apparens? Denique absentem vidit Jesus, qui ubique te videt.

3 *Respondit ei Nathanaël... Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël* (Ibid.). — Egregia confessio! Unde agnoscit Filium Dei? quia audit se visum sub ficu, quod videat eum scire, quae putantur occulta. Crede hoc de Deo, et in oculis ejus ambula, quia omnia videt. Tria de Christo profitetur: 1. Quod sit Magister. Estne etiam tuus? Audis, et sequeris doctrinam ejus? 2. Quod sit Filius Dei: ergo et frater tuus. 3. Quod sit Rex Israël, seu filiorum Dei. Audisne ejus mandata?

DOMINICA V POST PENTEC.

Med. 237. — Nuptiae in Cana Galilaeae.

1. *Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus* (Joan. 2). — Regulas mensae hinc desume: 1. Contentus esto tenui mensa, qualis fuit hic pauperum sponsorum. 2. Tolera defectum cibi, aut potus: nam et hic vinum defecerat. 3. Sit tecum Jesus cum Maria, exemplar modestiae, sobrietatis, etc. Deinde adverte, quid Mater egerit: *Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent* (Ib.). Ad necessitates sponsi advertit, et Filio insinuat. Quid non speres a magna Matre? Revela illi necessitates animae tuae. Illa proponet Filio: *Vinum non* habet fervoris, zeli, charitatis, consolationis, etc. Roga, ut tibi impetret. *Dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum*

venit hora mea (Ib.). 1. Dat Matri occasionem humilitatis, mulierem nuncupando, qua sciebat eam delectari. 2. Docet sed ad horam a Deo praescriptam magis attendere, quam ad preces parentis, nec ante his obsequendum. Noli Deo praescribere tempus auxilii. Sed confide: aderit cum venerit hora ejus. Multum lenit sua mala, qui cum spe et longanimitate sustinet.

2. *Quodcumque dixerit vobis, facite* (Ibid.). — Beatissima Virgo a Filio, non matris, sed *mulieris* nomine compellata, petitionis, ut videri poterat, repulsam passa tacet, in confusionem amaritudinis, quam concipis e quovis duriore verbo. Constante sua fiducia docet te repulsam passum non desperare. Tuum erit *facere quodcumque dixerit.* Sola illa spes non confunditur, quae operibus fulcitur.

3. *Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua* (Ibid.). — Voluit dare indigentibus, vinum: noluit prius quam data ab ipsis aqua. Vult tibi benefacere, sed vult ut conferas de tuo, usque ad *summum:* ex parte tua agendum est, quidquid potes. Unde tam parum habes, nisi quia tam parum contulisti? Parum est in te vini consolationis, quia non implevisti cor aqua compunctionis. Dilaudatum fuit hoc vinum. *Omnis homo primum bonum vinum ponit:... Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc* (Ib.). Mores Christi contrarii sunt moribus mundi et carnis. Hi post momentaneas delectationes offerunt vinum acerbum anxietatis: Christus praemittit acerbitates, et post dat veras animi consolationes. Elige utrum velis: sed cogita, quod postremum est, aeternum fore.

FER. II HEBDOM. V POST PENT.

Med. 238. — De ejectis e templo negotiatoribus.

1. *Invenit in templo vendentes boves et oves... et columbas.... et nummularios sedentes* (Jo. 2). — Sub praetextu habendi in promptu res sacrificiis necessarias, avaritia sacerdotum induxit in templum mercaturam. Cura divini cultus videtur et est lucri. Atque ita locus Deo destinatus fit stabulum. *Templum Dei* es tu (1 Cor. 3). Quomodo se habet? Numquam praetextu boni tegis amorem proprium? Cave! Hinc incipit anima tua fieri stabulum tuarum passionum, ubi amori proprio nimium concedis. Si quae illic reperis animalia, examina, an non hac via intraverint et forte jam sedeant.

2. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo* (Ib.). — Ostendit dominium, exercet potentiam. Unus et contemptibilis reputatus omnes percellit. Nemo se opponit, quia sub flagello agnoscunt Dominum. Agnosce et tu Dominum, cum te flagellat in anima, in corpore et in fama. Praedica ejus potentiam sancto silentio et humili subjectione. Gaude, quia hoc flagello ejicit ex templo animae tuae terrena desideria, etc. Cogita etiam zelum, quem ostendit gloriae Dei: quem tu habes honoris tui zelum, converte in zelum gloriae Dei.

3. *Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis* (Ib.). — Habuerunt haec verba suam in Judaeos vim; omnes enim sublatis rebus suis diffugerunt. Quoties dictum tibi: tolle hanc

passionem, hanc vanitatem, illum affectum; et adhuc sedes in eo? Vide indignitatem. Si non times hic *quasi flagellum*, time ibi verum flagellum.

FER. III HEBDOM. V POST PENT.

Med. 239. — Colloquium Christi cum Nicodemo.

1. *Erat... homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine... hic venit ad Jesum nocte* (Jo. 3). — Motus ea auctoritate et zelo Christi, quem in mercatores exercuit, credidit Jesum plus esse, quam hominem. *Nemo enim*, inquit, *potest haec signa facere... nisi fuerit Deus cum eo* (Ib.). Vide quam zelus habeat admirandam vim animos attrahendi, etiam fastuosos. *Venit nocte* ob timorem et respectum Judaeorum, quod quidem tolerari potest in eo qui Christum nondum noverat. Sed quomodo tolerabuntur humani respectus in te, qui te ejus sectatorem profiteris? Qui homines prae Deo respicit, despicietur a Deo.

2. *Et dixit ei: Scimus, quia a Deo venisti magister* (Ibid.). — Credisne, et tu Christum venisse magistrum? Si credis, unde tam parum proficis? Quia docentem non quietem audis: garris enim cum vanitatibus et terrenis desideriis. Auditis non credis serio, viva et actuali fide. Credita non exerces, semper languidus, ubi operandum est. Si vis proficere, haec emenda.

3. *Respondit ei Jesus:... Nisi quis renatus fuerit, etc.* (Ib.). — Attende capita, quae Christus docet. 1. Baptismum *in aqua... et Spiritu Sancto* (Jo. 1), ob ejus necessitatem. 2. Incarnationem: *Sic Deus dilexit mundum etc.* (Jo. 3), et passionem: *Sicut Moyses exaltavit serpentem, etc.* (Ib.);

quia ista sunt praecipua motiva amandi Deum, amorem imitandi. His etiam te accende. Adverte ad docilitatem Nicodemi, qui exinde se professus est palam discipulum Jesu, constans perseveravit; et apostolis fuga dilapsis, corpus Domini de cruce deposuit. Si amares, palam, te profitereris, posthabito omni humano respectu, non attenderes doctrinae mundi, etc.

FER. IV HEBDOM. V POST PENT.

Med. 240. — Doctrina Trinitatis Nicodemo a Christo tradita.

1. *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Jo. 3). — Docet personam Patris, et ejus in te amorem, quo major esse non poterat, etsi Pater seipsum pro nobis dedisset. Adora Patrem, agnosce amorem, gratias age. Redde amorem; da illi quidquid sensui carum est, immo quidquid animae elevatae. Illi potentias tuas omnes vicissim impende. Meretur, quia Pater est, etiam tuus, licet sis filius degener.

2. *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem* (Ib.). — Docet personam filii sub nomine *lucis;* quae scilicet *illuminat omnem hominem* (Jo. 1) doctrina coelesti et exemplo. Vis esse *filius lucis;* sed tenebrae tuae hanc lucem non comprehenderunt cogitatione, viva fide et imitatione. Forte magis amas tenebras mundi, quam exempla et doctrinam Christi?

3. *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat* (Ibid.). — Docet personam Spiritus Sancti. Crede, confitere, et adora eum; audi vocem ejus, quia loquitur

tibi per Scripturas, per creaturas, per inspirationes. *Ingrati est nescire unde veniat*, seu non attendere principiis inspirationum et gratiae; *aut quo vadat*, seu non ad finem respicere, ad quem dirigit, ut coopereris. Quam profunde tu huic miseriae es immersus!

FER. V HEBDOM. V POST PENT.

Med. 241. — Quartum Joannis de Christo testimonium.

1. *Venerunt* (discipuli Joannis) *ad Joannem, et dixerunt... Cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum* (Jo. 3). — Tanguntur invidia discipuli Joannis. Hic affectus etiam sanctos quoque invadit. Videntur in modo loquendi Joannem Christo praeferre, quia secundum sensum amabant. Praefers tacite Deo, quidquid extra ipsum amas. Addunt, omnes venire ad Christum, cum tamen actu multi venirent ad Joannem. Invido aliena felicitas est grandis, sua est nulla. Absit a te invidia, sed aemulare *charismata meliora.*

2. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi... qui audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi* (Ib.). — Non movetur dictis discipulorum ad indignationem, minus ad invidiam; non approbat eorum sensum; sed Christum Messiam et Sponsum Ecclesiae profitetur; ait se amicum illius, et ideo gaudere de ejus gloria. Quis tuus est sensus in gloria alterius? Probasne, si crescat? Juvasne, ut exaltetur? Facies, si amicus sis amore vere christiano.

3. *Illum oportet crescere, me autem minui*

(Ibid.). — Multi ibi elogia attribuit Christo: sed omnia huc confert, ut exaltetur gloria Christi, ipse vero deprimatur. Vide duas bases, in quibus te stare oportet; in zelo gloriae Dei, et humiliatione tui.

FER. VI HEBDOMAD. V POST PENT.

Med. 242. — Joannes incarceratur.

1. *Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere* (Marc. 6). — An indignatus, an questus est Joannes qui nuper ut Messias cultus est, nunc reus et confusus? Tu haec agis: at Joannes sui similis, imperturbatus cum humilitate et gaudio afflictionem suscepit. Frangis afflictionem, si ad sensum non admittis: huc non pertinges, nisi tibi sis mortuus.

2. *Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (Ibid.). — Haec vinculorum causa fuit. Quia sanctum opus fecit, ex zelo admonendo regem, in vincula trahitur. Haec saepe est merces justorum; malum pro bono recipiunt. Utinam tu nulla alia causa, nulla tua culpa patiaris! Patienti ipsa erit innocentia solatium. Adverte cum libertate modestiam admonentis; sine improperio veritatem non ex se, sed ex lege proponit.

3. *Herodes... metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum: et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat* (Ib.). — Virtus etiam hosti est amabilis ac venerabilis. Sed si amat Joannem, cur incarcerat? Judaeorum importunitati, Herodiadis precibus id tribuendum est. Ut hominibus satisfaciat, ab ae-

quo discedit. Respectus hominum generat despectum Dei; respectus Dei despectum favoris humani. Elige quem recipias.

SABB. HEBDOM. V POST PENT.

Med. 243. — Colloquium Christi cum Samaritana.

1. *Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem* (Joan. 4). — Zelo unius animae, et peccatricis fatigatur, sistit, et expectat eo loco, quo scit certo venturam. Nulla Christo est vilis anima. Etiam viliorum salutem quaere: quia animas Deus aestimat, non divitias, non dignitates. *Fatigatus est, etiam in te, quia diu te quaesivit* (S. Ambros. l. 2 de Spir. S.), per omnes suos labores et cruciatus. Sedet, et exspectat; quid moraris accedere? Immo cur longius recedis?

2. *Venit mulier de Samaria... Dicit ei Jesus: Da mihi bibere* (Ibid.). — Felix mulier! Quia venit ea hora, qua expectabatur. Una quandoque neglecta occasio infelicitatis est origo. Oh si saepe hoc cogitares, quam attentus esses gratiis tibi datis! Petit ab ea parum, ut det multum, aquam scilicet salientem in vitam aeternam. Haec indoles Dei est: ubi parum das, dat tibi multum. Da ergo etiam minima. Minimorum cura generat maxima: minimorum neglectus ad gravia praecipitat.

3. *Dicit ei mulier: Quomodo tu Judaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier samaritana?* (Ib.). — Ecce mulieris et nostram erga Christum rusticitatem! Quod inimico negare est nefas, Christo negamus. Quoties sitit et petit ea quae sunt ad salutem tuam, et tu ei negas? Et quanta est Christo sitis salutis tuae! Quia magis te amat,

quam daemon oderit: et tanto amori, tantae siti poteris aliquid negare, cujus demum fructus est tuus?

DOMINICA VI POST PENT.

Med. 244. — Convertitur mulier, et nuntiat Christum samaritanis.

1. *Respondit Jesus, et dixit ei: Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo* (Joan. 4). — Mulier nescit donum Dei praesentis, nescit quid ipse petat. Hinc nondum petit ipsa *aquam vivam* (Ib.). A praesentia Dei omne bonum salutis pendet. Si praesentem cogitares, nonne ferventior esses in ejus obsequio? Nonne affectus tuos magis reprimeres? Per hoc inducit illam ad plenam instructionem de Messia, de adorando Deo in spiritu et veritate, et movet ad detestationem vitae prioris. Ita Deus praevenit nos et invitat. Sed *qui fecit te sine te, non salvabit te sine te* (S. Aug.).

2. *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire* (Ib.). — Effectus colloquii cum Christo. Accenditur in ea desiderium aquae coelestis; ex manifestatione occultorum suorum criminum agnoscit Messiam; de peccatrice fit apostola, relinquit hydriam, currit ad civitatem, invitat omnes ad Christum; *Venite et videte* (Ib.). Vide, et imitare progressum animae. Excita desiderium aquae gratiae: pete eam reverenter: relinque hydriam veterum consuetudinum: gaude te invenisse Jesum; cura, ut alios ad illum trahas.

3. *Interrogabant eum discipuli, dicentes: Rab-*

bi, manduca. Ille autem dixit eis:... Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus (Ibid.). — S. Jo. Chrys. (Hom. 33), *Hominum salutem*, inquit, *hoc in loco cibum appellat, ut quanta salutis nostrae cura et desiderio teneatur, ostendat.* Hanc enim curando implebat voluntatem Patris. Et tu illi cibus es, quia te salvum petit. Oh quae gratia! Imitare: sit cibus tuus obedientia. *Quid ita in omni necessitate confortat, et sustentat, ut divinae voluntatis executio?* ait S. Ber. Sit cibus tuus zelus animarum: tot perdis animas, teste Augustino, quot, cum potes, non rapis.

FER. II HEBDOM. VI POST PENT.

Med. 245. — Christus sanat filium Reguli.

1. *Hic* (Regulus) *cum audisset, quia Jesus ad veniret... abiit ad eum et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium ejus: incipiebat enim mori* (Jo. 4). — Ad Christum accurrimus, cum nos premit adversitas et ideo eas Deus immittit: ergo mitius tolerandae sunt. Quae cura est patris pro salute corporis, haec sit tua pro salute animae. *Nonne anima plus est, quam corpus?* Imperfecta est Reguli fides. Sit tua perfectior: pete ab eo, caetera ejus dispositioni committe. In tentatione non differ recursum donec *incipias mori*, sed praeveni. Dilata remedia dant malo vires.

2. *Dixit Jesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* (Ibid.). — Arguit modicam fidem, ut ad majorem disponat et sanet ejus animam. Haec Christi est bonitas, quae vult plus dare, quam petamus, modo nos ipsi non impe-

diamus. Perseverat precando Regulus: *Descende priusquam moriatur* (Ib.). Sed errat, quod putat auxilium Domini posse esse serum. Solatur eum Jesus: *Filius tuus vivit* (Ib.). Non sunt verba narrativa tantum, sed etiam effectiva. Oh si dicat mihi: *Anima tua vivit!* Regulus *credidit.* Huc tendebat Christus dilatione. Si differt, quod petis, tuo bono id facit.

3. *Credidit ipse et domus ejus tota* (Ib.). — Audivit ab occurrentibus servis, vivere filium ab ea ipsa hora, qua Christus dixit: *Et credidit ipse.* Venit in domum, vidit, narravit quae dixit Jesus. *Credidit domus ejus tota.* Qualis est paterfamilias, tales sunt servi et domestici. Qualis paterfamilias animae, intellectus circa veritates practicas, talis est voluntas, appetitus, affectus. Avertendus ergo est a falsis mundi et carnis principiis: excolendus divinis, non ut scias sed ut facias.

FER. III HEBDOM. VI POST PENT.

Med. 246. — Piscatur Petrus ad stagnum Genesareth.

1. *Ascendens... unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum: et sedens docebat de navicula turbas* (Luc. 5). — 1. A turba quae *irruebat* in Jesum, disce desiderium percipiendi divina. 2. Si Christum habes in navicula cordis, reducere debes a terra, seu terrenis affectibus. Non possunt enim misceri amor Dei et amor mundi. 3. Tunc *sedebit* tamquam imperans cordi et affectibus et docebit te solidas veritates, quas capere non potes, dum terrenis adhaeres.

2. *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem:*

Duc in altum et laxate retia vestra in capturam. (Ibid.). — Non contentus Jesus, ut pusillum te subducas a terrenis dicit tibi: *Duc in altum*, ad majorem perfectionem procede, semper plus restat, quam assecutus sis. Duc in altum per intentionem elevantem. Respondit Petrus: *Per totam noctem laborantes nihil coepimus* (Ib.). Hic fructus est laborum saeculi circa dignitates etc. *Nihil.* Et quantum pro hoc laboratur? Et pro eo, qui solus est omnia quam parum!

3. *In verbo autem tuo laxabo rete. Et... concluserunt piscium multitudinem copiosam* (Ib.). — 1. Cum antea in eo ipso loco nihil coepissent: quare modo? Quia in nomine Jesu, et ex obedientia jactum est rete. Quae hac intentione facis, apud Deum nunquam sunt irrita. 2. Sic respondit Christus Petro; quod se in navim receperit, quod a terra submoverit. Minimum, quod Deo praestas, magno remunerat. 3. Ut doceret sequentibus eum, non defectura necessaria ad victum. Depone has corporis curas, et de hoc esto sollicitus, ut Jesum sequaris.

FER. IV HEBDOM. VI POST PENT.

Med. 247. — Vocatio Petri et Andreae, Jacobi et Joannis.

1. *Jesus.... vidit duos fratres, Simonem et Andream... et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* (Matth. 4). — Quos vocat? Unde? Quo? Vocat rudes et simplices: quoniam semper illi placita est humilitas, et est optima ad gratias dispositio. Vocat fratres: *Indicavit se discipulos omnes suos fraterno amore copulari*

velle (Pelusiota lib. I, epist. 9). Tales esse debent, qui captant animas. Quomodo te hic habes? Vocat a mari, et vili labore. Et te ex mari mundi vocavit ubi jacebas retia cupiditatum ad capienda terrena. Agnosce gratiam, etc. Vocat *post se*, ut eum sequens semper habeas in oculis, ut videas et premas vestigia ejus, ut pari zelo piscaris homines. Vide dignitatem muneris, indignitatem tuam. At quomodo id agis?

2. *Illi* autem *continuo, relictis retibus, secuti sunt eum* (Ibid.). — Haec obedientiae promptitudo tuam arguit tergiversationem. *Relinquunt retia.* Retia tua, quae a sequela Jesu impediunt, sunt familiaritates saeculi, negotia extranea vocationi, pravae affectiones. Si vis Jesum sequi, debes relinquere quae sunt aliena a Jesu.

3. *Vidit alios duos fratres, Jacobum... et Joannem... in navi... reficientes retia... et vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum* (Ib.). — Et hic ait glossa: *Unitatem fraternae dilectionis probavit.* Et S. Bern.: *Nihil dijudicantes, aut haesitantes, non solliciti, unde viverent, sine mora sequuntur* (Serm. 2 de S. Andr.). Haec magis caeca, quam priorum videtur obedientia; quia non additur ad quod munus vocentur. Insuper carnalem erga patrem affectum superant. Vide, an tu sic obedias caece, statim omni alio amore seposito.

FER. V HEBDOM. VI POST PENT.

Med. 248. — Curatur daemoniacus a spiritu immundo.

1. *Erat in Synagoga... homo in spiritu immundo* (Marc. 1). — Oh infelicitas hominis a dae-

mone possessi! Si talem haberes in corpore, quid non ageres, ut liberareris? Habes in animo, in pravis affectibus, et minimum curas. *Exclamavit:... Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene?* (Ib.). Oh impudentia! Negat jus Christo in creaturam suam. Ita statim ex peccato, hominis sibi jus arrogat. Sed non sinit Jesus, qui venit dissolvere *opera diaboli* (1 Jo. 3). *Venisti perdere nos* (Marc. 1). *Praesentia Christi tormentum est daemonum* (S. Hier. in Matth. 8). Tormentum est illi, si debeat a te exire. Oh! afflige diabolum, ut ille te affligeret, si posset aperte!

2. *Scio, qui sis Sanctus Dei* (Ibid.). — Laudat, et adulatur Christo daemon, vel ut non pellatur, vel ut Christum vana gloria afflet. *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (Prov. 1). *Comminatus est ei Jesus:... Obmutesce, et exi de homine* (Marc. 1). Non placuit Christo laus *ex ore peccatoris.* Vide; quale est os et cor tuum, ut digne laudes?

3. *Discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna exit ab eo* (Ibid.). — Ad unum Christi verbum: *Exi*, migrat daemon: quare non a te post tot inspirationes? Tua culpa, quia ei blandiris in tuis passionibus. *Quem possessum non discerpserat, deserens discerpit, quia plerumque, dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat* (S. Greg. Hom. 12 in Ezech.). Non dejice ergo animum: si tentationes vehementiores sentis, signum est daemonem exire.

—

FER. VI HEBDOM. VI POST PENT.

Med. 249. — Socrus Simonis curatur a febri.

1. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus* (Luc. 4). — Ita depositam invenit Jesus. Qualem te invenit, cum ad te venit? Non una forte, sed multiplex tua est febris. *Non minorem febrim amoris* erga res creatas *esse dixerim, quam caloris: febris nostra, avaritia, libido, ambitio, iracundia est* (S. Ambr.). Agnosce morbos tuos et pericula. Admitte Jesum in domum cordis tui, quem hactenus repulisti ut gratia et dictaminibus divinis medeatur.

2. *Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus, et continuo dimisit eam febris* (Marc. 1). — Actum est de tua sanitate, nisi Deus extendat manum gratiae. Sed quoties extendit, et non apprehendis? *Imperavit febri, et dimisit illam* (Luc. 4). Intelligis voluntatem et mandatum Dei circa tuas febres, et te nondum dimittunt, quia tu illas amas, qui odisti febres corporis. Time illud: *Curavimus Babylonem, et non est sanata; derelinquamus eam* (Jer. 51). *Oh! derelinquamus eam.*

3. *Et continuo surgens ministrabat illis* (Luc. 4). — 1. Cum Deus solus sanat, momentu res agitur ad perfectionem. At hoc in rerum ordine successive id agitur, juxta mensuram nostrae cooperationis. Velles domitas habere passiones, sed velles nullo labore tibi constare. Inania sunt desideria, ubi manus operi non adhibetur. 2. Restitutam sanitatem statim obsequio Christi impendit, *et ministrat.* Hoc gratitudo postulabat. Cui tu sanitatem impendis?

Med. 250. — Tres, qui volunt Christum sequi, sed non ut oportet.

1. *Dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris* (Luc. 9). — Verba optima si par fuisset intentio. Ob lucra sua sequi voluit. Ideo non acceptat Dominus, qui non habet ubi reclinet caput suum; quasi dicat: *Quid me propter divitias, et saeculi lucra sequi vis, cum nec hospitiolum habeam?* (S. Hieron.). 1. Ergo obsequia Deo reddenda non detorque ad tam abjectos fines gloriae tuae, vel commodorum. 2. Pauperem Christum imitare superfluorum rescissione. 3. Non habenti ubi reclinet caput, cor tuum exhibe, sed mundum et molle.

2. *Ait... ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum* (Ib.). — Non acceptat Dominus, sed ait: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos* (Ib.). Pietatis erat sepelire patrem: sed cum Deus aliud mandat vel obedientia, etiam pia sunt relinquenda: immo Deus propter Deum: quia mensura perfectionis est voluntas Dei.

3. *Et ait alter: Sequar te, Domine: sed permitte mihi primum renuntiare iis quae domi sunt* (Ib.). — 1. Neque hunc acceptat Dominus; ait enim: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (Ib.). Ubi de suo servitio agitur, non vult Deus consilia agi cum domesticis, cum affectibus nostris: quia et periculosum est et mora trahitur. 2. Qui vult

sequi Christum, anteorsum aspiciat affectu et desiderio, non retrorsum ad terrena, quia simul non consistunt.

DOMINICA VII POST PENT.

Med. 251. — Sedatur tempestas maris.

1. *Ascendente* (Jesu) *in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus* (Matth. 8). — Discipulus bonus etiam in arduis a Magistro non discedit. *Et ecce motus magnus factus est in mari* (Ib.). Etiam ubi Christus est, est tentationi et afflictioni locus. Ideo etsi sis in gratia, esto vigilans: sed non concide animo, quia Dominus est tecum. *Ipse vero dormiebat* (Ib.). Qualis animus, qui in tempestate est quietus!

2. *Et accesserunt ad eum discipuli* (Ib.). — Huc recurrendum, cum premeris. *Et suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus* (Ib.). Duo peccant. 1. Defectu fidei: quod credunt dormientem non posse salvare. 2. Perturbatione animi ex timore: ideo arguuntur: *Quid timidi estis?* (Ib.). Tu contra in omni tentatione confide in Dei providentia: animum serenum retine, quia omnis turbatio non profutura, aut noxia media arripit.

3. *Tunc surgens imperavit ventis et mari* (Ibid.). — Prius ventis tamquam causae commotionis, deinde mari. Si vis malum aliquod extirpare, a causa et radice illud aggredere. Et *dixit mari: Tace, obmutesce* (Marc. 4). Dum commoveris animo, *tace, obmutesce*, ne in querelas, in murmura,

in indignationem erumpas. Saepius hoc tibi dixit Deus: raro es obsecutus. *Et facta est tranquillitas magna* (Ib.). Confundunt te insensibiles creaturae, quae tam promptae obsequuntur Deo.

FER. II HEBDOMAD. VII POST PENT.

Med. 252. — Legio daemonum expulsa.

1. *Occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, saevi nimis* (Matth. 8). — Miseriam horum fusius describit. *Neque catenis... quisquam poterat eum ligare:... in montibus erat clamans, et concidens se lapidibus* (Marc. 5), *et vestimento non induebatur* (Luc. 8). Ita daemon tractat hominem; et tamen amatur, cum amatur peccatum. Minimum pejus est omni excogitabili poena; et licet poenam minimam fugias, peccatum non horres. Rumpis catenas legum divinarum: laceras vestem gratiae, etc.

2. *Videns autem Jesum a longe, cucurrit, et adoravit eum* (Marc. 5). — Confundunt te daemones, qui Jesum praesentem timent, quem praesentem tu offendere non vereris. Adorant cum timore; tu amore id praesta. Addunt: *Adjuro te per Deum vivum, ne me torqueas* (Ib.), expellendo me: quia inexplicabili odio tentare desiderant. Quanta igitur opus circumspectione? *Interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio* (Ib.). Ubi unus intrat, plures trahit. Una passio non domita multas excitat. Unum peccatum patratum ad multa trahit.

3. *Daemones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum* (Matth. 8). — Vide quam parum possint, ne

quidem porcum occupare : quanto minus in te poterunt, nisi tu assentiaris? Ex petitione collige ad quam vilitatem per peccatum venerint nobiles spiritus. Concessit, quod petiverunt, Jesus, ut doceret tanti esse animum, ut pro ea a jugo daemonis liberanda, omnis jactura temporalis sit postponenda: ergo et tui honoris et commodi, etc.

FER. III HEBDOM. VII POST PENT.

Med. 253. — Christus rogatus a Gerasenis discessit.

1. *Et veniunt ad Jesum, et vident illum qui a daemonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanae mentis* (Marc. 5). — Hic status est hominis a peccato liberati. *Sedet,* mira animi quiete; *ad pedes Jesu,* affectibus humilitatis; *vestitus* gratia et donis supernaturalibus; *sanae mentis,* suarum dominus passionum, quae eum exerrare fecerunt. Quanto felicior hic status priore! Hunc tibi precare; et ut conserves, a pedibus Jesu non discede.

2. *Et rogare coeperunt eum, ut discederet de finibus eorum* (Ibid.). — *Damnum porcorum timorem majoris damni excitavit* (Cajetan.): ne patiantur temporalium jacturam, praeeligunt carere Christo, quod summum est malorum. Oh insania! Tu eum tene, et non dimitte. Ut serves Jesum, etiam vitae et sanguinis jactura est ingens lucrum.

3. *Cumque ascenderent navim, coepit illum deprecari, quia a daemonio vexatus fuerat, ut esset cum illo* (Ib.). — Accepta gratia hoc desiderium excitavit. Quoties eamdem accepi, et necdum habeo desiderium Deo adhaerendi! Jesus *non admisit eum, sed ait illi: Vade... ad tuos, et an-*

nuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit et misertus sit tui (Ib.). Non rejicit illum sed praedicatorem facit illum beneficii : quibus? Illis ipsis, qui rogabant, ut discederet. Quare? Ut vel sic agnoscerent Jesum, et in illum crederent. Oh bonitas! Quaerit eos, a quibus rejicitur. Oh quoties te sic quaesivit! Quid debes tantae bonitati?

FER. IV HEBDOMADAE VII POST PENT.

Med. 254. — Offertur Christo paralyticus.

1. *Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur* (Marc. 2). — Miserabilis hujus hominis status, sed miserabilior animae tepidae, quae nec manus ad operandum, nec pedes affectuum ad se movendum firmos habet. Expertus es id aliquando in teipso? Utinam non etiam nunc! Vis sanari? Quatuor bajulos adhibe: cognitionem tuae miseriae, cognitionem bonitatis Dei: et hinc spem salutis et amorem Dei. Certa est salus haec conjungenti.

2. *Et quaerebant eum inferre, et ponere ante eum: et non invenientes qua parte illum inferrent prae turba...* (Luc. 5). — In domum non dabatur accessus prae turba: paralyticus tamen per illos quatuor ab omni parte quaerit. Agit, quod potest, ne occasio elabatur. Hoc et tu age in negotio animae. Quod hodie potes, non differ in crastinum. Etsi impedimentum quandoque sufficiens videatur, rationabilius est, ut tentes perrumpere.

3. *Nudaverunt tectum, ubi erat, et patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat* (Marc. 2). — In bajulis constantem in aegrum charitatem adverte et imitare. Eamdem co-

gitare potes in domino domus, qui non prohibet tabulatum cubiculi perrumpi, in quo Christus praedicabat. Paralyticus vero non timet nomen inurbani, aut importuni, aut confunditur comparere aeger. Tantum facit amor sanitatis. Et non faciet in te plus amor sanctitatis? Generosa utere resolutione.

FER. V HEBDOM. VII POST PENT.

Med. 255. — Sanatur a Christo idem paralyticus.

1. *Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili* (Matth. 9). — Oh verba amoris, quae saxeum cor emolliant! *Remittuntur tibi peccata tua* (Ib.). 1. Non hoc petivit aeger, sed sanitatem corporis. Sed majus esse malum animae docet, quod prius curat. Quam caecus es, qui hoc non agnoscis! Hinc major tibi cura sanitatis corporis, quam animae. 2. Peccatum est morborum et afflictionum causa; ut curet ergo morbum, tollit causam. Non bene mederis morbis animae, nisi radicem evellas passionis.

2. *Erant autem illic quidam de scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis: Quid hic... loquitur? Blasphemat* (Marc. 2). — Nunquam deerunt, qui, quod sancte feceris, perverse accipiant. Non deerunt, qui praetextu zeli tegant invidiam. Si talis es cogita te cum scribis illis redargui: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* (Matth. 9). Confundere, et, ne similia posthac judices, cogita, quod sicut Jesus vidit cogitationes eorum, ita videt tuas omnes seu bonas, seu malas.

3. *Tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (Matth. 9). — A

paralysi animae liber tria age, ne iterum relabaris. 1. Surge per generosas et saepius repetitas resolutiones. 2. Tolle lectum, id est, ut ait glossa: *Carnem* a carnalibus desideriis ad voluntatem spiritus attolle. 3. Vade in domum conscientiae tuae; et illic habita.

FER. VI HEBDOM. VII POST PENT.

Med. 256. — Acta post sanatum paralyticum.

1. *Propterea persequebantur Judaei Jesum, quia haec faciebat in sabbato* (Jo. 5). — Sub praetextu religionis malitiam exerunt. Bonum opus Jesus praestitit, et persecutione rependitur. Persecutio certa mihi est, si bonus sim inter dyscolos. O si tueri, aut solari me possim cum Christo: *Pater meus usque modo* (hoc ipse sabbato) *operatur, et ego operor!* (Ib.). Id est: operor opera Patris mei. At infelicem me! Non potero. Opera mea sapiunt mundum et sensum. At non amplius! Operabor cum et in Patre, ad, per, et propter Patrem meum.

2. *Propterea... magis quaerebant eum Judaei interficere, quia... Patrem suum dicebat Deum* (Io.). — Quo devenimus? Per ipsam regularum observantiam; per opera, quibus meremur esse filii Dei, incurrimus odia dyscolorum. O quam felix ego, si ideo tantum sim exosus, quia Deus est Pater meus; quia operor, quae Patri placent! Patiar, mi Deus, odia; sed non alia causa, quam quod sim filius tuus, tu Pater meus.

3. *Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me* (Ibid.). — Probat Christus divinitatem suam: allegat testimonium Joannis: sed eo

non nititur: majus, seu firmius addit, opera sua, *quae nemo alius potest facere.* Probare aliquando ad tribunal Dei debebo, me esse filium Dei, si gloria potiri velim. Quid allegabo? Nihil proderunt elogia hominum, ubi sola pensantur opera singulorum. Quid fiet, si non inveniantur *opera tua plena?* (Apoc. 3). Quid agendum nunc, ut tunc te *laudent... in portis opera* tua? (Prov. 31).

SABB. HEBDOMAD. VII POST PENT.

Med. 257. — Matthaei vocatio.

1. *Cum transiret inde Jesus, vidit hominem* (Matth. 9). — *Vidit illum Deus, ut ille videret Deum* (Chrysol. Serm. 30) tu nec cognoscere Deum potes, nisi ille per gratiam se exhibeat. Oh vide me Jesu, ut videam te! *Sedentem in telonio* (Matth. 9): tamquam in lucris temporalibus quiescentem. Oh falsa quies! *Matthaeum nomine* (Ib.); exprimit ipse nomen, ut sciatur sua indignitas et dignatio Dei. *Et ait illi* (Ib.). Etiam dum sedes in peccato, dum actu peccas, tibi Deus ad cor loquitur; sed quoties dissimulas audire? *Et... secutus est eum* (Ib.), statim, quia Jesus transibat. Gratia venit et vadit; pertransit, nisi occupes. *Relictis omnibus.* Cognoscenti Deum vilescunt omnia.

2. *Et fecit ei convivium magnum Levi* (Luc. 5). — Ut gratus esset, ut gaudium testaretur, ut alios hac occasione ad Christum pertraheret. Aderat enim *turba multa publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes* (Ibid.). Esne tu tam gratus Deo? Quaerisne occasiones boni? Non dedignatur hanc mensam Christus, etiamsi posset inde vilior aestimari, quod cum peccatoribus age-

ret; quia erat occasio plures convertendi. Curasne ita salutem proximi, etiam ubi crederes te viliorem habendum?

3. *Et... pharisaei dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester?* (Matth. 9). — Lauda tu Jesum quod cum peccatoribus versetur; alias ubi tu esses? Lauda, quod non tantum manducet cum peccatoribus, sed etiam ab iis manducari velit. Tanta tui est dignatio, o vilis homo! Noli murmurare, aut aliena facta sequius interpretari, quia intentionem ignoras.

DOMINICA VIII POST PENT.

Med. 258. — Mulier a sanguinis fluxu curatur.

1. *Mulier, quae erat in profluvio sanguinis duodecim... et erogaverat omnia sua, ne quidquam profecerat* (Marc. 5). — Calamitas corporis melioris status accendit desiderium: aestimat sanitatem, dum ea caret; erogat omnes suas facultates, ut eam recuperet: plus daret, si plus haberet. Quanto melior est sanitas animae! Aestima hanc. Si habes; cura ne perdas: huc omnes animi facultates, intellectum, memoriam, voluntatem impende. Si non habes; desiderium accende: sed non satis, facultates impende.

2. *Cum audisset de Jesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus* (Ib.). — Cum humilitate, reverentia et viva fide reparandae sanitatis. Ita ad Eucharistiam eundum. Nec te impediat turba tuorum affectum pravorum. Semove illam, ut ac-

cedas. Quaerit: *Quis* est, qui *me tetigit?* (Ib.). Non ut sciat, qui nihil ignorat; sed ut se prodat fides mulieris, et illuminentur alii, et mulier ipsa a fide in alias virtutes progrediatur. Disce semper proficere, et desiderio Christi in hoc satisfacere.

3. *Mulier vero timens et tremens...* (Ib.). — Ne increparetur, quod immunda mundum tetigisset; et tu non times tot passionibus immundus, non tangere fimbriam, sed ipsam divinitatem sumere? *Venit, et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem* (Ib.), de morbo suo, coram omni populo humilis et confusa. Vide profectum a fide ad confessionem suorum defectuum, et publicam confusionem. Tu nondum huc es progressus? At ille dixit: *Confide, filia* (Matth. 9). Statim ubi se humiliat, vocatur *filia*. Digna est haec gloria, ut per humiliationem a te ematur. *Fides tua te salvam fecit* (Ib.). Si deficis, certe defectu fidei deficis. Assuesce actualem fidem saepius exercere, maxime circa Deum et ejus attributa.

FER. II HEBDOMAD. VIII POST PENT.

Med. 259. — Jairi filia resuscitatur.

1. *Ecce princeps unus accessit et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam et vivet* (Matth. 9). — Filia unica, nobilis, tenera moritur. Ne credas aetati. Ubique mors est: forte hic dies est ultimus. 1. Domine, tu scis insipientiam meam. Si scis me peccaturum aliquando, potius hoc momento, etiam fulmine me tolle. 2. Si cadas, *modo*, in momento recurre ad Deum. Differre velle poenitentiam, est velle saepius cadere.

2. *Et cum venisset... et vidisset... turbam tumultuantem, dicebat: Recedite* (Ibid.). — Ubi Christus accedit, debet recedere quidquid est mundi. Non sanatur in solidum anima, nisi turbam passionum ejicias. Dic ergo tuis resolute in omni occasione: *Recedite.* Addit: *Non est... mortua puella, sed dormit* (Ib.). Forte respicit ad eos, qui adolescentes se Deo dedicant. Moriuntur civiliter, sed mors haec somnus est suavis et quies, dum vere mundum deserunt cum concupiscentiis suis. Si ergo adhuc in te vivunt concupiscentiae, nondum es mundo mortuus, sed dormis ad tempus, sicut ignis sub cinere.

3. *Ipse autem tenens manum ejus, clamavit, dicens: Puella, surge* (Luc. 8). — Qui per te cadis, sine manu et auxilio Dei non resurges. Agnosce tuam infirmitatem, apprehende robur gratiae. *Et reversus est spiritus ejus* (Ib.). Quoties tibi dixit: *Surge:* et non est in te reversus spiritus? Anima separata obedit Deo, cur non etiam unita corpori? Ratio utrumque postulat. Quia *sive... vivimus... sive morimur... Domini sumus* (Rom. 14). Ah! Non quaeratur de te Deus: *Usquequo non vis subjici mihi?* (Exod. 10).

FER. III HEBDOM. VIII POST PENT.

Med. 260. — Duo caeci a Christo illuminantur.

1. *Et transeunte... Jesu, secuti sunt eum duo caeci, clamantes:... Miserere nostri, fili David* (Matth. 9). — *Caeci* oculo corporis, non animae, qui fide agnoscunt Messiam, credunt potentiam, sperant misericordiam. Forte tu animo magis caecus es, dum nebulas effundunt pravae affectiones,

ut non videas viam veritatis, nec intelligas sublimem Christi doctrinam. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus* (1 Cor. 2). *Et nescis*, quam sis *caecus... et miser* (Apoc. 3).

2. *Dicit ei Jesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine* (Ib.). — Toto processu nec respondit eis Jesus: perseverarunt tamen eum sequi et clamare. Sequere Jesum, etiamsi te non soletur. Sustine Dominum cum patientia et longanimitate. Tandem quod quaerit, non est sciendi causa, sed vult grandem de sua potentia opinionem haberi. Sublimis de Deo sensus est magnarum actionum origo.

3. *Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis* (Ibid.). — Ecce ad mensuram dispositionis mensuratur gratia. Hinc intellige, quare sis tam egenus gratiarum; quia valde modica tua est dispositio: et conare te posthac ad ampliores disponere. Sanatis *comminatus est... dicens*: *Videte, ne quis sciat* (Ib.). Non fuit mandatum, sed mysterium docentis, si quae egerimus apud populum plausibilia, occulta optemus. Non vult laudari Christus: et cur tu, qui sine eo nihil potes?

FER. IV HEBDOM. VIII POST PENT.

Med. 261. — Daemonium mutum ejicitur.

1. *Obtulerunt ei hominem mutum, daemonium habentem: et ejecto daemonio locutus est mutus* (Matth. 9). — Magna est offerentium charitas, major Dei benignitas. Hanc admirare, illam imitare. Agnosce te mutum, si te loqui vetat de

Deo affectus vanitatis, pro Deo respectus humanus, cum Deo mentis ad creaturas evagatio.

2. *Miratae sunt turbae dicentes: Numquam apparuit sic in Israël* (Ib.). — Candidi et simplices animi laudant, quae vident bona. *Pharisaei autem dicebant: In principe daemoniorum ejicit daemonia* (Ib.). Invidus animus pessimum dat alienis rebus colorem. Tanti refert, quo animo sis, ut bene loquaris. Magus pronuntiatur Jesus, et tacet ac tolerat: et quomodo haec cogitans indignaberis, si quid de te sinistrum proferatur?

3. *Et circuibat... civitates, et castella, docens in synagogis... et curans omnem languorem* (Ib.). — En quid rependit tantae injuriae! Cumulabat in eos beneficia et miracula. Non propterea desiste a bono, quia de factis tuis sinistre loquuntur homines. Si propter eos non coepisti, propter eos non desistas. Respice, cui servias et decerne non curare, si hominibus non placeas.

FER. V HEBDOM. VIII POST PENT.

Med. 262. — Ad piscinam invenit paralyticum.

1. *Jacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum expectantium aquae motum* (Jo. 5). — Typum habes morborum animae. Languidi sunt, quos progredi taedet in via virtutis: caeci, qui non erigunt se ad aeterna, sed in caligine perituroruм haerent: claudi, qui in utramque partem jam ad Deum, jam ad mundum inclinant: aridi sua culpa, qui succum devotionis non gustant. Vide, an non te reperias in hac multitudine. Cum quanta longanimitate et attentione expectant motum aquae desiderio sanita-

tis corporalis! Utinam tantum tibi esset desiderium sanitatis animae, tanta intentio ad remedia.

2. *Qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat* (Ibid.). — Quanta fuerit, quam continua singulorum attentio ad Angelum descendentem, quanta occurrentium lucta? At primus solum sanabatur, non magis aeger, non diutius expectans; sed primus, et maxime diligens. Vide, quid a te requiratur, ut in anima saneris; attentio ad Angeli inspirationes, ad motum aquae, seu cordis tui affectus, et diligentia operandi. Vide, an, et quantum his deficias.

3. *Erat... quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset... dicit ei: Vis sanus fieri?* (Ibid.). — Non dubitabat de ejus voluntate Christus: se ad infirmitates tuae animae respiciebat, quae curari non possunt, nisi tu velis. Ideo ex te quaeritur, an revera velis: quia haec voluntas est primum movens. *Visne?* Forte solum velles. Nam si vis, cur repellis media? Si vis curari superbiam, cur fugis humilitatem? etc.

FER. VI HEBDOM. VIII POST PENT.

Med. 263. — Christus sanat eundem paralyticum.

1. *Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam* (Joan. 5). — An murmurans hoc dicit, et tacite incusans ministros aquae, quod ad ditiores accurant, se miserum deserant? An nude miseriam suam exponens? Fac ut neutro modo tua causa de te dicatur a superiore, a subdito, a discipulo, a poenitente: *Hominem non habeo.* In

miseriis animae tuae id quaeri non potes. Nam *Ecce homo*, Jesus tuus, qui mittit te in piscinam sui sanguinis.

2. *Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula* (Ibid.). — Tria hic habes adversus languorem spiritualem remedia: 1. *Surge*, non expecta ut sola gratia te erigat, sed tu quoque cooperare. Nec tu solus potes quidquam, nec illa sola: tu cum illa potes omnia. 2. *Tolle grabatum* cupiditatum, ac passionum. Tolle, tolle, crucifige. Tolle eas, rationis ac voluntatis manibus regendo, in quibus antea et ratio et voluntas quiescebat. 3. *Ambula* de virtute in virtutem, studio, ac desiderio proficiendi.

3. *Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (Ib.). — Commemorat beneficium, prohibet peccatum, minatur supplicium. Ab imperfectionibus te cohibeant haec, et ad fervorem spiritus moveant: amor, quo tibi benefacit Deus: mandatum illius, ac, nisi feceris, secuturum supplicium.

SABB. HEBDOM. VIII POST PENT.

Med. 264. — Christus excusat discipulos vellentes spicas.

1. *Abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes coeperunt vellere spicas, et manducare* (Matth. 12). — Cogita austeram Christi et discipulorum ejus vitam ad eam usque famem deductam. Non sunt eis, ut tibi, praeparata fercula; nec panis quidem. *Admirare*, ait Chrys. (Hom. 60 in Matth.), *quomodo nullam corporis curam habeant: neque tamen a Christo abscedant.* Prae-

sentia Christi eis supplebat defectum, et condiebat insipida. Si hunc serio cogitares, sollicitam, quam habes, corporis curam converteres in animam, nec defectus cibi aut commoditatum te a Christo avelleret per impatientiam et murmurationem.

2. *Pharisaei autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis* (Ibid.). — Ecce quomodo observant eum, ut criminentur, et famae demant per miracula acquisitae: et invidia vestitur zelo violatae legis. Graviora a se patrata sabbato invenirent si se inspicerent. Sed talpae in se, lynces in aliis minima taxant. Vides, quam turpe sit observare alios, et se ignorare! Ubi se objicit festuca in oculo fratris, converte tu cogitationem ad trabem, quae est in oculo tuo.

3. *At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit?... Quomodo intravit in domum Dei et panem propositionis comedit?* (Ib.). — Tacuerunt discipuli ad redargutionem etiam sibi factam, ut est apud sanctum Lucam. Ideo Dominus eorum defensionem suscepit. Si vis omnibus injuriis et calumniis respondere, multa incurres, unde plura patiaris. Si taceas, verbum Dei pro te loquetur. Est enim ei suorum cura: et si premi eos patitur, non sinit opprimi. Reposita est haec spes mea in sinu meo.

DOMINICA IX POST PENT.

Med. 265. — Sanatur manus arida.

1. *Ecce homo manum habens aridam: et interrogabant eum:.. Si licet sabbato curare?* (Matth. 12) ut si affirmaret, *accusarent eum* apud principes; si negaret, misericordem apud plebem proclamarent. Utrinque imminebat periculum: ut errorem tamen confutet, eligit sabbato curare. Quid tu faceres pro veritate, ubi praevideres aliquid te passurum? Ne timeas a facie hominum. Age quod aequum et justum est discreto zelo, et sine coelum ruere. In manu vero *dextera arida,* considera arida tua opera virtutis. Exarescat tibi sinistra, et vivat dextera.

2. *Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium* (Marc. 3), ut miseria visa moveat affectum se opponentium. *Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an male* (Ib.), id est, an omittere beneficium? Christo ergo idem est, non benefacere indigenti, cum potes, ac eidem nocere. Examina, quo affectu, demandata charitatis opera suscipias. Forte et tu ibi curris, ubi extrahenda est ovis e fovea, ubi proprium aliquod commodum affulget: et langues, ubi proximo est succurrendum.

3. *Et... contristatus est super caecitatem cordis eorum* (Ibid.). — Quod nec eum Messiam agnoscerent, nec doctrinam de juvando proximo etiam in sabbato probarent. At quanto major est caecitas tua, quam nebulae passionum inducunt! Ah noli contristare Christum Domini. Et *dicit homini. Extende manum tuam. Et extendit, et restituta*

est (Ib.). Tibi dici puta: Extende manum ad opera virtutis. Quid juvat proponere, aut desiderare, si numquam ad opus progrediaris? *Exeuntes autem... consilium faciebant... quomodo eum perderent* (Ib.). Unde meliores fieri debebant, inde pejores effecti sunt. Haec et tu reddis Deo, quoties beneficiis ad malum abuteris.

FER. II HEBDOM. IX POST PENT.

Med. 266. — Eliguntur duodecim Apostoli.

1. *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare* (Luc. 6). — 1. Cogitabant Judaei quomodo eum perderent; Christus quomodo eos salvaret per Apostolos, ut instrumenta. Quantum distant consilia Dei a consiliis hominum! 2. Subducit se, ut cedat eorumdem irae, et docet incendio non suggerendum pabulum. 3. Docet interpolanda contemplatione opera vitae activae, ut colligatur spiritus ad majora. 4. Docet ut recte ores, secedendum a strepitu tam externo negotiorum, quam interno passionum.

2. *Et erat pernoctans in oratione Dei* (Ibid.). — Totam noctem orat, antequam Apostolos deligat; ut doceat, quae in negotio salutis sunt statuenda, esse cum Deo conferenda: idque non obiter, sed aliquanti temporis deliberatione. Humana prudentia deficit ad ea quae sunt Dei. Errasti saepe, cum Deum non consuluisti; forte numquam, ubi consuluisti.

3. *Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit* (Ib.). — Et te vocavit Deus ad apostolicam vitam, et gratis. Quanta vocationis

dignitas! Quanta tua indignitas! Ne praesumas de vocationis gratia, si eam non firmes operibus: etiam Judas fuit inter illos, et tunc temporis te sanctior, et tamen defecit. Quod et tibi evenire potest, sapienter cave.

FER. III HEBDOM. IX POST PENT.

Med 267. — Sermo Christi in monte habitus.

1. *Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus; et aperiens os suum docebat eos* (Matth. 5). — Ubi sedet ad docendum Magister, accedunt discipuli, et audiunt doctrinam. Insidet Deus Magister, cordi tuo aperit os suum per inspirationes: accede, si vis esse discipulus, et ubi *vocem ejus audieris*, noli *obdurare* cor tuum (Ps. 94). Aestima doctrinam, quam tantus Magister tradit. Statue te illi conformare potius, quam doctrinae mundi et carnis. *Beatos* pronuntiat eos, quos mundus et caro miseros. Deus non fallitur, ergo mundus. Intelligis hoc, et tamen hujus principia sequeris?

2. *Beati pauperes spiritu* (Ibid.), qui amore Dei abrenuntiant caducis omnibus, et animo eorum cupiditatem evellunt, ut nudi nudum Jesum sequantur. Expende, quam terrena fastidias, aestimes, spernas, ut iis adhaereas. Quid de iis tibi statuendum sit, ex Christi exemplo disce. At quomodo eum imitaris? *Quoniam ipsorum est regnum coelorum* (Ib.). Est convincens beatitudinis probatio: 1. Qui habet regnum coelorum, beatus est: quis neget? *Pauperum est regnum coelorum.* Veritas aeterna hoc dixit: ergo beati sunt pauperes, non quidem possessione illius regni, sed jure ad

illud. Quanta bona lucraris, si caduca penitus animo extirpas. 2. Beati sunt beatitudine hujus vitae quia nihil desiderant. 3. *Possident regnum Dei*, de quo B. Paulus: *Intra vos est*, quia possident animam suam.

3. *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram!* (Luc. 6). — De iis est sermo, qui affectu immoderato ad caduca feruntur. Ut pauperibus certitudo coeli promittitur, ita his vae aeternum intonat. Cor enim eorum ligatum est, ut non valeant ad Deum illud constanter et integre erigere. Nam, *incidunt in tentationem et laqueum diaboli* (1 Tim. 6). *Habent consolationem*, non Dei, non solidam, sed *suam*, et apparentem. Non es tu in horum numero? Gratulare tibi, Deo gratias age; et cura, ut animum magis ac magis a caducis abstrahas, ut sit unicus thesaurus tuus is qui est omnia.

FER. IV HEBDOM. IX POST PENT.

Med. 268, — Secunda ac tertia beatitudo.

1. *Beati mites* (Matth. 5); non tantum qui cohibent turbulentos, et vel minimos iracundiae motus, sed etiam, ut ait Clem. Alex. (l. 4. Strom.): *Qui infidam, quae est in anima, pugnam sedant irae et cupiditatis, et eorum, quae sub ipsas cadunt.* Hic tibi de te cogitandi tam latus est campus, quam late se explicat irascibilis et concupiscibilis appetitus. Confer te cum exemplo Christi in tractandis peccatoribus, in ferendis injuriis, etc. Cogita tibi ab eo dici: *Discite a me, quia mitis sum* (Matth. 11).

2. *Quoniam ipsi possidebunt terram* (Ibid.). —

Quam? Olim *terram viventium:* nunc autem terram sui cordis. Hanc non possident iracundi, quia aestu quasi extra se rapiuntur: at *qui... acquiescit increpationibus, possessor est cordis* (Prov. 15), idest, qui non irascitur, non commovetur. Quanta haec est felicitas, hac interna pace et tranquillitate frui! *Sicut miserabilis est civitas, quae licet bene sit munita, intus tamen fovet proditores,* ait Chrys. (Hom. 34. in Joan.), *ita nihil beatius, quam intestino liberari bello.* Hanc beatitudinem ipse tibi dare potes: et quid vetat?

3. *Beati qui lugent* (Ibid.); ex compunctione sua; ex compassione aliena peccata; ex devotione miserias hujus vitae exulantis a patria; ex desiderio vitae aeternae dilationem. Vide, quid tu lugeas, an Deum perditum, an carnis commoda? An mala corporis, an animae? *Quoniam ipsi consolabuntur* (Ib.). A quo? A Deo *totius consolationis* (2 Cor. 1). Ubi? Non tantum in coelo, ubi *absterget Deus omnem lacrymam* (Apoc. 17); sed etiam in hac vita, ubi luctum compunctionis et devotionis vel comitatur, vel sequitur incomparabilis consolatio. At *vae vobis, qui ridetis* (Luc. 6) cum mundo, et ducitis in bonis dies vestros, quia in aeternum *lugebitis et flebitis* (Ib.).

FER. V HEBDOM. IX POST PENT.

Med. 269. — Quarta et quinta beatitudo.

1. *Beati qui esuriunt et sitiunt* (Matth. 5), ardenti desiderio *justitiam,* seu omnem Deo serviendi, et placendi rationem, qui desiderio quodam ardenti feruntur in actus virtutum, non tantum eos qui aliquid honoris habent adjunctum, sed

etiam qui videntur abjecti et viles, vel difficiles et ardui. Oh quantum ab hoc ardore deficis! Sitis: sed *cisternas dissipatas* mundi, *quae continere non valent aquas* salutis (Jer. 2). Quam facile tibi desipit virtus, cujus exercitium est amarum. Visne servire et placere Deo? In hoc consistet salus tua aeterna. Excita ergo hanc sitim, sine qua languet omnis virtus.

2. *Quoniam ipsi saturabuntur* (Ibid.). — Olim, cum *apparuerit gloria* Dei (Ps. 16); in hac vero vita, quia nihil ultra desiderabunt. Per ipsum enim desiderium habent quod desiderant, quia sic Deo serviunt et placent. Item semper habent, unde saturentur, quia semper habent, ubi justitiam operentur, ubi Deo serviant; *sive*... manducent, *sive* bibant, *sive aliud quid* faciant... (1 Cor. 10). Nonne hoc ita vis? Nonne saltem velle concupiscis? Oh utinam a primo momento vitae! Deus det nobis *cor omnibus*, *ut* colamus *eum*, *et* faciamus *ejus voluntatem, corde magno, et animo volenti* (2 Machab. 1).

3. *Beati misericordes* (Ib.), tum corporali, tum spirituali misericordia, intentione pura, motivo virtutis, affectu amplo, etiam ad minimos se extendente. *Quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Ib.): olim quidem, quando coronabit *te in misericordia* (Ps. 102); in hac vita vero per remissionem peccatorum, et abundantiam gratiarum. Quid diceres, si ante horam ivisses ad aeterna supplicia, hac evocaveris ad vitam, vestireris gratia, ducereris ad coelum? Nonne magna esset misericordia? Hanc Deus toties exhibuit tibi, quoties peccatum remisit. Vide ergo, unde hanc misericordiam tibi certam facere possis.

FER. VI HEBDOM. IX POST PENT.

Med. 270. — Sexta et septima beatitudo.

1. *Beati mundo corde* (Matth. 5), ii dicuntur, qui tametsi suas habeant imperfectiones, procul tamen sunt ab omni gravi peccato, ac proinde vestiti gratia; qui ipsos affectus habent purgatos, et a creaturarum amore avulsos, et ad Deum conversos: qui minimas etiam imperfectiones quanto possunt studio devitant, et toti Deo adhaerere conituntur. Inspice in hoc puncto statum animae tuae: quam es a creaturis avulsus? Quam Deo unitus? Quo studio declinas imperfectiones? etc.

2. *Quoniam ipsi Deum videbunt* (Ibid.). — Olim quidem *facie ad faciem*, nunc autem *per speculum in aenigmate*, sive in creaturis. Videbunt illum memoria praesentiae ipsius, hinc delectatio etiam in adversitatibus: *Memor fui Dei, et delectatus sum* (Ps. 76). Videbunt eum contemplatione et cognitione sublimium veritatum, et videndo amabunt, et amando inhaerebunt. Maxima haec beatitudo hujus vitae: sed quemadmodum ad claram Dei visionem nihil coinquinatum pervenit, ita neque ad istam pertingit anima immunda. Ut illam obtineas, velles in agone angelo purior inveniri. Sic ergo quotidie vive, et mundus esto, quia forte hic dies est ultimus.

3. *Beati pacifici* (Ibid.); qui carnem spiritui, passiones rationi subjecerunt; qui cum proximo in pace vivunt et charitate; qui alios componunt ad pacem, et reconciliant. Quaerere haec in te ipso. Si invenis Deum lauda: sin minus, ab hac die illam cura tanto studio, quanto cupis esse

filius Dei. Nam isti *vocabuntur filii Dei* (Ib.): qui est Deus totus spiritus sine carne, totus ratio sine passione. Deus pacis, et non dissensionis: quo magis ad hanc similitudinem te credis accedere, tanto certius habes te esse filium Dei.

SABB. HEBDOMAD. IX POST PENT.

Med. 271. — Octava beatitudo.

1. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* (Matth. 5), non autem propter sua delicta. Certum est, quod *omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (2 Tim. 3). Ergo si non vis recedere a justitia, debes paratus esse *mori magis, quam patrias Dei leges praevaricari* (2 Mach. 7). Sed quis tibi tunc animus, cum vel sustinendum aliquid, vel virtus aliqua, aut regula est violanda? Praetendis, te Jesum sequi et hunc crucifixum, sed clavos non vis tolerare: ne quid patiaris, et virtutem et regulam deseris. Aut fatere, te non imitare Jesum, aut patere.

2. *Quoniam ipsorum est regnum coelorum* (Ibid.), tam consummatum in patria, quam inchoatum in via: quod est *justitia, pax, et gaudium in Spiritu Sancto* (Rom. 14). Nam justitiam non potest perdere, qui mavult mala quaeque tolerare, quam vel unam regulam violare. Compara tibi hoc regnum, in quo est certitudo futuri. *Nihil horum timeas, quae passurus es* (Apoc. 2), a mundo contradicente, a daemone affligente, a carne adversus spiritum concupiscente.

3. *Beati estis, cum maledixerint vobis* homines, *et dixerint omne malum adversum vos, mentien-*

tes propter me (Ib.). — Quis neget beatum, cui Deus benedicit? Nam *benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio* (Prov. 10). At Deus benedicit iis, quibus propter justitiam mundus maledicit: *Benedictio Domini super caput justi* (Ibid.): *Maledicent illi, et tu benedices* (Psal. 108). Et tamen, nonne amas laudes et benedictiones hominum? Ergo eligis vituperari a Deo? An ignoras illud: *Vae, cum benedixerint vobis homines?* (Luc. 6).

DOMINICA X POST PENT.

Med. 272. — De triplici qualitate virorum apostolicorum.

1. *Vos estis sal terrae* (Matth. 5). — Natura salis, ait Plin. (l. 31, c. 7), *est mordens, adurens, repugnans, extenuans, exsiccans.* Debet ergo homo apostolicae professionis quoad se esse in via purgativa perfectus, et alios prius per hanc viam ducere, quam per illuminativam et unitivam. Quid dicis de te ipso? Quantum in hac via profecisti? Nonne plus superest?

2. *Vos estis lux mundi* (Ib.). — Secundus gradus viae apostolicae nomine *lucis* exprimitur, et intelligitur via illuminativa, in qua perfectus esse debet, quoad se in praxi virtutum desumptarum ex vita et doctrina Christi. Non sufficit enim purgatum esse nisi et ornatus sit quoad se, et plenus virtutibus, ut aliis communicare possit, illuminando, errores dissipando, movendo animos. Habesne tu vel unicam virtutem in gradu perfecto? Quot tibi desunt? Quomodo iis studes? Ut aliis apteris, quo-

modo talenta excolis? An ponis lucernam sub modio?

3. *Non potest civitas abscondi supra montem posita* (Ib.). — Unitiva hic exprimitur. Ut *civitas est multitudo civium per se sufficiens ad vivendum* (Arist. 3 Polit.); ita perfecti, dum uni Deo inhaerent, sibi et aliis abunde sufficiunt ad perfecte vivendum. Vide, an tua sufficientia sit unice in Deo? An soli illi, nihil creaturis adhaereas? An omnia in illum referas? An nihil extra illum quaeras?

FER. II HEBDOM. X POST PENT.

Med. 273. — De bono exemplo dando ad gloriam Dei.

1. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (Matth. 5). — Non omnia agi possunt in occulto, non omnia debent in aperto: at quae agis in aperto sint bona non apparenter, sed vere, ut *unusquisque... proximo suo placeat in bonum ad aedificationem* (Rom. 15). Examina verba tua in communi conversatione, maxime coram minoribus, qui facile a majore discunt: an vana, jactabunda, etc.? Quam compositi mores? Quam regulis consentientia facta?

2. *Et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (Ibid.). — Habes hic praescriptam intentionem cordis, qua operandum est bene in aperto: primum quidem, ut tu placeas Deo, deinde vero ut Deus ab aliis glorificetur, quatenus agnoscitur auctor boni. Potes ergo et mutus gloriam Dei promovere. Detrahis gloriae Dei, si quo hominum respectu non agis bonum in aperto, quod congruenter potes aut debes. Examina ergo intentiones tuas, an huc

tendant: et statue imposterum: *Ego autem ad Dominum aspiciam* (Mich. 7).

3. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (Matth. 6). — Prohibet quaerere gloriam inanem. Maximam injustitiam facit, qui facit justitiam, ut videatur; quia usurpat sibi quod Dei est, ipso invito et prohibente. Est enim solus Deus *Rex... et Dominus... gloriae* (Psalm. 23): *Soli Deo honor et gloria* (1 Timoth. 1). Tu sine gratia nihil potes: Dei gratia est, quae *operatur... velle et perficere* (Phil. 2). Quod ex opere resultant est gloria. Tu, qui nihil fecisti, voles omnem surripere Deo, qui totum fecit?

FER. III HEBDOM. X POST PENT.

Med. 274. — De exacta legis observantia.

1. *Non veni solvere... legem... sed adimplere* (Matth. 5). — 1. Lex ante Christum non erat impleta, seu perfecta; venit ut impleret, seu ad perfectiora deduceret: jussit enim illi addi animam, seu affectum internum, adjecit consilia, etc. Nobis vero adjecit merita sua, ex quibus est gratia ad facilius observandam legem. Vide, quid debeas legislatori. 2. Observa non esse satis, legem *non solvere*, sed oportere insuper *implere*, hoc est cum perfectione opera regulae exercere.

2. *Amen... dico vobis... jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant* (Ibid.). — Exemplum suum proponit, qui legem omnem, et ea, quae de ipso scripta erant in prophetis, exactissime usque ad minimum servare voluit, ut potius coelum et terra sint peritura, quam

ipse non impleat minimum. Esne tu ita ad legem Dei, ad regulas religionis affectus? Conare omni modo, ut unus apex a lege non praetereatur. Rem maximam procuras, si curas minima.

3. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis... minimus vocabitur in regno coelorum* (Ibid.). — Post propositum suum exemplum, quid a te exigat, insinuat, ut etiam minima mandata et regulas serves. Nullum tam parvum malum, quod non inclinat ad pejus. Nota vocem: *solverit:* insinuare omnia mandata esse colligata: Si solvis unum, venis facile ad dissolutionem plurium. Vocat *minima,* ut facilitatem observandi doceat. Haec te moveant, ut attendas minimis; et si spernis *modica,* time, ne *paullatim* decidas (Eccli. 19).

FER. IV HEBDOM. X POST PENT.

Med. 275. — De studio legis observandae.

1. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum* (Matth. 5). — Plura a christianis exigit Deus, et sublimiora, quam exegerit a Judaeis. Illis sufficiebat cortex legis, opus imperatum ponere vel non ponere prohibitum: a nobis operis anima, seu affectus desideratur, quia majores gratias dat. Hinc colliges etiam majora exigere a religioso, quam a saeculari ob eandem causam. Pudeat te, quod a tot saecularibus in virtute supereris. Time, ne Deus gratias subtrahat non cooperanti. Aemulare charismata meliora.

2. *Audistis, quia dictum est antiquis... etc. Ego autem dico vobis* (Ibid.). — Expende, quanto in omnibus excellentior sit lex gratiae lege anti-

qua. Nam 1 rudioribus data, solum crassiora prohibebat: haec etiam minuta. 2. Illa in exterioribus haerebat, haec medullas animae petit. 3. Illius observationi praemium temporale dabatur, hujus aeternum. Gratias age, quod te Deus ad hanc legem reservaverit. Non siste in cortice legis, sed medullam observa.

3. *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (Ibid.). — Ita est ille perfectus, ut omnis sit in illo perfectior, nulla autem, sed nec minutissima, imperfectio. Si cures, ut nulla sit in te imperfectio, curabis, ut sit maxima perfectio. Curabis enim, ut summe diligas Deum in quo est summa perfectio, et diligaris ab eo, in quo est summa felicitas. Nam quo minus de proprio, aut imperfectione admisces operi, tanto purior est charitas, ex qua operaris. Habes ergo in manu tua et perfectionem et felicitatem tuam. Sed quam multa tibi tollenda est imperfectio!

FER. V HEBDOMAD. X POST PENT.

Med. 276. — De tollendo scandalo.

1. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te* (Matth. 5). — Per *oculum* superiores, qui sunt majoris auctoritatis, intelligit. S. Jo. Chrysost. Hi scandalo tibi esse possunt, si humano eorum ducaris respectu, si quod agunt illi contra regulam, sumas in exemplum, si ex eorum affectu regulam transgrediaris. Perpende, qualis sis in eo genere. *Erue* hunc oculum, mortifica hunc affectum. Regulam attende potius, quae a Deo est, quam exemplum, quod ab homine. Si non sufficis tollendo, manifesta cui debes, habebis auxilium.

2. *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te* (Ibid.). — Per manum propinqui et aequales intelliguntur. In quos plerumque affectus solet esse major: quia amor est inter aequales ut plurimum. Scandalo tibi esse possunt familiaritate nimia aut particulari, frequenti visitatione, colloquio, blanditiis, ex quibus animus tuus sensim emollitur et tepet in amore Dei. *Abscinde* conversationem, colloquia, etc. et plus cum Deo versare.

3. *Si pes tuus te scandalizat, amputa illum* (Marc. 9). — Per pedem inferiores intellige, filios spirituales, discipulos, subditos. Scandalo tibi sunt, si ex nimio affectu plus aequo indulgeas, eorum culpas dissimules, aliis praeferas cum illorum offensa, inutiliter cum iis verseris, etc. Agnosce quam periculosus sit hic affectus, quia ut plurimum specie pietatis tegitur, ut vix agnoscatur, donec pereas. Adde, quod sic causa esse possis, ut alter pereat, et anima ejus de manibus tuis requiratur.

FER. VI HEBDOM. X POST PENT.

Med. 277. — De dilectione inimicorum.

1. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros* (Matth. 5). — Quis? Qui *prior dilexit nos* (1 Jo. 4). Et *cum inimici essemus* (Rom. 5), reconciliavit nos Deo per mortem suam. Cogita, quod inimicus est creatura Dei, ut tu: quod si Deum Patrem habes, ille est frater tuus: quod est tecum ad eundem finem ordinatus, eodem sanguine redemptus. Dilige eum propter te, quia tibi utilis est: quia te exercet ad gloriam: quia si dimittis

illi. dimittet et tibi Deus. Et cui noces, si oderis, nisi animae tuae? Quia majus est tibi malum ipsum odium, quam quod ab illo tibi infertur. Dilige et diligeris a Deo.

2. *Benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro... calumniantibus vos* (Ib.). — Ad cordis affectum adjicienda est oris et operis dilectio. Non satis est, non odisse, sed mandat *diligere*. Dilectio autem non est otiosus affectus: sed opere demonstratur. Quid facis ei, qui te oderit, qui calumniatus fuerit? Non reddis pro malo malum? Quid loqueris de eo? Sequerisne Paulum dicentem: *maledicimur et benedicimus?* Christum, qui orabat pro crucifixoribus?

3. *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (Ibid.). — En quid lucraris inimicorum dilectione! Vis filius Dei esse? Habes expeditam ad hoc viam: *Dilige inimicum.* In quo scies, quod sis filius Dei, nisi fueris similis Deo, ait S. Jo. Chrys. (in imperf. hom. 31): *Hic nonne solem suum oriri facit super bonos et malos?* Non te conservat, dum tu eum offendis? Non dimittit toties tua peccata?

SABB. HEBDOM. X POST PENT.

Med. 278. — Dispositio ad orandum, et prima petitio.

1. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum* (Matth. 6). — Ut recte ores, secedendum est a strepitu et corpore et animo. Objecta movent sensus, sensus sunt fenestrae animae: si patent, omnis aura ingreditur. In solitudine loquitur Deus animae ad cor. Ita Christus oraturus secessit ad montes. Multo

autem magis secede a tumultibus animae. Unica passio mota alias de Deo cogitationes non admittit. Hinc collige, unde tuarum orationum tam modicus fructus; quia nec sensus compescis, nec animae motus. Ut in oratione sis ita compositus, debes extra tempora orationis huic compositioni assuescere.

2. *Sic ergo... orabitis: Pater noster qui es in coelis* (Ibid.). — Hic omnis orationis sit ingressus, ut cogites, quem ores: *Pater:* hinc reverentia, fiducia et amor comites orationis. Nonne tibi merito exprobret Deus: *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?* (Malach. 1). Quam indignus tu tanti Patris filius! Hinc humilitas, tuique abjectio. *Noster:* ergo omnes sumus ejus filii, ergo omnes fratres, ergo omnes a te amandi, ergo ingratum est munus, quod offers, nisi ames. *Qui es:* et solus quidem *es*. Hinc magna Dei aestimatio. *In coelis:* hinc fervor, cum oratio tua usque ad coelos penetrare debeat. Hinc scopus petitionum in coelis, ut non petas terrena. Haec omnia in te examina: et sic statue.

3. *Sanctificetur nomen tuum* (Ib.). — Hoc primum est ex omnibus desiderandis, ut agnoscatur ab omnibus Deus, colatur, eique uni serviatur; aestimetur ejus sanctitas, ametur ejus bonitas, timeatur ejus justitia, subdatur ejus potentiae omnis creatura. Atque hic est finis noster, ad quem omnia et singula debemus dirigere. Nonne hoc verbis solum petis, factis autem per superbiam evertis? Quid petis, dum te tantopere aestimas, et aestimari quaeris? *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psalm. 113).

DOMINICA XI POST PENT.

Med. 279. — Secunda et tertia petitio.

1. *Adveniat regnum tuum* (Matth. 6). — Petis vel ut Deus regnet in te: *Regnum Dei intra vos est* (Luc. 17); vel ut ubique gentium: *Domini est regnum; et ipse dominabitur gentium* (Ps. 21); vel proprie regnum beatorum per felicem mortem obtinendum: quo simul indicas te jam paratum esse, nihil esse, quod te remoretur. Sentisne vere id animo? An tibi et Deo illudis? Non te remoratur amor vitae? Non affectus terrenorum? Explora: hoc momento moriendum est: quid dicis? Hoc momento renuntiandum est omnibus: quid sentis?

2. *Fiat voluntas tua* (Ibid.). — Quid justius? Illa est regula nostrae voluntatis: abusus est nostrae, si cum illa non consentit. Dominus et Pater noster est: *Omnia quaecumque praeceperit Dominus noster rex, libenter exequemur servi tui* (2 Reg. 15). *Omnia quaecumque praecipisti mihi, faciam, Pater* (Tob. 5). Facisne, quod verbo dicis? Facis voluntatem Dei absolutam, per legem et regulas intimatam? Exples voluntatem beneplaciti in iis, quae quidem non imperat, sed scis ei placere? An potius vivis voluntate et placito tuo ac passionum inclinatione?

3. *Sicut in coelo, et in terra* (Ib.). — Modum hic petis faciendam in terra voluntatem Dei, sicut fit a beatis. Et cur minus a nobis? An quia liberi sumus? Ergo *velamen* habebimus *malitiae, libertatem?* (1 Pet. 2). At quomodo fit in coelo? Ex

puro Dei amore, promptissime, in omnibus, sine discussione. Reperisne haec omnia in anima tua? Quid si Deus per superiores ardua imperet; et sensui contraria? Oh miser! Quam parum hic voluntatem Dei respicis.

FER. II HEBDOM. XI POST PENT.

Medit. 280. — Quarta et quinta petitio.

1. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie* (Matth. 6). — Petis corpori et animae alimoniam, tamquam *mendicus ante fores divinae gratiae.* Corpori quidem *panem,* non luxum, non delicias; ut *habentes, quo alamur, hoc contenti simus.* Si ita petis, communi, eoque frugali victu contentus eris. Si deterior obtingat tibi, cogitabis te mendicum accipere illud de manu Dei. Animae vero, vel verbum Dei, in quo vivit homo, vel Ss. Eucharistiam, quam etsi non sumis hodie, petis tamen hodie per communionem spiritualem. *Ergo sic vive, ut merearis quotidie accipere.*

2. *Et dimitte nobis debita nostra* (Ibid.). — Quanta tu debita contraxisti? 1. *Totum quod es, illi debes, a quo totum habes* (S. Bernard.). 2. Talenta naturae et gratiae Deo debes. Quam ingratus es, si eis ad offendendum abuteris, quae tibi dedit, ut amares! 3. Peccata enorme sunt debitum, quod solvere non potes, nisi ex meritis Christi. Agnosce te peccatorem, unde te humilies: sed Deum misericordem, unde ad fiduciam erigaris. Sed qui deprecaris *hodie,* noli *hodie* iterum debita contrahere.

3. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Ibid.). — Conditio est: petis non dimitti tua, si

non dimittis aliena: *Si enim dimiseritis hominibus..... dimittet vobis Pater vester* (Ibid.). Ecce bonitas Dei! *In tua potestate futurum de te judicium ponit* (ait S. Jo. Chrys.). At Deus dimittit statim, cum rogatur, praevenit rogantem gratia excitante, dimittit plene, toties quoties rogatur. Hocne modo etiam tu dimittis? An statim? An sol occidit super iracundiam tuam? An praevenis alloquendo? An ais: non teneor illi loqui? An toties, quoties? An ais: non semel, sed multoties id mihi fecit? An plene? An dicis: non odi illum, sed non possum ei esse familiaris?

FER. III HEBD. XI POST PENT.

Med. 281. — Petitio sexta et septima.

1. *Et ne nos inducas in tentationem* (Matth. 6). — Contracta debita elui petivisti; petis non contrahere nova. Versaris inter hostes potentissimos homo fragilis, et concupiscentiis tuis assidue pulsaris. Unus tibi non sufficis: auxilium postula, ut resistas. Examina, quae tuae, quam periculosae sint tentationes, et cogita de mediis obsistendi. De gratia non dubita; eam *Deus facienti, quod in se est non negat.* Sed averte: facienti, quod in se est.

2. *Et ne nos inducas* (Ibid.). — Non petis non tentari, sed non vinci. Tentari saepe prodest et ad meritum, et ad humilitatem, et ad fiduciam in Deum. Vinci, aut non vinci in tua est libertate. Sed Deum irrides, si petis, ut te liberet, et te ipsum inducis in tentationem: non minus quam qui seipsum in fluvium praecipitaret, et oraret Deum, ut non madefieret. Non ergo serio petis,

nisi te ipsum abducas ab his, per quae induceris ad consensum.

3. *Sed libera nos a malo* (Ibid.). — Qui nullum specificat, omne malum intelligit, prout adversatur saluti: sive id sit corporis, sive animae. Quamquam corporis mala non sint ex se, sed ex fragilitate tua, saluti adversa. Vide, ne opere obsistas ei, quod petis, per tuam acediam, aut teporem: forte vis, et non vis piger? Forte procrastinas, aut fingis impossibilitatem? Aut dicis: *Leo est foris* (Prov. 22); et ideo manum non adhibes?

FER. IV HEBDOM. XI POST PENT.

Med. 282. — Non thesaurizandum in terra sed in coelo.

1. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* (Matth. 6). — Id est: *Nolite diligere mundum* (1 Joan. 2). Intellige ergo de concupiscentia carnis, oculorum et honoris. Et quare? Quia mors ut *tinea demolitur*, et ut fur *effodit*. Ut amorem trajicias ad futura, memineris migrandum a praesentibus. Inde illa nondum constanter amas, quia his nimium afficeris. Sed si *hac nocte tuam animam repetunt a te*, haec, in quibus quiescebas, *cujus erunt?* (Luc. XII, 20). Quid proderunt? Immo quantum oberunt?

2. *Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo* (Ibid.). — Ibi est patria tua; illuc migrandum est; nisi praemittas thesaurum, aeternum exulabis. Non est ibi comparandus: sed hic colligendus, eo transmittendus, ut te expectet, et eo fruaris. At non parum transmittendum est: *thesaurus* sit oportet, et magna ac pretiosa copia. Conclude ergo: 1. Nul-

ſum tempus, aut occasionem bene agendi praetereundam. 2. Magnis ac eximiis operibus instandum.

3. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (Ibid.). — Quod aestimas, hoc amas, huic cor affigis. Amor enim aestimationem sequitur. Amans autem fit id, quod amat; terrenum, si terram; coeleste, si coelum; divinum, si Deum. Oh infelix, si statuis cor tuum *declinare in terram!* Oh insanis, si amorem, quo unico pretio Deum tibi potes comparare, expendis ad emendum lutum! Intelligis hoc, et tamen adhuc cor tuum affigis creaturis!

FER. V HEBDOM. XI POST PENT.

Med. 283. — Oculus simplex et nequam.

1. *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (Matth. 6). — Oculi nomine intelligitur superior. Ut oculus dirigit gressus et alias operationes corporis, ita superior est te. Ad oculi ductum sequuntur membra: quomodo tu superioris ductum? Non utitur imperio oculus, non vi coactiva, non minis in membra, et tamen sequuntur. Superior tibi a Deo oculus datus est. Hunc crede colores discernere, te passionibus excaecari. Assentire vel nutui. Examina te circa puritatem intentionis.

2. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (Ibid.). — Oculi nomine intellectum intelligit S. Jo. Chrysost. (Hom. 15 in Imperf.). Hic *simplex* sit oportet, idest non obfuscatus, non erroneis principiis imbutus, quae a mundo et carne suggeruntur: tum omnis actionum series lucida et Deo placens erit. Ab intellectu enim ducitur voluntas. Vide, quae sint tua prin-

cipia; an simplicia, ad unum Deum tendentia; an duplicia ad Deum et propria commoda? Conare puris, veris et simplicibus, Deoque consentientibus principiis intellectum imbuere et mundo et carni non acquiescere.

3. *Si... oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* (Ibid.). — Oculi nomine intentionem intelligit S. August. (lib. 2, de serm. Dei). Haec semper nequam est, quoties aliud respicit, quam Deum. Sicut servus nequam, qui suo domino detrectat obsequia, alteri impendit; multo magis, si hosti. At tu hoc facis, quoties respicis vanitatem et magis tua commoda, quam Dei gloriam. Expende ergo necessitatem et utilitatem purae intentionis. Fac ut hic oculus sit simplex et pure in Deum propter Deum tendat.

FER. VI HEBDOM. XI POST PENT.

Med. 284. — Non serviendum duobus dominis.

1. *Nemo potest duobus dominis servire* (Matth. 6), dum diversa, aut contraria imperant. Duos habes dominos; unum legitima, alterum arrogata potestate; Deum et sensum Deo rebellantem. Infelix homo, qui hunc non Dominum, sed tyrannum pateris, te quovis momento prementem! Sed infelicior, quod sponte pateris! Elige nunc cui servias. Quid frustra tentas utrique, quod *nemo potest*. Dic ergo Deo: *Servus tuus sum ego* (Ps. 118).

2. *Unum odio habebit et alterum diliget* (Ibid.). — Causa, cur non possis his duobus servire, est quod contraria imperent; unus ea, quae amas, alter ea, quae odisti. Quis possis contraria jubentibus eodem tempore parere? Quid jubet Deus?

Sensum opprimere, cupiditates frangere etc. Quid sensus? Sibi indulgere, frui creaturis, etc. Non potes ergo servire utrique. Ergo legitimum adora, te ei devove: et subter *te* sit *appetitus* tuus *et tu dominaberis illius* (Gen. 4).

3. *Unum sustinebit et alterum contemnet* (Ibid.). — Altera causa est ex parte tua, quia non potes simul idem velle et nolle; deberes, si utrique servires. Deberes nolle servire tuis cupiditatibus, quia unus sic jubet; deberes velle eisdem servire, quia alter imperat. Alterutri ergo renuntiandum est. Elige: quem vis? Ipsa nomina dominorum sufficiunt, ut determines.

SABB. HEBDOM. XI POST PENT.

Med. 285. — Deponenda temporalium sollicitudo regnum Dei quaerendum.

1. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini* (Matth. 6). — 1. Nimiam circa corpus et ejus necessaria sollicitudinem prohibet: quia non minus inutilis est, quam si quis vellet *adjicere ad staturam suam cubitum unum* (Ibid.). 2. Quia haec nimia cura derogat curae animae, quae potior esse debet: *Nonne anima plus est, quam esca?* (Ibid.). Quid ergo sollicitus es tantopere de loco, de functione, de tuis commoditatibus? Quo plus angeris circa ista, minus animae provides. Et quam parvam habes curam animae! Expende, quanto pluris sit anima.

2. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis* (Ibid.). — Docet horum curam Deo remittendam, qui pascit aves, qui vestit lilia. Ille

enim scit, non scientia speculativa, sed scientia paternae providentiae. Tua sollicitudo hic aut ibi sanius vivendi, hoc aut illud munus ob sanitatem non suscipiendi, est argumentum diffidentiae. Nonne *haec omnia gentes inquirunt* (Ibid.), quae fidem non habent? Conjice te ergo in providentiae divinae sinum, *quoniam ipsi cura est de te* (1 Petr. 5).

3. *Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus* (Ibid.). — Regnum Dei est gloria ejus, et beatitudo nostra. Justitiae vero nomine intelliguntur media a nobis ponenda. Huc ergo prima vertenda cura: alias curam hujus postponis alteri curae. Sed si postponis, certo non acquires. Non potes enim Deo placere, si minoris aestimes, quae ipse mandat pluris aestimanda: unde fit, ut gratias subtrahat. Deinde tu ipse in id magis laboras, quod pluris aestimas. Si ergo sit alterius rei, quam regni coelorum potior aestimatio, in eam convertes laborem. At nonne stultum est, Dei gloriae et coelo aliud praeponere? Sit ergo prima tua cura, quam Jesus mandat: in finem ad quem creatus es, respice: in media indefesse incumbe.

DOMINICA XII POST PENT.

Med. 286. — Vitandum judicium temerarium.

1. *Nolite judicare, ut non judicemini* (Matth. 7). — Deus non creavit te judicem alterius, sed socium. *Pater omne judicium dedit Filio:* qui judicat, ejus jurisdictionem sibi arrogat. Justitia postulat, ut, qui non probatur malus, praesumatur bonus esse: charitas exigit, ut quidquid potes,

in meliorem partem interpreteris. Vide quantum peccetur uno judicio temerario. Examina te ipsum, an et tu judicium Dei tibi arroges. Melius feceris, si te ipsum judicaveris, ut non judiceris.

2. *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini* (Ibid.). — Haec poena est temere judicantium. Justo judicio permittit Deus, ut pariter tales aliorum judicia patiantur. Immo ut in eos defectus incidant, quos aliis appingunt: *Quid judicas fratrem tuum? Omnes... stabimus ante tribunal Christi* (Rom. 14); et tanto rigidius feremus judicium, quanto rigidius proximum quisque judicaverit. *Inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas* (Rom. 2). Quid gravius? Time ergo et Dei judicium; et cum *unusquisque* hominum *pro se* (Rom. 14) redditurus sit *rationem*, causae tuae disponendae potius invigila.

3. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (Ibid.). En remedium, tollendo judicio: tuos ipse defectus inspice: si bene perpendas, graviores invenies. *Tuorum tibi conscius peccatorum, quomodo potes de alterius judicare peccato?* (S. Ambros. in Psalm. 118). Si reipsa bonum est, quod malum judicas, agnosce, quanta tua sit sic judicantis malitia: si dubium est, quare in pejus interpretaris? Si aperte malum est, *excusa intentionem, si opus non potes*, ait S. Bern. (serm. 4 in Cant.), *puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.*

FER. II HEBDOMAD. XII POST PENT.

Med. 287. — Commendatur oratio.

1. *Petite, et dabitur vobis : quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis* (Matth. 7). — Medium hoc est ad gratiam et ad gloriam. Eges gratia? *Pete* per humilem orationem; *quaere* per debita media orationi conjuncta; *pulsa* per longanimitatem. Hinc tuam orationem inspice, qualis sit; an satis humilis? An ex agnitione propriae miseriae procedat? An ita quaeras? Petis forte humilitatem, sed non vis humiliationem: pauperta-tem, sed non vis ullum rerum defectum: patientiam, sed non vis doloris sensum, etc. Hoc vero ipsum est idem velle ac nolle, petere ac rejicere. Agnosce tuam stoliditatem : deprecare et statue id observare: *Si quaeritis, quaerite; convertimini et venite* (Is. 21).

2. *Omnis enim qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur* (Ibid.). — Hic effectus orationis est certus et infallibilis, quia Deus promisit. Crede et confide: modo velis ordinata voluntate, hoc est, id, quod vult Deus: quia si aliud velis, vis, ut aegrotus, quod nocet. *Quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos* (1 Jo. 5). At hoc semper obtinebis, seu concedat Deus, quod petis, seu neget; dat enim aequivalens, quod magis prodest. Forte non sic orasti; sed divinam ad tuam flectere, non tuam divinae voluntatem subdere voluisti. Grandis hic error est; non fiducia, sed praesumptio.

3. *Si... vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester da-*

bit bona petentibus se? (Ib.). — Argumentum hoc est, quo nostram firmat fiduciam, divina bonitas et ejusdem amoris in nos propensio paterna. Filios per adoptionem nos suos fecit, se Patrem. Ut Deus et Pater scit, potest et vult, quod nobis prodest. Nec aliud velle potest, nisi nos eum cogamus. Nonne illud millies in te praestitit? Quantum tam bono Deo debes! Quid posthac in eum fiduciae concipies?

FER. III HEBDOMAD. XII POST PENT.

Med. 288. — Angusta et spatiosa via.

1. *Lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem* (Matth. 7). — Homo, dum vivit, in via est, non in termino. Sed in via quam multi errant! Oh miseri in aeternum! *Est via, quae videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem* (Prov. 14). Via lata est, quae non constringitur lege Dei et ratione: et abit in effusionem sensuum. *Oh quam multi ambulant per eam!* O anima mea; quamdiu ambulasti hanc viam! Regredere tandem ab errore: arcta concupiscentias tuas intra terminos legis ac rationis. Prospice, quia via cupiditatum tuarum, in qua es, *ducit ad perditionem.*

2. *Quam angusta... et arcta via est, quae ducit ad vitam; et pauci... inveniunt eam!* (Ib.). — Via coeli angusta est, quia non admittit id quod libet, sed quod licet: non potes per eam ire cum jumentis tuarum passionum, cum sarcinis cupiditatum: solus cum solo Deo incedere debes. Non admittit dilatationem pompae, non comitatum honorum. Abrenuntiandum omnibus, si hanc ingredi velis. Oh miser, tandem adverte, quam procul ab ea fueris!

Pauci inveniunt eam, et tu non fuisti inter illos. Fatuus splendor rerum terrenarum perstrinxit tibi oculos animi; passiones excaecarunt, ut non videres.

3. *Contendite intrare per angustam portam* (Luc. 13). — Per latam ut eas, non est contendendum; naturali impetu raperis. Oh misera conditio tua, nisi in adversum labores! Per angustam ut penetres, magna contentione est opus; vis tibi inferenda, ut serio velis, serio opereris; detruncandae passiones et affectus ad creaturas; abjiciendae sarcinae honoris et amoris proprii, etc. Visne haec? Ut velis, respice finem, quia haec *ducit ad vitam.*

FER. IV HEBDOM. XII POST PENT.

Med. 289. — Cavendum a falsis prophetis.

1. *Attendite a falsis prophetis* (Matth. 7), seu doctoribus. At, qui sunt hi? in teipso, concupiscentiae, pravi affectus, amor proprius et creaturarum. Quantae ab his falsitates! Bonum esse, aestimari; malum, contemni: bonum, solatia a creaturis captare; malum, negligere, etc. Extra te sunt disculi amici, quorum exempla sequeris, tamquam facies veritatis, a quibus discis superioribus resistere, parva non aestimare, tibi indulgere, etc. Et nonne horum doctorum principia es secutus? Sed quo tuo damno? Volesne etiam imposterum?

2. *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (Ib.). — Nullum malum aperta facie venit, sed speciem boni inducit Quam facile ergo illudit, nisi intellectus sit

purus et defaecatus, et fidei ac virtutum principiis assentiatur! Nisi animus contra laxorum verba et exempla sit obfirmatus! O miser! Nonne expertus es lupos, quos credebas esse oves? Saltem nunc damno tuo sapiendum est. Non attende imposterum, quid blandiatur externe, sed quid in reipsa sit, quo ducat, quid sequatur.

3. *A fructibus eorum cognoscetis eos* (Ibid.), sicut arborem nosti. Expende nonnihil, quos in te tulit fructus amor tui, amor creaturarum: nonne eos, quos Deus nauseat? Quos tulerunt familiaritates laxorum? Nonne eos, qui in tua conscientia vermem aluni? Agnoscis hoc et non emendas? Time, ne excidaris: nam *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (Ibid.).

FER. V HEBDOM. XII POST PENT.

Medit. 290. — De facienda Dei voluntate.

1. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei* (Matth. 7). — Non probat eos. 1. Qui opera quaedam praestant ex se bona ex devotione, sed omittunt ea, quae sunt ex obligatione. 2. Non probat multa dicere, et pauca facere: multa de Deo cognoscere eximia et pro illo pauca velle. Nonne ex horum numero es? Scis et dicis de Deo, de virtute, multa: sed quid praestas? In angustiis clamas: *Domine, Domine:* sed quid adhibes tuae operae?

2. *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum* (Ibid.). — Effatum est infallibile: alia via non intrabis,

quam faciendo voluntatem Dei. Sed, quae est voluntas Dei? Hanc per superiores indicat: *Qui vos audit, me audit* (Luc. 10). Hanc regulae manifestant, quae non sunt inventum hominis sed Dei. *Nisi custodieris et feceris omnia verba legis... augebit Dominus plagas tuas, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui* (Deut. 28). Vide num facta tua voluntati Dei consentiant. Quomodo te habes ad superiorum dispositiones? Quomodo ad regulas?

3. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus... et daemonia ejecimus? etc.* (Ibid.). — *Tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos.* Docere, peccatores absolvere, motus magnos in populo ciere, sunt gratiae gratis datae. Si haec tantum ad Deum adferas, audies: *Non novi vos.* Ergo aliud a te postulat Deus, quod aliquo modo tuum sit, tuam cooperationem, tua merita. Oh quam hactenus egenus es! Itane coram Deo comparebis? Adde, quod potes: nam etsi feceris, quidquid potes, adhuc servus inutilis eris; Deus tamen non ultra id, quod potes, a te exiget.

FER. VI HEBDOM. XII POST PENT.

Med. 291. — Mundatur leprosus.

1. *Ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare* (Matth. 8). — Confitetur Dominum, credit omnipotentem, fatetur voluntatem potentiae aequalem; neque ait: munda me; sed desiderium sanitatis ejus voluntati submittit. Agisne ita cum Deo tuo? Exercesne actum fidei, cum quid petis? Credisne esse Domi-

num? Posse tibi pro arbitrio concedere, vel negare? Subjicisne te et petita tua ejus dispositioni cum plena resignatione? Ita vero agendum; alias petis, quod non vult.

2. *Extendens Jesus manum tetigit eum, dicens: Volo: mundare* (Ibid.). — Oh prompta Jesu mei benignitas! Oh si, dum me in S. Eucharistia tangit, dicat: *Volo: mundare* a lepra animae tuae. Ostendit se aeque velle, quod rogatur ac potest. Ergo in iis quae spectant ad salutem animae, non dicas: *Per Deum abest* (Eccli. 15). Non dicas vellem, sed Deus non dat mihi gratiam. Non dat: an quia non potest? Hoc non credis. An quia non vult? Falsum est. Non vult quidem per miraculum, vult tamen cum conditione tuae cooperationis. Tuum ergo est, conditionem implere, ut absolute obtineas. At hic est infirmitas tua.

3. *Et confestim mundata est lepra..... Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris* (Ibid.). — *Praecipitur*, inquit S. Ambros. (l. 5 in Luc.), *nemini dicere, ut doceret non vulganda nostra beneficia.* S. Jo. Chrysost. (Hom. 69) ait: *Docens quam esset alienus ab aura gloriae, et jactantia pompae.* Disce hoc et tu: noli aucupari inanes ventos: noli teipsum praedicare, sed Jesum, a quo habes si quid in te est, quod laudem meretur.

SABB. HEBDOM. XII POST PENT.

Med. 292. — Sanatur servus Centurionis.

1. *Accessit ad eum Centurio, rogans eum..... Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur* (Matth. 8). — Dominus orans pro servo, confundit eos, quibus est potior cura

canis, quam servi. Hoc tu indignum reputas: sed aeque indignum est, quod potior sit tibi cura corporis, quam animae. Nonne haec jacet paralytica? Scis, quid agendum: sed, ut agas, non est nervus generosae voluntatis. Hujus defectu quam parum es progressus! Nec plus spera, nisi emendes.

2. *Ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum* (Ibid.). — Oh prompta Jesu mei benignitas! Vide infirmitatem meam, Domine: dic etiam mihi: *Ego veniam, et curabo eum.* Discam proximi mei necessitatibus ac morbis prompte advolare. Respondens Centurio, ait: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (Ib.). Agnosce viri humilitatem: concipe vilem de te ipso opinionem: non aegre feres contemni. Quod quisque de se sincere judicat, ab aliis judicare et dici non horret. Quid dicis quando Jesus sub tectum animae tuae venit? Sed quamdiu durat sensus ille humilitatis? Oh turpis, in toties repetito proposito, inconstantia.

3. *Jesus miratus est, et sequentibus se dixit... Non inveni tantam fidem in Israël* (Ibid.). — Miratur fidem gentilis hominis: praefert eam Judaeis cognitione Dei illuminatis. Addit multos venturos ab oriente et occidente ex gentibus ad regnum Dei, et Filios regni ejiciendos. Quot sunt ex iis ipsis, quos tu contemnis, qui te virtute superant? Amore et aestimatione tui deciperis. Time, qui per vocationem religiosam destinatus es filius regni, ne excidas, et alius subintret. *Vade, et sicut credidisti, fiet tibi. Et sanatus est puer in illa hora* (Ibid.). Vide, quid possit fiducia cum humilitate apud Deum.

—

DOMINICA XIII POST PENT.

Med. 293. — Filius viduae suscitatur.

1. *Cum... appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suae, et haec vidua erat* (Luc. 7). — Filius unicus, aetate et opibus floribus inopinato moritur. Quis vitae fidat? Hoc adolescentibus cogitandum saepe. Plures moriuntur juvenes, quam senes; sed saepe imparati; quia spes vitae, quae lactat, decipit. Quid si haec esset hora migrandi? Hoc age, quod ageres, si certo id scires. Intervenit Jesu, non casu, sed destinato. Oh bonitas! Quoties et tecum id egit? Ostendit eum *in porta civitatis*, ubi olim judicia celebrabantur. Mors porta aeternitatis est. Hic judicaberis. Oh Jesu hic adsis.

2. *Dominus misericordia motus, dixit illi* (matri) : *Noli flere* (Ibid.). — Habes anima mea, Deum, cui proprium est misereri. In hoc figenda spes: ab hoc solo petendum solatium. *Noli flere.* Quae defles perdita, amasti possessa, quid amas, quae pereunt? Flebis olim amasse. Id ama, quod est aeternum, quod perdere non potes, nisi sciens rejicias.

3. *Et accessit et tetigit loculum, et ait: Adolescens, tibi dico, surge* (Ibid.). — Haec in animam tuam per peccatum mortuam agit Deus. *Accedit* per gratiam praevenientem. Unde enim alias de tuo resurgeres? *Tangit* te vel timore, vel spe futurorum. Inclamat per tot inspirationes: *Surge.* Ecce, opus Dei est, quod resurgas. Jam autem, quid tuum, adverte. 1. *Hi autem, qui portabant, steterunt* (Ibid.). Animam tuam portabant indomitae

passiones: jam stare illas oportet et reprimi. 2. *Resedit, qui erat mortuus* (Ibid.): debes te erigere ad aeterna. 3. *Et coepit loqui* cum Christo, gratias agere, laudare, etc.

FER. II HEBDOM. XIII POST PENT.

Med. 294. — Joannis Baptistae ad Christum legatio.

1. *Joannis... mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* (Matth. 11). — 1. Unde mittit? Ex carcere. Ergo nec in periculo capitis omittit officium sibi demandatum. Quae molestia tam levis, quae cogitationes tuas non avocet a Deo? 2. Non sui causa quaerit, qui Christum jam digito demonstraverat, sed discipulorum, ut eis ansam praebeat illi adhaerendi. En zelus animarum et dexteritas lucrandi. 3. Quaere etiam ex te, an Jesum, an alium expectes? An spem tuam ex integro in eo ponas, an in creaturis? etc.

2. *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis* (Ibid.). — Quid hoc ad quaestionem? Seipsum esse, non verborum jactantia, sed rerum exhibitione probat. Eo ipso enim tempore, quo aderant Joannis discipuli, curabat caecos, claudos, leprosos, surdos; excitabat mortuos et pauperibus praedicabat. His factis respondet. Profiteris te imitari Christum? Operibus hoc probandum est, non nudis verbis asserendum. *Qui interrogabit opera vestra* (Sap. 6), non pascetur verbis. Cura, ut opera vocationi respondeant.

3. *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me* (Ib.). — Hoc adjecit, ut Joannes ansam sumeret praemuniendi discipulos et de sua eos passione instruendi, ne eo tempore scandalizentur ejus humi-

litate, opprobriis, morte. Sed etiam tui causa dicitur, ne, qui imitator vis esse Jesu, pudeat te ejus humilitatis, contemptus, patientiae, etc. Vere enim scandalizaris et offenderis his, qui post tantum exemplum haec fugis.

FER. III HEBDOM. XIII POST PENT.

Med 295. — Joannes a Christo laudatur.

1. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?..... Hominem mollibus vestitum? etc.* (Matth. 11). — Ex occasione quaestionis factae, poterant existimare turbae Joannem, qui Christum Messiam praedicaverat, jam mutasse sententiam aut saltem dubitare. Laudat ergo eum a constantia sententiae, quod non sit *arundo vento* huc illuc *agitata;* et a dura educatione, quae multum conducit ad animi firmitatem. Oppone hic tuam inconstantiam, surgis: incipis domare passiones, desistis: proponis recte agenda, sed cum agendum omittis; recedis a creaturis, mox iterum accedis. Dole, emenda.

2. *Etiam dico vobis, et plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (Ibid.). — Plus *quam propheta,* quia Christum non praedixit, sed monstravit: *angelus,* ab eodem officio praecursoris rite administrato. Ita fidelem servum Christus non laudat, nisi ab officio: et hoc est vere laudari. Non qui officium majus gerit, ille laudabilior est, sed qui suum exactius administrat. Quid ad te de aliis? Tu tuum, quod obedientia imponit, adimple. Hocne curas? Vide, quo deficias; et quantum vis a Deo laudari, tantum fidelis esto.

3. *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista* (Ibid.). — Eximia Joannis laus! Sed qua dignum se praestitit. Non potest Deus laudare, nisi quod dignum est laude. At, ut dignus sis, Deus facit quidem, sed non sine te. Placeret tibi, si laudares a Christo? Obtinere potes, si Joannem animi constantia, asperitate vitae, seu mortificatione tui, zelo Christum glorificandi, angelicis moribus imiteris.

FER. IV HEBDOMADAE XIII POST PENT.

Med. 296. — Magdalenae conversio.

1. *Mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod* (Jesus) *accubuisset in domo pharisaei, attulit alabastrum* (Luc. 7). — Magdalena ob vitae licentiam erat urbis scandalum. Deus, qui non vult mortem peccatoris, movit illam interne. Ita bonitas illam amat, etiam cum offenditur. Ut cognovit fide Deum, illustratione se ipsam et sua peccata; prudentia occasionem opportunam: statim sine dilatione accurrit; sine respectu domus alienae, hominum praesentium, convivii. Quanta te docet! Exercere saepius fidem: cognoscere teipsum; arripere primam boni occasionem; capere generosas resolutiones; non respicere homines, cum de salute tua agitur. Oh si haec observasses hactenus!

2. *Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis coepit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, etc.* (Ibid.). — *Retro.* Ex humili confusione declinat oculos Christi; at convivarum non pensi habet. At tu, si confunderis, oculus hominum declinas; haec est tua superbia. Quae ex amore

et dolore, lacrymarum copia, ut potuerit Christi pedes lavare? Quam modicus ergo tuus amor et dolor, qui nec guttam ebullit! At vide, ut eum accendas motivo tantae bonitatis Dei.

3. *Et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat* (Ibid.). — Omnia peccatorum instrumenta coëgit in obsequium. Oh si et tu, *quod tibi turpiter exhibuisti, jam Deo laudabiliter offeras: et quot in te habuisti oblectamenta, tot de te invenias holocausta!* (S. Gregor. hom. 33). At Christus interim mundabat Magdalenae animam; extinguebat amorem creaturarum, etc. In hoc tu mille lacrymas funde, ut tandem tui et rerum creatarum amor extinguatur.

FER. V HEBD. XIII POST PENT.

Med. 297. — Christus defendit Magdalenam.

1. *Pharisaeus..., ait intra se, dicens: Hic, si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier, quae tangit eum: quia peccatrix est* (Luc. 7). — Uno judicio quot errores committit? 1. Christum non esse prophetam. 2. Christum ignorare statum Magdalenae. 3. Magdalenam jam contritam, esse adhuc peccatricem. 4. Christum debuisse hanc mulierem repellere. 5. Immundum fieri justum, si tangatur a peccatore. Errat, qui timere alium judicat; et quam graviter! Tu teipsum ad censuram revoca. De alio, si Christum in ejus persona intueaeris, meliora senties.

2. *Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, haec autem, etc.* (Ibid.). — Sub judicium pharisaei venerant et Christus, et Magdalena: hujus patroci-

nium suscipit, de se tacet: sed et Magdalena tacet. Sile, si cujuspiam murmure tangeris; Deus pro te loquetur: quia ipsa veritas est, non ita, ut homines. Videt, quod es, non quod alter judicat. Hujus judicium time, non hominum.

3. *Remittuntur tibi peccata tua* (Ibid.). — Quid senserit ad haec verba Magdalena: Oh solatium! Sed hoc a dilectione pendet *Quoniam dilexit multum* (Ibid.). Oh si id et ego audire merear! Mererer utique, si diligerem multum. Nota: non parum, *sed multum* diligendus est Deum, saltem appretiative, ut creaturis omnibus praeferatur. Itane amas? Pondera, quanta tibi tui, quanta Dei cura; quis in res creatas, quis in Deum affectus? non spera remissionem, nisi dederis dilectionem.

FER. VI HEBDOM. XIII POST PENT.

Med. 298. — Ejicitur daemonium caecum et mutum.

1. *Oblatus est ei daemonium habens, caecus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret: et stupebant omnes turbae* (Matth. 12). — Astutus daemon eos occupat sensus, quibus est via ad fidem *(fides ex auditu)*, et ad cognitionem Dei *(invisibilia...* ejus *a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, Rom. 1). Ubi ergo via ad cognitionem Dei erepta, quae boni spes superest? Ergo cave, ne hos sensus tibi daemon occupet. Audi verbum, quo erudiaris; vide in creatis increatum Deum. Benignitatem sanantis expende, quod non rogatus praestat: quid faciet tibi, si ardenter roges? Scit murmuraturos pharisaeos: quid tum? Si attendas hominum sermonibus, numquam serio Deo servies.

2. *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia* (Luc. 11). — Invidia semper de optimo venenum sugit. Liberatum a daemone negare non poterant; ergo id occulto pacto Christi cum daemone tribuunt. Si Christo tam gravia imputantur, quid miraris leviora tibi affingi? Esne Deo tuo sanctior? Id potius attende, quid Christus tulerit. Non ulciscitur, cum posset: non commovetur. Confutat cum modestia calumniam: non esse daemonum se invicem ejicere. Itane tu calumniis petitus, non sentis? Mansuete toleras? Solius intuitu Dei refutas, an magis, ne tuus honor periclitetur?

3. *Si in digito Dei ejicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* (Ibid.). — Ex eo, quod Christus non ejiciat daemonia in Beelzebub, infert quod ejiciat in virtute Dei: alia enim virtute non possunt. Vide, quam praecludendus omnis diabolo in animam ingressus, cum nulla vi tua eum possis exturbare. Invigila ergo portis sensuum: quia per hos plerumque accessum habet. Nihil concede sensui, quod recta ratio non dictet concedendum.

SABB. HEBDOM. XIII POST PENT.

Medit. 299. — Signum Jonae prophetae.

1. *Magister, volumus a te signum videre* (Matth. 12). — Quae impudentia! Viderunt mortuos excitatos, morbos sanatos, caecos et surdos restitutos; et signa quaerunt, non ut credant, sed ut tentent. Idem tu cum Deo agis. Petis sola ejus virtute fieri, quod in hac providentia facere non potest. Intrare regnum Dei sine violentia; liberari a tentatione

sine tua resistentia: acquirere virtutem aliquam sine mediis a te adhibendis. Ita vero Deum tentas: quae tua est impudentia?

2. *Signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae* (Ibid.). — Id est signum suae mortis: ut scias, sicut *oportuit pati Christum, et ita* per violentiam *intrare in* regnum suum (Luc. 24); ita tibi non obventurum, nisi vim inferas. Ergo magnanimitate et generosa resolutione est opus. Et in hoc miser deficis. Vide quam tepidae sint tuae resolutiones: et quid mirum, si nullus est effectus?

3. *Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam* (Ibid.), quia Ninivitae, utut barbari et gentiles, praedicante Jona, poenitentiam egerunt. Tibi dici existima: saeculares surgent et te confundent, qui gratiam Dei non in vanum acceperunt, sed sua cooperatione efficacem reddiderunt. Et quid tu agis, socors religiose, signa petis? Non est signum gratia vocationis? Non sunt signa tot inspirationes Dei, tot exempla, tot monitiones? etc.

DOMINICA XIV POST PENT.

Med. 300. — Qui sint mater et fratres Jesu.

1. *Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quaerentes te* (Matth. 12). — S. Hieronymus hic ait, hoc Christo nuntiatum ad insidias tendendas *utrum spirituali operi carnem et sanguinem praeferat.* At Christus, quasi indignans, respondit: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei?*

(Ibid.). Quasi diceret: cum Dei negotium agitur, nihil mihi est cum matre. Exuisti et tu omnem carnis affectum? Nihil sanguini concedis in praejudicium Dei? Cave illud audias: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* (Matth. 10).

2. *Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea et fratres mei* (Ibid.). — *Qui Christi frater, et soror est credendo, mater efficitur praedicando, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur* (S. Gregor. Hom. 3 in Evang.). Ecce virorum apostolicorum dignitatem, qui spirituali modo Christi matres fiunt praedicando, convertendo accendendo ad Dei amorem alios. Accende in te apostolicum spiritum, ut hac dignitate potiaris.

3. *Quicumque... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est* (Ibid.). — Vult Christus dicere spiritualem sibi cognationem intercedere cum iis qui faciunt voluntatem Patris sui, *Una* enim, ait Chrys. (Hom. 45 in Matth.), *sola et vera necessitudo cum Christo est, ut voluntatem Dei facias:* ad quam sequitur amor tenerior. Vides pretium obedientiae. Superior, vicarius Dei est, a quo regitur: si quid imponit, ne te subtrahas. Hoc unum te moveat: amaberis a Christo.

FER. II HEBDOM. XIV POST PENT.

Med. 301. — Parabola seminantis et seminati.

1. *Exiit, qui seminat* (Luc. 8). — 1. Seminator Deus est, qui *exiit* bonitate se communicando creaturis, potentia producendo, providentia gubernando.

Mirare, et ama bonitatem, subde te potentiae, committe providentiae. 2. Seminator Christus est, qui exiit *a Patre, et venit in mundum* (Jo. 16), ex amore nostri incarnatus. Agnosce amore, et redde. 3. Est quisque vir apostolicus, qui exit ad proximi curandam salutem. Huic zelo et solida virtute opus est: ne, dum quaerit alienam salutem, perdat suam, Vide quantopere in tua vocatione solidas virtutes tibi debeas comparare: quae desint.

2. *Seminare semen suum* (Ibid.). — Semen sunt 1. Creaturae, ager est mundus. In hoc et tu positus es. Memento creatoris et gubernatoris tui. 2. Sanguis ac merita Christi, et inde profluentes gratiae; terra est anima, tam sterilis, quam foecunda, quia omnibus dantur. Admiranda Dei bonitas! Miseranda tot animarum sterilitas! Est doctrina evangelica, inspirationes internae: ager est intellectus, aeque etiam sterilis, qui praeter cognitionem non ulterius dirigit, ac foecundus, qui voluntatem inclinat. Quanta cura excolendus est intellectus supernaturalibus principiis! Quam admirandae inspirationes divinae!

3. *Dum seminat aliud cecidit secus viam* (Ibid.). — Triplicis generis inutilis est terra. Secus viam, est anima ad creaturas effusa, intra se non collecta, aperta obviis quibusque cogitationibus mundi, tamquam viatoribus, quae conculcant bonas inspirationes. Unde nullus gustus, una orationis hora integer annus videtur, cujus finem vix expectas, ut revertaris ad tua solatia. Oh misera anima, per quam omnia meant, propter Deum! *Sepi ergo viam tuam* horaria, aut etiam frequentiore recollectione. Urge interdiu matutina proposita, etc.

—

Med. 302. — Continuatio ejusdem parabolae.

1. *Aliud cecidit supra petram; et natum aruit, quia non habebat humorem* (Luc. 8). — Petrosa terra est anima jam indurata pravis habitibus, assueta vivere secundum sensum: cui ideo non est, nisi modicus devotionis succus, ac inde mille propositа, et agnitae veritates non unam agunt radicem; quovis affectu amoris, timoris, humani respectus, etc. exsiccantur. Talis semper incipit, et incipiendo desinit. Si talis es, quid facies, cum venerit paterfamilias, et ab agro suo fructum requiret? Conclude, quam studere debeas pravis habitibus edomandis.

2. *Aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud* (Ibid.). — Spinosa terra est anima negotiis immersa et curis inutilibus obruta; cui cura sui Dei et aeternitatis est postrema; quae agnoscit veritates supernaturales, sed ob alias curas, v. g. studiorum aut officii, sibi tempus non assumit eas maturandi. Infelix anima, in qua suffocatur spiritus Dei! Cui studia, vel nimius cum proximo citra necessitatem egendi affectus, tempora Deo danda suffuratur! Intelligis, quam omnes alias curas moderari debeas?

3. *Aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum* (Ib.). — Addit Matth. (c. 13): *Aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Haec est anima bona et optima, opposita tribus prioribus; quia *audit verbum Dei* cum gustu: quia *intelligit* illud expendendo et dirigendo ad praxim: *fructum affert* in patientia, sive con-

stantia superando difficultates. Talis esse debes, terra optima, quam nulla praetereat particula boni, qua totis viribus nitaris ad virtutem, ut Deo placeas; nec contentus sis fructum dare trigesimum, sed connitere ad centesimum, hoc est ad *majorem*, et semper *majorem Dei gloriam*.

FER. IV HEBDOMAD. XIV POST PENT.

Med. 303. — Parabola zizaniorum.

1. *Seminavit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania* (Matth. 13). — Quae seminat Deus, etiam in terra optima corrumpere nititur diabolus, mundus et caro, idque tam artificiose, ut dum sunt in herba, sive in principio, non distinguas facile granum bonum a zizaniis ob amorem proprium, qui falsis veri colorem inducit. Expende, si quae habes bona, quantis sunt mixta malis, respectibus humanis, intentione minus pura, amore proprio? Et hoc fit dum *dormiunt homines:* quando non serio sibi ipsis invigilant. Quam ergo in omnem partem vigilandum?

2. *Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accendentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit* (Ib.). — Ad te dici existima: videbaris bonum semen in herba tirocinii, jam apparent in te zizania, et cadit spes illa, quae de te habebatur. Quo animo hoc exciperes? Ab inimico homine: 1. a teipso qui nimis amori proprio indulsisti; 2. a sociis. Adjunxisti te iis, in quibus plus levi-

tatis, quam spiritus; hinc eorum mores contraxisti, etc.

3. *Servi autem dixerunt eis: Vis imus et colligimus ea? Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul... et triticum* (Ib.). — Vide patientiam Dei et superiorum cum tuis defectibus. Tolerant subinde eos, ne omnino eradiceris, cum spe tamen emendationis. Haec si non sequatur, quam timere debes, ne *in tempore messis,* seu mortis, dicat Deus: *Colligite primum zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum* (Ib.) igne purgatorii. Non blandiaris tibi, esse modicum, quod igni detur: forte tunc videbis immanes fasces lolii, parum tritici. Si hoc sancte timueris, tunc firmius sperabis.

FER. V HEBDOMAD. XIV POST PENT.

Med. 304. — Parabola grani sinapis.

1. *Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo, seminavit in agro suo; quod minimum... est omnibus seminibus* (Matth. 13). — Granum hoc sunt evangelicae veritates. Quam viles mundo et abjectae! Beatos esse pauperes, et qui persecutionem patiuntur: divitias esse spinas: jugum Christi esse suave, etc. Sed seminandae sunt in animam per vivam earum apprehensionem et ruminationem. Dic mihi: Quare *desolatione desolata est omnis terra* (Jer. 12) animae tuae? Quia non recogitas corde. Noli eas aestimare secundum carnem, ut hactenus aestimasti.

2. *Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor* (Ib.). — Hae veritates, si eas in bono corde semines, et intelligendi studeas,

crescent in arborem ferentem fructus dulces gutturi Jesu, fructus honoris et honestatis; dum e contrario falsa mundi et carnis principia ferunt fructus turpitudinis. Attende, quam hoc verum sit, et tanto magis penetra verum et genuinum sensum dogmatum Christi, cum desiderio practicandi.

3. *Ita ut volucres coeli veniant, et habitent in ramis ejus* (Ibid.). — Volucres intellige sanctos affectus unionis cum Deo, qui, cum bene intellecta est Christi doctrina, in animo oriri solent. Hinc enim est studium placendi Deo, omnem ejus voluntatem implendi, non minus in arduis et adversis, quam in facilibus et prosperis. Hinc collige, cur tu tam generosis actibus careas.

FER. VI HEBDOM. XIV POST PENT.

Med. 305. — Parabola thesauri, margaritae et sagenae.

1. *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito* (Matth. 13). — Hic est religiosa perfectio ob copiam gratiarum; sed absconditus ab oculis mundi et imperfectorum, qui non aestimant. *Qui invenit... abscondit* (Ib.). Non quaeris, ut invenias? *Prae gaudio illius vadit* (Ib.). Non habes tuum gaudium in rebus ad perfectionem spectantibus; sed adhuc in vanitatibus, in oblectamentis sensuum? *Vendit universa quae habet, et emit agrum illum* (Ib.). Non relinquis omnia? Adhuc tibi per amorem proprium, adhuc creaturis, adhaeres? Sed quid tandem reperies in manibus tuis?

2. *Simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas* (Ib.). — Negotiator es cui dixit Deus: *Negotiamini dum venio* (Luc. 19). Sed qualis? Scruta mundi quaeris?

An margaritas coeli? Margarita optima, charitas Dei est, seu unio cum Deo. Hanc ut obtineas, quid agis? Ille *abiit, et vendidit omnia quae habuit* (Matth. 13). Abire te oportet a teipso, a rebus creatis abstrahendus affectus, qui obstat perfecto amori. Quam parum id hactenus fecisti! Ideo friget cor tuum. Oh si saltem imposterum id praestes!

3. *Simile est regnum coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti* (Ibid.). — *Sagena* est christiana quaevis et religiosa congregatio, qua a Deo boni et mali seu tepidi religiosi in mari hujus mundi capiuntur. Es in sagena, noli tibi blandiri: non enim ideo bonus, aut tutus; sed tuo conatu, aut fervore fieri debes. Age id mature, quia sagena sensim ad litus aeternitatis trahitur. Ibi eligentur boni *in vasa*, mali *autem foras* mittentur. Redde te dignum meliori sorte.

SABB. HEBDOM. XIV POST PENT.

Med. 306. — Christus male accipitur in sua patria.

1. *Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum* (Matth. 13). — De Nazareth sermo est, ubi vixit Christus usque ad trigesimum aetatis annum. Noluit hic auspicari evangelii praedicationem, quia illico contemptus fuisset, si a fabrili officina ad cathedram prosiliisset. Voluit ergo comparata per alias civitates fama, eorum animos ad se desiderandum et acceptandum disponere. Quid ergo agis? Removenda sunt impedimenta, et ponenda merita.

2. *Ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic sapientia haec et virtutes? Nonne hic est fabri*

filius?... Et scandalizabantur in eo (Ibid.). — Gaudere eos decebat de concive suo tantae sapientiae et potentiae, tam ab aliis honorato, ut passim eum sequerentur: et ecce indignantur. Quantas gratias Nazaretho contulit? Hic incarnatus est, hic habitavit, hanc exemplo suo erudivit. Et jam contemnitur, quia humilis conditionis est, quia fabri filius. Ita, mi Jesu, te pejus tractant qui plus debent. Oh ingrati! Recogita gratias, quas accepisti. Sed quomodo Deum tuum tractasti? Si non verbis, certe factis sprevisti ejus doctrinam, dum eam sequi noluisti.

3. *Et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis... ut praecipitarent eum* (Luc. 4). — Quia noluit ibi miracula edere, uti fecerat in Capharnaum. Et hoc ex amore in patriam, quia sciebat nec miraculis crediturос, ne ipsa miracula essent illis majoris poenae occasio. In te quot signa facit? Quot gratias exhibet? Quam curandum est, ne sis tibi causa majoris poenae! Ingrate! Toties eum ejicis extra civitatem, quoties gratiam non acceptas. Toties eum vis praecipitare, quoties imaginem ejus, teipsum, inquam, in malum praecipitas.

DOMINICA XV POST PENT.

Med. 307. — Mittuntur et instruuntur apostoli ad praedicandum.

1. *Euntes autem praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum* (Matth. 10). — Haec est merita, de qua cum proximo est agendum.

Ubique regnum Dei, et media, quae ad illud conducunt, inspira. Recide alias inutiles conversationes, quae spiritum dissipant, quibus conscientiam tuam gravas, tempus inutiliter absumis, proximum non aedificas. Ut vero haec cum proximo agas, assuesce eadem tecum agere, tibi ipsi regnum Dei et media inculca, in meditationibus, in domestica conversatione.

2. *Infirmos curate* (Ibid.), solatio spirituali: *mortuos* Deo per peccatum *suscitate* vel adhortatione, vel absolutione; *leprosos*, qui alios seu doctrina seu exemplo inficiunt *mundate*, inducendo ad poenitentiam: *daemones*, pravas consuetudines, publica vitia *ejicite* et curate, ut nemo impune peccet. *Gratis accepistis*, *gratis date* non quaerendo vestra commoda. Expende, an ita cum proximo egeris? An non hoc vocatio tua apostolica a te exigat?

3. *Nihil tuleritis in via, neque virgam* (Luc. 9), quae serviat ad vos, contra violentiam, defendendos: *neque peram*, qua cibaria deferatis: *neque panem*, etiam ad necessitatem; *neque pecuniam*, *neque duas tunicas* ad splendorem et pompam. Ita suos amicissimos Deus tractat, quos vult sibi intime conjunctos, ideo omnino a cura et affectu terrenorum divulsos. Non eris ergo conjunctus Deo, nisi sis abjunctus a creaturis. Oh miser! Quid iis adhaeres, quae te dilaniant?

—

FER. II HEBDOM. XV POST PENT.

Med. 308. — Praedicit Apostolis persecutiones quas passuri sunt.

1. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum* (Matth. 10). — Quod ovi inter lupos, hoc vobis eveniet. Magno et intrepido animo ad praedicandum evangelium est opus. *Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos... Et eritis odio omnibus* hominibus *propter nomen meum* (Ib.). Quis tibi est animus ad ista? Times? Erige animum; cogita illud: *Ego mitto vos. Ego*, qui te victorem coronabo, etc.

2. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum* (Ib.). — Quod te in omni persecutione animare potest, est exemplum magistri et Domini tui Jesu. Quas non ille innocentissimus passus est persecutiones! Tune melior eris? Cogita hoc identidem, ubi quid tolerandum occurrit: Dominus meus est Jesus, ego servus. Quae gloria mihi, si sors mea sit eadem!

3. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (Ibid.). — Concludit pro gloria Dei, neque mortem timendam: haec enim animae nocere non potest. Esne tam generoso animo? Oh quam felix, si vitam in ministerio gloriae Dei ponas! Laudas alios, quibus hoc obtigit: cur ipse non desideras? At non adest tyrannus. Sis ipse interim tuus et occide in te, quod perniciose vivit, nempe concupiscentias tuas.

FER. III HEBDOM. XV POST PENT.

Med. 309. — Monet Apostolos, ut affectu cognationis non impediantur.

1. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium* (Matth. 10). — Pax quaedam bona est, quam ascensurus in coelum reliquit apostolis: quaedam mala est maxime apostolicis viris, quae innititur affectui cognationis. Hanc qui vult, Deo bellum indicit, qui vult eam ruptam. Cogita, quantum impediat hic affectus functiones apostolicas. Quam aegre discedis a tuis? Quam ad eos absens anhelas? Quam facile eorum gratia transgrederis regulas? Quam affligeris eorum afflictione? Quam leviter exultas eorum prosperitate? etc.

2. *Veni enim separare hominem adversum patrem suum* (Ibid.). — Gladius, qui separat hominem a patre, est lex amandi Deum super omnia. Hanc si observas, jam aliud nihil est cui affectu adhaereas, quia totus amor huic impenditur. Nondum videris admovisse gladium passioni. Caro et sanguis tibi multum persuadent. Hoc primum praestandum erat, cum religionem suscepisti et nec dum id agis. Ergo ad principia revolveris. Saltem jam sic incipe.

3. *Inimici hominis domestici ejus* (Ibid.). — Oh quam id verum est! Quid tibi magis domesticum, quam sanguine juncti? Sed nonne sunt hostes tui qui inducunt, ut affectum, quem Deo debes, aut ipsis impendas aut cum ipsis partiaris? Sed quo jure eum Deo subripis? Quis tibi magis domesticus quam tu ipse? Sed quis tibi major ho-

stis? Expende, quanta a teipso vulnera acceperis, quam palmaria! Quod faceres cum hoste quem semel in tuam potestatem redigeres, hoc tecum age.

FER. IV HEBDOM. XV POST PENT.

Med. 310. — De iis quos Christus pronuntiat non esse dignos se.

1. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* (Matth. 10). — Quod talis sis, non fateberis. Faciam, ut deprehendas. Dic, amas Deum? Amo, inquis. Super omnia? Affirmas. Debes ergo, ut servias Deo, patrem aut amicum deserere; debes frequentibus eorum visitationibus abstinere, quae spiritum dissipant. Non possum, inquis, tam inurbanus esse. Vides, quid magis ames? Et non times horrendum illud fulmen: Non es dignus Deo?

2. *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (Ibid.). — Similitudo morum conciliatrix est amorum. Sequatur ergo Christi mores, qui vult dignus esse amari. Universa Christi vita est crux perpetua. Nisi crucem tollis, non sequeris, non assimilaris, non amaris. Vides ergo crucis et mortificationis, non tantum utilitatem, sed absolutam necessitatem? Oh delicate! Quam terreris sola crucis cogitatione! Age nunc, si Christi esse vis, crucifige *carnem* tuam *cum vitiis et concupiscentiis* suis (Galat. 5).

3. *Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam* (Ibid.). — Unicus ergo animam salvandi, seu vitam obtinendi modus est, vitam perdere propter Deum. Perdis eam: 1. Si ita mor-

tificationem Jesu in carne tua circumferas, ut vita Jesu manifestetur in te. Durum est hoc tibi, sed necessarium. 2. Perdis eam, si per amorem totus transeas in Jesum, et dicas: *Vivo*... ego *jam non ego; vivit vero in me Christus* (Galat. 2). Sed oh quam feliciter eum invenies, quia teipsum invenies in Christo!

FER. V HEBDOM. XV POST PENT.

Med. 311. — Jugum Christi suave suscipiendum.

1. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos* (Matth. 11). — Quam benignus Deus, qui invitat! Quam bonus, qui nos exonerat pondere peccatorum, quo usque ad infernum deprimimur! Quam amabilis, qui nos reficit, cum in via deficimus! Sed quae tandem est refectio? *Tollite jugum meum.* Ergo ita, mi Jesu, tuos reficis, jugum imponendo? Omnino ita. Quia nullum potest esse solidum et verum in vita solatium, nisi in cruce Jesu, in qua sola nos *gloriari oportet.* Vide miser, quam erres, qui crucem fugis, et solatia aliunde mendicas, sed inania.

2. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (Ibid.). — In magistrum tuum se Christus offert: quem meliorem optas? Claude mundo pseudomagistro aures, et Jesum audi. Docet te invenire requiem animae lassatae in via iniquitatis, per mansuetudinem et humilitatem; quarum ista te Deo, et homini propter Deum perfecte subjicis; illa injurias ultra sensum non admittis. Hinc collige, cur jugum Christi tibi grave sit, quia illud non

portas cum humilitate et mansuetudine ; cur pacem animi aliquando amittas, etc.

3. *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (Ibid.). — Jugum vocat vel legem evangelicam, vel adversitates et persecutiones, vel difficultatem, quae sentitur in lucta spiritus adversus carnem. Vocat *suum*, quia quantumcumque sit, illud nobiscum subit gratia sua nos adjuvando. *Conjungere ergo Deo et sustine* (Eccli. 2). Nec querere esse grave, cujus potiorem partem Deus ipse supportat. Generosa hic resolutione est opus.

FER. VI HEBDOM. XV POST PENT.

Med. 312. — Joannes Baptista in carcere occiditur.

1. *Herodes natalis sui coenam fecit principibus... Cumque introisset filia ipsius Herodiadis et saltasset... juravit illi : Quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei* (Marc. 6). — Quanti aestimat levem choream insanus, pro qua dimidium regni pollicetur! At major est insania tui, qui pro una voluptatula renuntiasti regno coelorum, etc.

2. *At illa praemonita a matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistae* (Matth. 14). — Consilium petit ab hoste Joannis: quid mirum, si mors ejus suggeratur? Pejus tu agis, si rerum agendarum consilium petas a mundo, a carne, a tuis passionibus. Quoties tibi suggesserunt caput, non Joannis, sed Christi ? Quia quoties peccas, quantum est in te, Christum occidis; quia ponis eandem causam, ob quam occisus est. Stulte, rationem consule in rebus agendis, non appetitum.

3. *Et contristatus est rex* (Marc. 6), quia

Joannem aestimabat et suam insaniam advertit. Noli praeceps esse in decernendo. Age omnia praemeditato, post acta non poenitebit te. *Propter jusjurandum et propter... discumbentes, noluit eam contristare* (Ib.). Timet violare temerarium et scelestum juramentum, non timet innocentis caedem. Non vult meretriculam contristare et non timet Deum offendere. Nonne tu ita agis cum appetitu tuo? *Et decollavit eum*, quem sciebat sanctum et innocentem. Ad quae scelera deducit vel una infrenis passio! Et tot tu habes, quas nondum domas?

SABB. HEBDOM. XV POST PENT.

Med. 313. — Quinque panibus et duobus piscículis satiantur quinque millia hominum.

1. *Accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus et hora jam praeteriit; dimitte turbas, ut euntes... emant sibi escas* (Matth. 14). — Quam constans et fervens turba in audiendo Christum! Quam tu languidus et incurius ad ejus inspirationes! Discipulorum cura diffidentiam ostendit. Orant dimitti turbas, ut emant cibaria: ajunt, ducentorum denariorum panes non sufficere, etc. Tu contra omnem tuam fiduciam in Deum conjice, maxime in iis quibus humanis viribus mederi non potes, et dic toto affectu: *Tibi derelictus est pauper* (Psal. 10).

2. *Et cum jussisset turbam discumbere super foenum* (Ibid.). — Quos pascit gratia vult in humili sui cognitione quiescere. *Accepit... panes... et... distribuit discumbentibus... quantum volebant* (Jo. 6). In manibus Christi multiplicantur

panes. Utcumque parum ei dederis sincero animo, cum foenore recipies. Si nihil accipis, non est illiberalitas Domini, sed tua, qui nihil ei in manus consignas. Priva te amore illius minima voluptate; ille animo tuo incomparabile reddet.

3. *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit... in montem* (Jo. 6). — Habes in illa turba gratum animum, quae per miraculum, accepto beneficio, et *magnum prophetam* proclamavit, et regem creare voluit. Quam ingratus tu es, qui ipsis Dei gratiis ad ejus offensam abuteris! Habes in Christo honoris fugam. Ad crucem currit, quam *desiderio desideravit et immolatus est quia ipse voluit:* ab honoribus fugit. At tu contrarium facis. Non te pudet?

DOMINICA XVI POST PENTEC.

Med. 314. — Christus super aquas ambulans.

1. *Navicula... in medio mari jactabatur fluctibus... Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare* (Matth. 14). — Tota nocte luctati sunt: *Erat enim contrarius ventus.* Vidit Dominus ex monte, et subvenire distulit: *Erudiens nos,* ait Chrysost. (Hom. 51 in Matth.), non cito solutionem quaerere advenientium laborum ad quos eos disponebat, sed expectare tempus, quod ipse disposuit, et interim generose tempestati resistere. Idem te in omni tempestate adversitatum et passionum tuarum docet Jesus. Quid agis inter ventos

saluti contrarios? Quomodo decertas? Non ponis remum? Non te das arbitrio tuarum affectionum?

2. *Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est* (Ib.). — Illusionem putant realem Christi praesentiam, quia ambulat super undas. Quoties tibi videtur phantasma Dei inspiratio, quae fertur super mare tuorum affectuum; quae dictat mare mundi calcandum generoso despectu? Et ideo quia illusionem aestimas, pateris te potius mundi fluctibus involvi. Vide quam in multis tibi imaginatio sit corrigenda. Id enim quod res tibi difficiles reddit, non tam sunt res ipsae quam imaginatio.

3. *Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere* (Ibid.). — In hoc discrimen adduxerat eos Jesus: quia, ut ait Marc. (c. 6), *coëgit eos ascendere in naviculam*, cum in terra tuti essent. Ideo eis etiam subsidio adest. In quidquid difficultatum per obedientiam ducaris, *habe fiduciam:* Deus est, qui tibi id imposuit per superiorem, quem regit. *Noli timere:* ipse te non deseret. Tu age, quod tuum est.

FER. II HEBDOM. XVI POST PENT.

Med. 315. — Petrus super aquas ambulans.

1. *Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas* (Matth. 14). — Amor hoc fuit non ferentis moram veniendi ad Christum. Petit juberi; credens obedientiam suppleturam, quod viribus humanis deest. Etiam *super aquas*, et per pericula confidens se jussu Domini tutum futurum. *At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret*

ad Jesum (Ib.). Vide, quam fervens, quam intrepidus ad jussum Domini. Si tanta tibi esset fiducia, quid non ageres per obedientiam?

2. *Videns vero ventum validum, timuit* (Ib.).— A magna fiducia ad diffidentiam delabitur. Ita mutamur repente, nisi conceptam mentem firmamus saepius. *Et cum coepisset mergi.* Non ventus fuit, qui discrimen poneret, sed timor ex diffidentia. Nihil unquam praestabis magnum, nisi singulari fiducia te erigas. Cum enim per te nihil possis, ei debes per fiduciam jungi, qui potest omnia. *Clamavit... Domine, salvum me fac* (Ibid.). Ipso statim principio titubationis non differ in tentatione ad Deum recurrere.

3. *Et continuo* (Ib.). — Nec Jesus differt auxilium. *Extendens manum suam*, prior quam Petrus, *apprehendit eum.* Vide benignitatem et potentiam Jesu; et in ea confide. *Et ait... Modicae fidei, quare dubitasti?* (Ibid.). Insinuat ex modica fide fuisse periculum non ex vento. Oh quoties tu arguendus es modicae fidei, cum ob aliquam difficultatem manus quodpiam detrectas! Ipse tibi, cum timor suboritur ad magna et ardua te resolvendi, illud ingere: modicae fidei, noli dubitare.

FER. III HEBDOM. XVI POST PENT.

Med. 316. — Accusantur discipuli de illotis manibus et defenduntur.

1. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?* (Matth. 15). — Pharisaei exterioris solum munditiei cultores, interioris incurii, taxant discipulos, quod cibum sumpturi non lavent manus. Et quodnam hoc est delictum? At illud est

grande, quod interius sitis pleni spurcitie. Noli esse pharisaeus, qui exteriora colas, interiora negligas. Quae sub oculos hominum cadunt, per se Deus non judicat, sed quae in animo latent. Ergo haec tibi potius cavenda sunt.

2. *Ipse... respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* (Ibid.). — Quae erat : causa offerendi Deo sacrificii posse negari parentibus alimenta. Corripit ergo eos, quod sub praetextu religionis infringant mandatum. Quid igitur tibi dicet, si quam infringis regulam, ut placeas **homini**, ut accomodes te genio aliorum? Non poteris te excusare ; quia nihil excogitare potes, quod Deo praeferre valeas.

3. *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (Ib.). — Ostendit, eos magis esse reos, quam discipulos; quia utut scrupulosi sint in lege, non ex corde et affectu Deo serviunt. Nonne etiam in te haec correptio procedit? Nonne magis ad oculum hominum servis, quam ut Deo placeas? Umbras virtutum colis et interim non tollis pravos affectus qui animam inquinant.

FER. IV HEBDOM. XVI POST PENT.

Med. 317. — Mulier chananaea, pro filia deprecatura, Christum accedit.

1. *Et ecce mulier chananaea* (Matth. 15), ubi audiit Christum advenire, statim *a finibus illis egressa*, oblatam occasionem arripit, docetque te gratiae occurrere, ne in vanum praetereat. *Clama-*

vit... Miserere mei, Domine, fili David, plena fide et spe suum dolorem exponit de filiae malo: *Filia mea male a daemonio vexatur* (Ib.). Nihil petit, exposuisse contenta. Credit, ut omnipotentem posse, ut pium velle : de caetero se ei resignat. Quantis virtutibus mulier ethnica te confundit !

2. *Qui non respondit ei verbum* (Ibid.), donec, ait Euthym., *omnis foeminae fides, modestia, ac prudentia manifestaretur.* Si differt petita Deus, cogita, quod plures velit a te virtutes petendo exerceri. Proinde non elanguesce, sed insiste. *Discipuli*, miserati sortem mulieris, *rogabant eum dicentes: Dimitte eam* (Ib.). Quare ? An ut afflicta solamen referat? An ut miraculo glorificetur Deus? Non : sed *quia clamat post nos.* Ut imperfecti suam molestiam allegant. Nonne haec quoque est tua imperfectio? Oras nempe liberari a malo, potius quia est tibi, quam quia Deo gratum.

3. *Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israël* (Ib.). — Nihil suo clamore, nihil discipulorum intercessione videtur impetrare. Immo durior responsio a mitissimo Domino aperta repulsa censeri potest. Durat tamen concepta spes et magis accenditur desiderium. Sed id ipsum est, quod Jesu summe placet. Quare et tu rejectus non adjicere, repulsus accede. Sola perseverantia est, quae impetrat. Venisti ad oves, Domine, quae perierunt? Oh ! quod solatium mihi, qui *erravi* tamquam *ovis, quae periit* (Ps. 118).

FER. V HEBDOM. XVI POST PENT.

Med. 318. — Sanatur filia Chananaeae.

1. *At illa* (Matth. 15), constantissima *venit*, ut desiderio plena, ita fiducia: *et adoravit eum* cum profunda humilitate; *dicens* cum verecunda modestia: *Domine*, cui obediunt omnia, *adjuva* quia potes, *me* in filiae malo afflictam. Quot virtutes orationis comites! Qui respondens, ait: *Non est bonum sumere panem filiorum*, gratiam miraculorum promissam Judaeis, tamquam filiis, *et mittere canibus* (Ibid.), gentibus idololatris. Praeter Domini morem acerba responsio! Quid tu agere soles ad salsum verbum? Quid ad repulsam repetitam? Quid vero haec mulier?

2. *At illa* (Ibid.), sine sensu aculei, quem tu non dissimulares, sine murmure, in quod tu erupisses; *dixit: Etiam, Domine:* prudenter, et humiliter admittit se esse veluti canem; et inde instanter petit tractari ut canis a tam bono Domino: *Nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum* (Ib.). Quanta constantia, patientia, prudentia, humilitas, fides!

3. *Tunc* victus constantia et humilitate Jesus, *ait illi* (Ibid.), admirantis in morem ad praesentium instructionem, ut dum unam erigit, plures confirmet: *O mulier*, non jam canis: mutasti affectum, muto vocabulum. *Tu te cognovisti canem, ego jam te agnosco hominem* (S. Aug. serm. 61 de temp.). *Magna est fides tua* (Matth. 15): non sunt nihil etiam caeterae virtutes, sed fides laudatur, quae illas imperavit: *Fiat tibi, sicut*

vis; quasi dicat: Ecce habes ad tuum velle, meum posse. Magnum bonitatis divinae argumentum, in qua speras, et totus innitaris.

FER. VI HEBDOMAD. XVI POST PENT.

Med. 319. — Sanatur surdus et mutus.

1. *Apprehendens eum* (Marc. 7), surdum et mutum quem alii adduxerant, *de turba seorsum.* Curandae spiritualis surditatis et mutitatis remedium est, secedere a strepitu mundi, pravorum affectuum, et levitate conversationis: et recedere in seipsum humili suae vilitatis consideratione. Anima in hac solitudine melius audit verbum Dei. *Misit digitos... in auriculas ejus*, ut clauderet eas vanitati, et hoc est secundum remedium, munire sensus digito Dei, seu gratia S. Spiritus, ne pateant mundo. *Et... tetigit linguam ejus,* digito sua salivâ imbuto, per quam gratia designatur, quae posthac linguam regeret. *Et suspiciens in coelum* (Ib.): tertium remedium est incipere considerare coelestia. *Ingemuit:* quartum remedium est ad ea aspirare. Examina te, an affectu recedas a saeculo, an munias sensus, an regas linguam, an mediteris coelestia, an ad ea aspires. Vide, quid emendes.

2. *Et ait illi: Ephpheta, quod est adaperire* (Ib.). — Quoties ait et tibi: *Aperi mihi, soror mea... sponsa?* (Cant. 5). *Et statim apertae sunt aures ejus* (Marc. 7). Tu autem dissoluta linguae licentia loqueris vanitatem, et lingua tua est lingua iniquitatis. Et quamdiu haec? Et nondum finis est turpitudinis tuae?

3. *Et praecepit illis, ne cui dicerent* (Ibid.),

tamquam a jactantia omnino alienus, cui tu plus forte servis, quam Deo. *Quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant* (Ib.). Laus est benefactoris velle latere: sed gratitudinis obligatio est, beneficium aestimare, et praedicare. Quanta hoc titulo Deo debes! *Dicentes: Bene omnia fecit*, qui nihil mali velle potest. Oh si aliquando et Deus dicat de te: *Bene omnia fecit!* Quod tibi solatium? Si id habere cures, habebis.

SABB. HEBDOM. XVI POST PENT.

Med. 320. — Reficiuntur quatuor millia hominum septem panibus.

1. *Cum turba multa esset, nec haberet, quod manducarent... ait... discipulis: Misereor super turbam* (Marc. 8). — Quanta vis et gratia Domini tam multos ad se trahentis! Et tamen tu toties ei resistis? *Videte ne recusetis loquentem* (Hebr. 12). Quantus in turbas affectus et miseratio! 1. Ob fervorem et studium, quo eum sequebantur: *Quidam enim ex eis de longe venerunt*, qui si dimittantur, *deficient in via;* 2. ob constantiam, *quia... jam triduo sustinent me;* 3. ob patientiam: *Nec habent, quod manducent* (Ib.), et famem sine murmure sustinent. Habes tam bonum Dominum, et cur te non committis ejus providentiae? Tu vix ad horam illum sustines. *Vae his, qui perdiderunt sustinentiam!* (Eccli. 5).

2. *Si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via* (Ib.). — Vides pro te sollicitum Deum? Quid ergo times hic, aut ibi vivere ad superiorum dispositionem? Quid deerit tibi, si Deus est tecum? Time magis, ne tu desis Deo. Et vere

dees, si ejus providentiae te non committis. Dees tibi ipsi, dum praepostera providentia, Dei providentiam a te arces.

3. *Et accipiens septem panes* (Ib.). — Haec erant universa annona pauperis Jesu, et duodecim discipulorum. *Dabat discipulis... ut apponerent.* Quam non conceperint illi fiduciam in Dei providentiam, cum viderunt tam paucos panes turbae tantae, virtute Dei sufficere! *Et manducaverunt, et saturati sunt* (Ib.). Ita vera fiducia non confundit unquam confidentem. Quid ergo luctaris, cum demandato officio, cum loco, nimia corporis tui cura? Dic generose cum Job: *Etiam si occiderit me... sperabo* in eum (Job 13).

DOMINICA XVII POST PENT.

Med. 321. — Cavendum fermentum pharisaeorum.

1. *Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere* (Matth. 16). — Quam suavis illis fuit cum Domino conversatio, quae etiam necessariorum oblivionem induxit! Oh si tu saltem superfluam tui corporis curam deponeres! Faceres, si dulcius cum Deo versareris. *Quid dixit illis?... Cavete a fermento pharisaeorum* (Ib.). Christus panem animae magis curandum ostendit, qui est Verbum Dei, et curandum, ut sit sincerus, non corruptus. Ita saepe Dominus sermonem de rebus spiritus inducit tibi in exemplum. *At illi cogitabant... quia panes non accepimus* (Ib.). Inhaerent suae inutili curae. Ita tu sermones spirituales vel transfers ad inutiles, vel

si ab alio sancti miscentur, tu tuis levibus inhaeres.

2. *Jesus autem dixit: Quid cogitatis intra vos modicae fidei, quia panes non habetis?* (Ibid.). — Damnat eorum nimiam de pane curam, ac corporis studium. Non *recordamini quinque panum in quinque millia hominum... neque septem panum in quatuor millia* (Ib.), ad satietatem dispersorum? Quasi dicat: Mihi cura corpori vestro providendi remittatur, et ego faciam. Oh si huic te consignares providentiae, quam esset tibi facilis obedientia, quam dulcis paupertas, quam amabilis patientia!

3. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento pharisaeorum?... Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina pharisaeorum* (Ib.). — Hoc malum fermentum axiomata mundi, amoris proprii, hominis veteris principia. Ab hoc fermento tibi cave: alias animam tuam putrefaciet, nec sapiet panis optimus, qui est *facere voluntatem Patris.*

FER. II HEBDOMADAE XVII POST PENTEC.

Med. 322. — Curatur caecus Bethsaidae.

1. *Adducunt ei caecum, et rogabant... ut illum tangeret; et apprehensa manu caeci eduxit eum extra vicum* (Marc. 8). — Quare non curat eum in ipso loco? Bethsaida erat pagus, in quo multa signa et virtutes fecerat Dominus, et tamen nondum credebant. Unde arguuntur a Christo, quod non corresponderint gratiae: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida...* (Matth. 11). Eduxit ergo

eum Dominus, significans si non cooperetur, non sanandum. Ita se res habet in omni animae morbo. Quot gratias accepisti? Quam vero parum correspondisti? Et vis sanari?

2. *Et expuens in oculos ejus* (Ibid.), salivam primae gratiae, qua inciperat videre, *et impositis manibus* suae potentiae, *interrogavit eum, si quid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes* (Ib.). Jam habet principium videndi; sed humana videntur ei magna, homines videntur ingentes arbores. Parum luminis non sufficit, ut non decipiaris. Cum et confusus est visus, et quae mundi sunt, apparent magna. Numquid et tibi videntur magna? Ergo parum luminis est in te. Ora Dominum: *Illumina oculos meos*, etc. (Ps. 12).

3. *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus... et restitutus est... ita ut clare videret omnia* (Ibid.). — Cur moras trahit Jesus in hoc curando? Quia nondum caecus ob modicam fidem rite erat dispositus: voluit, ut haec cresceret et tunc sanavit. Dispositio tua postulatur, ut Deus in te operetur. Si manus Dei in te parca est, tu facis: quia ad majora te non disponis. Stude autem te disponere ad gratiam, ut omnia clare videas, quam nihil sint mundus et creaturae, quam Deus sit omnia.

FER. III HEBDOMAD. XVII POST PENT.

Med. 323. — Confessio Petri.

1. *Interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?* (Matth. 16). — 1. *Quaesivit* (Cyr. Jeros. cath. 11), *non ina-*

nis gloriae studio, sed ut suos veritatem doceret Petro quid sibi revelatum erat proditurο. Ita quaerit Christum semper magis cognosci non suo, sed nostro bono. Oh Domine, noverim te! 2. S. Thom. hic: *Instruimur, ut simus solliciti, quid de nobis dicatur; ut, si malum, corrigamus; si bonum, conservemus.* Sed non alio fine, *curam habe de bono nomine* (Eccli. 41). *At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii... Eliam...* (Matth. 16). Bona hic proferuntur: si non potes vitare, ut de te non dicantur mala, cura saltem non dare occasionem.

2. *Vos autem, quem me esse dicitis?* (Ibid.). — Aliquid majus ab iis expectat, qui eum intimius noverant. *Respondens... Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi* (Ib.). At quem tu dicis esse Christum? Majus quid sentire debes de eo, quam saecularis. Ais eum esse Deum? Ubi est ergo honor, quem illi debes? Quare ei tam tepide servis? Quare plus amas creaturas, quam illum?

3. *Respondens Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus* (Ibid.). — Vides, quia caro et sanguis, seu mundi scientia non revelat ea, quae de Deo sunt, quia *animalis... homo non percipit ea, quae sunt Spiritus* (1 Cor. 2). Averte ergo aures tuas a doctrina mundi, ut audias Deum loquentem.

FER. IV HEBDOM. XVII POST PENT.

Med. 324. — Christus mortem suam praedicit, Petrum obsistentem increpat.

1. *Coepit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa et reprobari a senioribus...*

et occidi (Marc. 8). — Cur illico post confessionem suae divinitatis, praedicit mortem suam? Primo quidem, quia non est satis credere, Christum esse *Filium Dei;* sed oportet etiam credere pro nobis passum. 2. Ut cum venerit hora, non scandalizentur discipuli; sed cum scirent esse Deum, deprehenderent non ex imbecillitate, sed ex sua voluntate mori. Imprime penitus cordi tuo hoc amoris mysterium. 3. Ut doceret laudibus occurrere aliquo, quod te humiliet.

2. *Et assumens eum Petrus, coepit increpare illum, dicens: Absit a te, Domine; non erit tibi hoc* (Matth. 16). — An haec est audacia Petri, et temeritas? An nimius amor? Christus ait: *Oportet;* Petrus reponit: *Non erit hoc tibi,* quia non considerat, quod Deus decrevit; quis loquatur, quem immediate ante, Filium Dei professus est: sed in id statim erumpit, quod humanus affectus suggerit. Ponendum linguae pondus est praemeditatione. Si id egisses, non te tot dictorum poeniteres.

3. *Qui conversus dixit Petro: Vade post me, satana, scandalum es mihi* (Ib.). — Quam durum Christo retardari a morte quam tui causa desiderabat! Quam statim blandis superinducit aspera! Quam non est personarum acceptori, qui beatum dixit bene loquentem, mox male loquentem increpat! Quare tibi exemplum praebet, ut etiam amicissimos non audias, qui a recto te avertere nituntur.

FER. V HEBDOM. XVII POST PENT.

Med. 325. — Crux post Christum ferenda.

1. *Si quis vult post me venire* (Matth. 16). — Arbitrarium tibi est, id velle: nemo cogitur, nemo excluditur. Bona et seria ad hoc voluntate opus est, non velleitate. Hanc qui habuerit, primo *abneget semetipsum;* non tantum deponendo externa, sed judicium suum, voluntatem, affectus pravos, et desideria, et quidquid est veteris hominis ac amoris proprii occidendo. Hoc est primum *Alpha* perfectionis christianae. Deus bone! Quam adhuc nihil didici! Quantum restat discendum! Et quanto tandem? Sane, si semper fuerit mera velleitas, nunquam.

2. *Tollat crucem suam* (Ib.). — Altera in hoc perfectionis compendio regula est. Crucis nomine intellige omnes animi, seu corporis adversitates. *Tolle,* secundum omnes intentiones, secundum omnem latitudinem objecti, longitudinem temporis, celsitudinem animi, profunditatem humilitatis; hoc est, quidlibet, semper, constanter, humiliter. Si Christo crucifixo adstitisses, isque hoc a te postulasset, negassesne illi pro te morienti? Ergo neque nunc ei nega, quia id semper a te petit, semper illi debes, quia semper meretur.

3. *Et sequatur me* (Ibid.). — Hic demum apex perfectionis, quae tribus verbis describitur: *Abstine; Sustine; Age:* sed multorum annorum factis non obtinetur. Sequere, sed praeeuntem exemplo suo, teque animantem. Cogita obligationem militis ad ducem, servi ad dominum, filii ad patrem. Sequere, sed quamdiu? Non definitur: ergo

usque ad mortem. Qua via? Non describitur: ergo molli et aspera, ad hanc non minus, quam ad illam promptus. Quid egisti hactenus? Quid ages?

FER. VI HEBDOM. XVII POST PENT.

Med. 326. — De transfiguratione Domini.

1. *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus* (Matth. 17). — Tres de duodecim ad praelibandam gloriam, qui ad ipsam gloriam paucos admittit. *Ducit illos in montem excelsum:* quia nec sublimis divinorum cognitio, nec gustus internae consolationis acquiritur, nisi sublimitas et omnis mundi fastus transcendatur. Ducit eos *seorsum* a strepitu, et docet solitudinem internam ac etiam externam servire animae consolationibus. Non percipis illustrationes et solatia? Vide, an connitaris ad montem, an intra teipsum vere secedas.

2. *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera* (Luc. 9). — Fervens oratio immutat hominem, praesertim mentalis. Tu nunquam videris lucere? Certe non meditaris fructuose. In fine horae finem ponis fervori et bonis propositis. Specularis illa potius, quam ad praxim dirigas; sed quae inde utilitas? Forte majus detrimentum quia non operaris, ut cognoscis. *Resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix* (Matth. 17). Ad solem facile liquescunt nives. Noli confidere solatiis internis; momento diffluunt: sed sta in timore et soliditato virtutis, quae rationi nititur, non dulcedini.

3. *Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias* (Matth. 17). — Viri magnorum desideriorum. Ta-

les admittuntur in terra ad gustanda coelestia. *Et dicebant excessum* amoris, *quem* per passionem *completurus erat in Jerusalem* (Luc. 9). In mediis gaudiis de doloribus sermo: vel quia illi dolores Christi sunt causa nostrae beatitudinis meritoria: vel ut doceat etiam in doloribus serenum vultum, multo magis animum retinendum; et in ipsis tribulationibus gaudendum: quoniam *merces vestra copiosa est in coelis.*

SABB. HEBDOM. XVII POST PENT.

Med. 327. — Votum Petri in transfiguratione Christi.

1. *Petrus autem dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse* (Matth. 17). — Exprimit animam actiones suas in gustu spirituali fundantem. Tunc bene omnia habere aestimat, cum illo fruitur: *At in tempore tribulationis recedit*, et cum Petro fugit: relicto Domino. Tua sunt ista desideria. Velles virtutem, sed velles eam dulcem et facilem, non arduam et confragosam. Expende quam imprudens hoc desiderium. Si bene nosti virtutis indolem, omnis in arduo posita est.

2. *Faciamus hic tria tabernacula: Tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum* (Ib.). — Ubi, Petre? Hic in deliciis, licet spiritualibus, quae tamen, ut nix ad solem, diffluunt? Sit sane bonum ad modicum *nos hic esse:* at estne bonum hic figere tabernacula, et permanere? Quid ais? Vere non sciebat *quid diceret* (Ib.). Si redarguitur Petrus, quod sistere vellet in gustu coelesti; quid de te fiet, qui in gustu carnali tuarum commoditatum haeres?

3. *Haec autem illo loquente, facta est nubes et obumbravit eos* (Luc. 9). — Dum Petrus im-

modice exultat, dum de figenda in illo loco mansione loquitur, ecce omnis gaudii materia momento eripitur. Intellige hinc, quid solidi sit in sensibili devotione aut consolatione, quae momento te deserit et si in ea fundamentum virtutis ponis, collaberis. Si adeo bonum est his spiritualibus deliciis frui, cur si modica nubes tribulationis veniat (quam saepius venire necesse est), obumbratur tibi animus tristitia, taedio, languore? etc. Alibi ergo figendum tabernaculum.

DOMINICA XVIII POST PENT.

Med. 328. — Voce de coelo audita percelluntur discipuli.

1. *Ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. 17). — Testimonium filiationis Christo redditur a Patre in eo monte, in quo, ut existimant aliqui, a daemone tentatus fuit eo tempore, quo tractabatur de ejus passione; ut discas eos evadere filios Dei, qui vincunt tentationes; qui multa pro eo tolerant. Si filius Dei esse vis, hac via eundum est. Diligit diligentes se: sed *majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis* pro eo (Jo. 15).

2. *Ipsum audite* (Ibid.). — Magister orbis constituitur. Verbum Patris loquitur in cordibus nostris. Durus est sermo illius, sed carnalia sapientibus. Noluit illum paulo ante audire Petrus, dum diceret: *Absit a te, Domine: non erit tibi hoc* (Matth. 16). Jam audire jubetur; ea ipsa nempe, quae cum Moyse et Elia de sua morte loquebatur.

Unde discas audiendum tibi esse Jesum, cum tibi suggerit mortificationem, contemptum, paupertatem, opprobria, cruces, etc.

3. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam* (Ib.). — Ex reverentia, qua vocem exceperunt, cum humilitate se ei subdentes: ut discas omni voci Dei te humiliter subdere. *Et timuerunt valde:* quia illa voce confirmabantur, quae Christus cum Moyse et Elia de sua passione loquebatur ad quod tamquam homines expaverunt. Typum mundanorum et tui habes, cui nomen ipsum crucis horrori est; quem modica adversitas prosternit. Et tamen *oportet nos per multas tribulationes transire.*

FER. II HEBDOMAD. XVIII POST PENT.

Med. 329. — Eriguntur a Christo et descendunt de monte.

1. *Et accessit Jesus... dixitque eis: Surgite, nolite timere* (Matth. 17). — Ubi timent ad discursum divinitus confirmatum de passione, adest consolator Jesus. Quod timeas dura et sensui contraria, humanum est; sed ubi *accedit* Jesus gratia sua, non est, quod timeas. *Surge* resoluto, generoso animo. *Si consistant adversum* te *castra* (Ps. 26) in hoc spera. *In Deo* tuo transgredieris *murum* (Ps. 17).

2. *Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum* (Ibid.). — Evanuerunt, vox, nubes, Moyses, Elias, splendor vultus, candor vestimentorum: solus Jesus remansit, solum viderunt. Ut discas aeque in deliciis, ac adversitatibus solum Jesum spectare. Quidquid creatum oc-

currat, quantumcumque spirituale, solum Jesum illic intuere, non tua commoda. Oh quando tam felix ero, Jesu, ut te solum quaeram, te solum inveniam, te solum videam!

3. *Et descendentibus illis de monte, praecepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem* (Ib.). — Noluit eos gloriari de gratia, quam iis contulit. Gratiae acceptae a Deo humili silentio optime custodiuntur. Turpissimum est gloriari de eo, quod non est tuum. Nihil autem est tuum nisi quod est malum. *Gratia Dei sum id quod sum* (1 Cor. 15). Provide potius in humilitate ut *gratia ejus in* te *vacua non sit* (Ib.).

FER. III HEBDOM. XVIII POST PENT.

Med. 330. — Adducitur Christo puer lunaticus.

1. *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est* (Matth. 17). — In hoc lunatico considera sortem hominis, qui suarum passionum est impotens. *Nam saepe cadit in ignem* amoris proprii, iracundiae, concupiscentiae et *crebro in aquam* (Ib.) pravorum desideriorum. Addit fuisse *surdum et mutum;* ad divina. *Qui... allidit illum* (Marc. 9) ad terram; ut in terrenis jaceat et non assurgat ad coelestia. *Et spumet et stridet* per verba passioni respondentia. *Et arescit* sine succo devotionis. Quanto gravius agnoscis hoc malum, tanto impensius tolle ejus causam.

2. *Respondens autem Jesus* (Ibid.), cum gravi increpatione, *ait: O generatio incredula*, quae tot signis nondum credit Jesum esse Deum! *Et perversa*, quia dum ait: *Obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum* (Ib.), tacite insi-

nuat id ob aliquem eorum defectum accidisse. *Quamdiu vobiscum ero* (Marc. 9), qui estis contra me? Vide, an non juste sic possit tibi Jesu indignari, qui tibi tanta praestitit et adhuc es contra eum. *Afferte illum ad me.* Emollit benignitate rigorem increpationis, ut non dimittas sine solatio, quem juste corripueris.

3. *Et attulerunt eum* (Marc. 9). — Peccator suis viribus ad Deum non venit, nisi per gratiam feratur. *Et... statim spiritus conturbavit illum, et elisus in terram, volutabatur:* quia quo magis mundanus homo appropinquat Christo, dum non est ei unitus, eo magis passiones exercent violentiam. *Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit?* (Ibid.). Ut rememorando tempus diuturnum, non miretur ita torqueri : quia, quo diutius indulges passionibus, ferocius saeviunt.

FER. IV HEBDOM. XVIII POST PENT.

Medit. 331. — Curatur idem puer lunaticus.

1. *Jesus autem ait* (patri supplicanti) : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti* (Marc. 9). — Magnum fidei elogium, sed magnum tui vituperium, qui dicis te credere, ais tamen etiam te multa non posse. Verius diceres te non velle. *Et continuo exclamans pater pueri cum lacrymis ajebat: Credo, Domine,* fide adhuc imperfecta: *adjuva incredulitatem meam* (Ib.), perfecta fide. Sic qui inchoavit, ad perfectum enititur. Tu contra multa inchoas, pauca ad perfectum deducis, inchoasse, contentus. Quem putas coronabit Deus? Inchoantem? An perficientem?

2. *Et... comminatus est* Jesus *spiritui:.. Ego*

praecipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introëas in eum (Ibid.). — Haec mens Dei est, cum gratia seu semel a te peccatum expellit, ut numquam redeat. Nec rediit in illum puerum. At tu diabolum expulsum iterum sponte non ignarus invitas, quod te torqueat et rursus in ignem et aquam conjiciat. *Et multum discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus* (Ib.). Ut omnino expellantur tuae passiones, necesse est, ut discerparis et affligaris et fias per constantem mortificationem velut mortuus. Non sentiens aut blandimenta sensuum, aut contemptum, etc.

3. *Accesserunt discipuli ad Jesum secreto et dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram* (Matth. 17). — Quereris te non posse ejicere hanc vel illam passionem. Vis causam scire? Tua incredulitas est. Non credis te *omnia* posse *in eo qui* te *confortat* (Philipp. 4). Non credis te adducendum in judicium et ob hunc aut illum tuae passionis actum severe puniendum.

FER. V HEBDOMADAE XVIII POST PENT.

Med. 332. — Christus didrachma solvit.

1. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: Etiam* (Matth. 17). — Exactores petunt a Christo, quod non debet. Indignum hoc judicas? Tu pejus agis. Debetne tibi gratiam ut peccata deleantur? Si debitum est, gratia non est; et tamen dum sub spe veniae peccas, utut leviter, vis, ut pretium solvat, quo dissolvatur peccatum. Et vix peccas, quin hoc tacite invol-

vas. Nam si crederes non condonandum, abstineres. Nonne hoc satis impium est?

2. *Praevenit eum Jesus dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae, a quibus accipiunt tributum, vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii* (Ibid.), et familia regum temporalium. Ergo multo magis ego, qui sum Filius Dei, et familia mea. Ostendit se liberum esse, se tamen non eximit. Misere nobiscum ageretur, si Christus nihil eorum egisset, quod non tenebatur. O si tu id saltem ageres, quod teneris! Sed quid est boni, quod non tenearis, modo possis, si non justitiae titulo, saltem religionis, gratitudinis? etc.

3. *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum; et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te* (Ib.). — 1. Non vult eos scandalizare; etsi dicere posset, et tu aliquando dicis: non dedi ansam, culpa sua scandalizantur. Noli offendere, dum vitare potes. 2. Pauper Jesus non habet vel unum staterem. 3. Pisces et animalia magis ei obediunt, quam tu.

FER. VI HEBDOMAD. XVIII POST PENT.

Med. 333. — Commendatur humilitas.

1. *Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno coelorum?* (Matth. 18). — Unde contentio? Majores in Petrum favores ambitionem et invidiam moverunt in aliis. Miseri piscatores jam de regno agunt. Nemo est

tam vilis, qui nolit major esse. Paternum ab Adamo malum in omnes transiit. Nonne et tu eo correptus es? Si non es major altero, vis videri: sed quis es tu? Unde te tanti facis? Quae tua sunt merita? Nonne majora sunt demerita? Et quid est, quod praetendis? Quo jure honor tibi debetur? Quis est, quem vis minorem, suo an tuo vitio?

2. *Advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi... efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum* (Ib.). — Non est arbitraria virtus, humilitas; sed necessaria ad obtinendum coelum. Modus Christi loquendi id satis indicat. Ubi enim ea non est, impossibile est non esse aliquem depravatum affectum. Credisne huic patere coelum, in quod nihil coinquinatum intrat? Persuadeat ergo tibi humilitatem necessitas, quam non persuadet honestas et exemplum Christi.

3. *Quicumque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno coelorum* (Ibid.). — Dic: quod judicio judicandum est de majoritate ad certitudinem, tuo an Christi? Judicium infinitae sapientiae superat tuae stultitiae judicium. Illud hic expressum habes. Quid habes, quod opponas, nisi judicium hominum aliter sentientium? Sed quo judicio salvaberis, aut damnaberis? Hominum, an Dei? Credis majorem inter natos mulierum esse Joannem quia Christus dixit? At idem est, qui dixit: *Qui minor est inter vos omnes, hic major est* (Luc. 9).

Med. 334. — De correptione fraterna.

1. *Si... peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum* (Matth. 18). — Et subditum et superiorem hoc tangit: illum, ut corrigi amet, alias magis corripi meretur: hunc, ut corripere non negligat suo loco et tempore. Medicum non odisti, etsi vulneret, ut sanet. Corripiens idem facit, dummodo zelo bono. Quid indignaris correptus? Quid murmuras? Quid in faciem resistis? Non scis, quod Deus *sanguinem* tuum *de manu* ejus requiret? (Exech. 3). Sed et tu superior, medicus es. Crudelis es, si vulnera negligis: peris cum eo, quem lucrari neglexeris: *Erit anima tua pro anima ejus* (3 Reg. 20).

2. *Corripe eum inter te, et ipsum solum* (Ibid.). — Modus corripiendi describitur, ut secreto fiat. Peccas, frater, ac etiam superior, si coram pluribus id facias, quod potes evincere cum paucioribus, etsi id motivo charitatis agas. Charitas enim aeque secretum postulat ob famae integritatem, ubi delictum non est publicum. Multo magis peccas, qui vel secreto defectus fratri cum indignatione obtrudis, vel publice in circulis objicis. Essetne sic corripi tibi gratum? Ergo alteri ne feceris.

3. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum* (Ibid.). — Et corripientis et correpti lucrum est amice data, humiliter accepta correptio. Qui corripis lucraris fratrem; lucraris alios, a quibus offensam tollis: liberas animam tuam. Qui audis corripientem, lucraris teipsum, lucraris corripientis affectum, lucraris Deum. Omnes lucro ducimur; majus isto curare non potes.

DOMINICA XIX POST PENT.

Med. 635. — Parabola servi, cui dominus omne debitum dimisit.

1. *Assimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis* (Matth. 18). — Servus es: multa debes ob peccata. Reddenda est ratio Deo nihil ignoranti, justissimo judici. Quo animo stabis ante judicem? *Oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta* (Ib.). Tu es ille. Nullum est debitum peccato majus. Heu! Quantum hoc cumulasti! *Cum autem non haberet, unde redderet.* Quid habes unde satisfacis, nisi ab eo accipias, cui satisfacere debes? Quid hic timere non debebis? Quid sperare poteris? *Jussit eum dominus ejus venundari.* Amittis enim per peccatum libertatem, et servus es peccati. Oh dura servitus!

2. *Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me* (Ib.). — Oh quoties, Domine, etiam cum leviter petente, patientiam habuisti? Infinitae tuae patientiae debeo, quod non extrema patior. *Misericordiae Domini, quia non* sum consumptus (Thren. 3). Momento quo peccarunt, prostrati sunt angeli: quid minus merebar? *Et omnia reddam tibi* (Matth. 18); sed de tuo sanguine, quem mihi dedisti, et ego indigne proculcavi. Oh bonitas! Oh amor! Oh mea ingratitudo!

3. *Misertus autem dominus servi illius dimisit eum, et debitum dimisit ei* (Ib.). — Quam facile placabilis Deus! Quam liberalis bonitas, quae plus

dat, quam petatur, aut sperari possit! Quantum par erat eum servum confundi tam prono affectu? Expertus idem es non semel. Non tantum dimisit te a servitute peccati: sed et filium fecit adoptivum, et haeredem regni. Meruistine hoc? Poterisne unquam mereri? Et tantam clementiam audebis posthac offendere?

FER. II HEBDOM. XIX POST PENT.

Med. 336. — Ingratitudo et saevitia servi illius.

1. *Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios; et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conservus ejus rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me et omnia reddam tibi... et noluit, sed abiit et misit eum in carcerem* (Matth. 18.). — Grandia tibi debita remittit Deus; tu ne verbulum proximo. Quantulum illud est, si tuis conferas? *Videntes autem conservi ejus.* Alii tanto magis tuos defectus vident, quanto tu ipse minus. *Narraverunt domino suo omnia quae facta fuerant* (Ib.), benefactum: *quae viderant*, non quae arguebant: *quae facta fuerant*, non quae suspicabantur: *narraverunt Domino*, cujus erat corrigere; non iis, ad quos nihil attinebat.

2. *Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui...?* (Ibid.). — Quid indignius? Vis tolerari, et nil tolerare: in tua commoda vis tibi servire omnes, tu in nullius. Alia lege tua vis expendi, alia proximorum facta. Si

non imitaris Deum in reddendo aliis bono, Deus te imitabitur in reddendo tibi malo, quod aliis facis. *Unumquemque juxta vias suas judicabo* (Ezech. 18).

3. *Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum* (Ib.). — Non reviviscunt quidem remissa peccata, sed ingratitudo superveniens tanto majus est peccatum, quanto majus fuit remissionis beneficium. Remissa tibi sunt gravia, tu non remittis minima: ingratus es, traderis tortoribus. *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (Ib.), nulla retenta animi amaritudine. Omnium iniquitatum tuarum non recordatur Deus amplius, postquam se dimisisse asserit. Itane tu etiam leves offensas oblivioni tradis? Num aeque ac ante offendenti afficeris? etc.

FER. III HEBDOM. XIX POST PENT.

Med. 337. — Christus invitatur Jerosolymam ad festum scenopegiae, et recusat ire.

1. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis* (Joann. 7). — Speciosa invitantium verba sunt, ut discipuli videant opera ejus; interim quaerunt, ut per miracula inclarescat Christus, et honor aliquis in ipsos, ut consanguineos, redundet. Latenti ambitioni praetexebatur titulus gloriae Christi. Quid quaero ego per opera mea? Gloriam Jesu? Utinam! Opera videntur talia. Sed omnia quoties, quod magis intendo, est meum commodum.

2. *Nemo quippe in occulto quid facit et quaerit ipse in palam esse* (Ib.). — Argumento persuadere nituntur, quasi dicerent: vis agnosci Messias: facis ad hoc miracula, ut agnoscaris; ergo fac ea palam in urbe, quae est mundi compendium. *Manifesta te ipsum mundo.* Cum essent honoris cupidi, talem et Christum arbitrabantur, ut sentit Cyrill. (lib. 4 in Joann. c. 32). Magnus error est, communis tamen, suis affectibus proximum metiri. Quidquid alteri judicando appingis, si bene examines, in te reperies. Qualem tibi facis proximum? Vide, an non ipse sis talis.

3. *Dicit ergo eis Jesus* (Ibid.). — Recusando ascensum in Jerusalem et hujus causam reddendo: *Tempus meum nondum advenit;* quia nondum erat voluntas Patris, ut subiret mortem, ad quam se quaeri sciebat. Ita omnia voluntate Patris agebat. Oh si ad illam regulam respiceres semper! Causa autem, cur mundus eum oderit: *Quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt* (Ib.). Odio est malis, qui eorum operibus non consentit. Sed melius est tibi odio malis esse, quam amari. Cum illo bonus es, cum isto esse vix potes. Non ergo virtutem desere, quia odio haberis.

FER. IV HEBDOM. XIX POST PENT.

Med. 338. — Occulte ascensurus in Jerusalem non admittitur a samaritanis.

1. *Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem* (Luc. 9). — Et addit Joan. (c. 7) *non manifeste, sed quasi in occulto.* Loquendi modus resolutionem significat eundi ad eum locum, in

quo sciebat se ad mortem quaeri, et post anni medium cruci affigendum. Quid tibi animi esset, si destinareris ad eum locum, in quo scires te eo anno moriturum? At ignoras illud, et certius est non obfuturum locum, aut functionem; et tamen vel detrectas, vel luctaris. Aude et tu in ejusmodi difficultatibus *firmare faciem tuam.*

2. *Et misit nuntios ante conspectum suum; et euntes intraverunt in civitatem samaritanorum... Et non receperunt eum quia facies ejus erat euntis in Jerusalem* (Ibid.). — Invitaverant antea Christum ad vocem mulieris, et Messiam acclamaverant, nunc excludunt. Sic amant, qui sui causa amant. Dissidebant samaritani a judaeis: quod Christus ostendit se ire in Judaeam, non admittitur. Mundi politica est suspectum habere, qui cum aemulo nostro familiaris est. Sic cum mundum sequimur, excludimus Christum. Et pro! Quam saepe timemus virtutem, quod affligat corpus, cum prosit animae! Quin et hic firmamus faciem.

3. *Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de coelo et consumat illos?* (Ib.). — Zelus videbatur, sed erat adjuncta vindictae passio. Ideo eos increpat: *Nescitis cujus spiritus estis;* qui putatis zelum honoris mei et est irae passio. Vide, ne et in te sub pallio virtutis irrepant vitia. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* (Ib.). Haec causa est ex fine petita, cur injuriam dissimulet. Quoties periissem, o Jesu, si me non venisses salvare? Sed qui finem tuum respicis, doce me meum in omni actione respicere, ut salvem animam meam.

—

FER. V HEBDOMAD. XIX POST PENT.

Med. 339. — Mundantur decem leprosi.

1. *Occurrerunt ei decem viri leprosi* (Luc. 17). — Cogita lepram tuarum imperfectionum. *Qui steterunt a longe,* suae sibi immunditiae conscii: *et levaverunt vocem* suam ardenti affectu: *et clamaverunt* cum plena sui resignatione: *Jesu praeceptor, miserere nostri* (Ibid.). Ita cum Deo age humiliter, ardenter, resignate.

2. *Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus* (Ibid.), ad quos ex lege pertinebat de lepra judicare. Sic in miseros charitatem exercet ut legem non violet; ordinata charitas poscit, ut propter charitatis obsequia in proximum, regulas instituti non violes; aut omittas quae praestare debes. *Et factum est, dum irent* caeca quadam obedientia, non judicantes de praecepto, *mundati sunt* (Ibid.). Hic tantae obedientiae est fructus. Fac quod juberis; accipies quod non speras.

3. *Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens. Et hic erat samaritanus* (Ibid.). — Omnes recipimus gratias, quam pauci reddimus! Ex quorum numero tu es? Non superant te samaritani, qui minus Deo obligati sunt? Nonne merito tibi improperaret Deus: *Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo?* (Ib.). Si vis canalem gratiarum apertum, noli esse ingratus. Gratitudo autem summa est bonus usus beneficii.

FER. VI HEBDOM. XIX POST PENT.

Med. 340. — Christus palam docet in templo.

1. *Ipse ascendit ad diem festum... Judaei ergo quaerebant eum...* (ut occiderent) *et dicebant: Ubi est ille?* (Jo. 7). — Nec suo eum nomine dignantur: adeo contemptus pro te factus est Jesus. *Et murmur multum erat in turba de eo* (Ib.). Quia bona praestabat, mala referebat. Tu, cum optima feceris, alia a mundo non expecta. *Quidam* (sed quam pauci!) *dicebant: Quia bonus est. Alii autem* (quam multi!) *dicebant... Seducit turbas.* Distorta judicia ferre debes, qui ambulas viam rectam. *Nemo tamen* ex iis, qui bene sentiebant, *palam loquebatur de illo propter metum Judaeorum.* Quantum apud te valet respectus et metus hominum! Oh si praevaleat Deus!

2. *Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum et docebat* (Ib.). — Non primis diebus, ut cederet furori judaeorum qui tunc fervebat. Ascendit tamen, postquam resedit furor. Disce commoto proximo prudenter cedere, nihil agere temere, sed neque timide omittere. *Et mirabantur judaei,* doctrinam ejus; sed sine fructu. De horum genere es. Audis, legisque multa: probas illa judicio, sed non practico: fugis exequi, quod intellectu collaudas. Olim ad mensuram cognitionis judicaberis.

3. *Nonne Moyses dedit vobis legem? Et nemo ex vobis facit legem. Quid me quaeritis interficere?* (Ib.). — Gravis objurgatio? Time tu illam a Jesu: Nonne ego dedi tibi legem? Et tu non facis eam. *Respondit turba et dixit: Daemonium*

habes (Ib.). Cui hoc dicit? Dei Filio: non exhorrescis? Et silet tamen Dei Filius, qui vera pro blasphemiis retundere potuisset. Quas tu injurias ad injuriam non redderes? Discat vermis pati, quae Deus tulit.

SABB. HEBDOM. XIX POST PENT.

Med. 341. — Mittuntur qui Christum comprehendant.

1. *Audierunt pharisaei turbam murmurantem de illo haec:* quod sit Messias: *et miserunt ministros, ut apprehenderent eum* (Jo. 7). — Simplices turbae credunt, et amant Jesum; superbi pharisaei, quia suae auctoritatis jacturam timent, exacerbantur. Una passio fomes est alterius. *Dixit ergo eis* (ministris) *Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum... Quaeretis me, et non invenietis* (Ibid.). Infelix ego, non audiam illud: *Vado!* Non audiam: *Non invenietis.* Quaeram te, Jesu, donec inveniam; et tenebo.

2. *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (Ib.). — Quod dictum populo, tibi dici crede. Sitis salutem tuam, quia nemo est sine desiderio. Sed sitis aquas turbidas solatiorum mundi. Quae hic beatitudo! Siti, quod sitire debes, salutem tuam et Deum. Audi invitantem: *Veni, et bibe* ad satietatem, quam in solo Deo reperies: nunquam extra ipsum. Quid sitivisti hactenus? Esne satiatus? Oh miser!

3. *Quidam ex ipsis volebant apprehendere eum* (Ibid.). — Non ignorabat qua intentione venirent: prosequitur tamen sermonem interritus. Unde mu-

tata sunt eorum corda: *sed nemo misit super eum manus.* Ita constantiae cedunt pericula. Quod ex virtute coepisti, non desere ex metu. Periculum adis? Constantia franget.

DOMINICA XX POST PENT.

Med. 342. — Remittuntur ministri, et Christum laudant.

1. *Venerunt ergo ministri ad pontifices et pharisaeos; et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?* (Joan. 7). — Quam vigilant in scelerata sua jussa pharisaei! Quam investigant causas propositi sui executioni non mandati! Oh si tam vigil tu esses in tua proposita sancta! Si tam tibi indignareris, quoties non exequeris! Proponere et non exequi, est esurire et non manducare. Non satis est velle, nisi accedat et operari.

2. *Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo* (Ib.). — Theophyl. hic ait: *Nec curaverunt iram pharisaeorum, nec quia ut servi missi fuerant, quae placita erant principibus, dixerunt.* Profitentur se captos sermonibus ejus, quem comprehendere debuissent. Laudant eum apud illos, qui eum oppressum volebant. In causa Dei laudabilis est libertas. Hac utere in te primum; in alios uti licet; maxime ubi debes. Non loquere quae placita, sed quae salubria.

3. *Responderunt ergo eis pharisaei: Numquid et vos seāucti estis?* (Ib.). — Cum dixissent ministri: *Numquam sic locutus est homo* (Ibid.). *Interrogare oportuisset* ait Euthym., *quid locutus*

esset; sed ipsi ad increpationes convertuntur. Ira et invidia eos excaecaverat. Ubi dominatur passio, ratio deturbatur solio. Subjungunt argumentum ab auctoritate : *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum...?* (Jo. 7). Quasi dicat : Nullus, *sed turba haec* tantum. Ita Deus abscondit a sapientibus divina mysteria, et revelat ea parvulis et humilibus. Esto humilis, si divina vis sapere. Denique *maledicti sunt*, inquiunt, qui credunt. Oh utinam a superbis sic maledicar ; non ab humili Jesu!

FER. II HEBDOM. XX POST PENT.

Med. 343. — Mulier in adulterio deprehensa liberatur.

1. *Adducunt scribae et pharisaei mulierem in adulterio deprehensam... et dixerunt ei:... In lege Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum ut possent accusare eum* (Joann. 8). — Sciebant mitem; credebant contra legem pronuntiaturum : *Jesus autem inclinans se deorsum*, declinat ferre judicium, qui omnia novit ; et tu, qui ignoras omnia, tam es facilis ad formanda judicia. *Digito scribebat in terra* (Ib.) : ut facilem se ad veniam ostendat : ut ventus et aqua literas in pulvere scriptas confundunt; sic lacrymae et suspiria delent peccata nostra, quae in terra scribuntur.

2. *Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (Ibid.). — Pluribus tentatus nec absolvit eam leges observans, nec condemnat misericors, qui *venit* non

perdere *sed quaerere et salvum facere quod perierat* (Luc. 19). Injicit linguae ad judicandum alios pronae fraenum, ut cogites ipse an sis sine peccato. Vel ergo debes esse sine culpa, ut judices: vel non debes judicare si non es sine culpa.

3. *Audientes autem* haec, *unus post unum exibant* (Ibid.). — Quia, ut ait Beda, *in se cernere coeperunt singuli, quod magis damnandum cognoscerent.* Si te inspicias, horrebis tua, dissimulabis aliena delicta. *Et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans* (Jo. 8) confusa et contrita spe veniae plena. *Erigens autem se Jesus* ad videndum eam oculis misericordiae, *dixit ei:... Mulier, nemo te condemnavit? Quae dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo* (Ib.). Retundit Jesus adversarios ut patronus; absolvit ut clemens judex. Quid non speres a clementia ipsa? Modo id observes: *Noli amplius peccare.*

FER. III HEBDOMAD. XX POST PENT.

Med. 344. — Christus in templo docens.

1. *Ego sum lux mundi* (Joan. 8). — Lux est in mentibus hominum, circa bonum et malum, verum et falsum, virtutes et vitia, sine qua *palpas in meridie... et non* diriges *vias tuas* (Deut. 28). Posui *tenebras* in anima mea *et facta est nox: in ipsa* pertranseunt *bestiae silvae* (Ps. 103). Oh si oriatur lux, quae detegat meipsum mihi! *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (Jo. 8). Ergo a contrario, qui te non sequitur, ambulat in tenebris. Jam scio, unde tenebrae mentis meae ad divina; quia te, lux mea, non sum secutus; quia

eo vixi modo, quem verbo damnas et exemplo; quia cum cognovissem te Deum, non sicut Deum glorificavi.

2. *Dicebant ei: Ubi est pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum* (Ibid.). — Nonne dixerat: *Et me scitis, et unde sim scitis?* (Joann. 7). Sed sciebant speculativa scientia, non practica eorum, quae ad mores nostros pertinent; quia aliter operabantur, quam ille operandum verbo et exemplo docuerit. Nonne et tibi objicere potest: Non nosti *me, neque Patrem meum?* Si negas convincam te. Christus laxiorem viam damnavit, tu eam sequeris: ille fugit honores, tu sequeris, etc. Estne hoc nosse Deum? *Qui dicit se nosse eum, et mandata,* doctrinam et exempla *ejus non custodit, mendax est* (1 Joan. 2)

3. *Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini* (Ib.). — Non decretorie quidem dictum, sed sub conditione: *Si non credideritis.* Quia pauci tamen erant credituri, absolute pronuntiatur: tale scilicet erat peccatum, ut vix converterentur. Et quod illud? *Vos de deorsum estis: vos de mundo hoc estis* (Ib.), terrena sapientes et affectantes. Non te percellit tremendum hoc verbum, ut derelinquas mundi semitas, et non abeas post haec inferiora et mundana, ut assurgas ad aeterna et divina?

FER. IV HEBDOM. XX POST PENT.

Med. 345. — Christo docente multi credunt.

1. *Haec illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judaeos: Si vos manseritis in sermone meo,*

vere discipuli mei eritis (Joan. 8). — Nota boni discipuli est perfecte possidere doctrinam magistri. Ut scientiam habeas, debes scire te scire. Scisne te scire, quae Christus docuit? Quomodo ergo tam turpiter amas? Quomodo errores mundi hujus, doctrinae Magistri plane oppositos, sequeris? Nondum scis te scire. Ad praxim veniendum est, ut te verum discipulum probes.

2. *Responderunt ei: Semen Abrahae sumus et nemini servivimus unquam... Respondit eis Jesus:... Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati* (Ibid.). — Jactant, quod non servierint homini; quod peccato servierint, non aestimant. Haec est servitus quanto suavior, tanto durior. Nemo non volens et libens superatur a concupiscentia sua: *A quo enim quis superatus est hujus et servus est* (2 Petr. 2). Suavis est servitus, quia amatur; data est quia quo minus mortificas concupiscentiam, eo magis illa te mortificat: *Solve* ergo *vincula colli tui* (Is. 52), et dic concupiscentiae tuae animo generoso: *Non serviam* (Jer. 2).

3. *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite* (Ibid.). — Monet, ut probent factis, qua sint origine nati. Apud Deum, quis ejus sit filius, non verbis probatur, sed factis. Non enim sunt omnes Christi, qui se dicunt christianos. Vis ergo te filium Dei probare? Fac opera, quae Deus incarnatus fecit. Tantum ab hoc abes, quantum intervallum est inter dicere et facere.

—

FER. V HEBDOM. XX POST PENT.

Med. 346. — Judaei volunt Christum lapidare.

1. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Jo. 8). — Fidentis hoc conscientiae est, sed non tuae. Non satis te defensum puta, si redarguenti dicas: non est ita; nemo mihi id probare potest. Est, qui probabit; qui statuet te contra te. *Si veritatem dico vobis* (Ib.) per doctrinam meam, *quare non creditis mihi,* qui sum sine dolo, sine peccato? Non decipit te Jesus, et tamen factis doctrinam ejus improbas. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Nota haec est filiorum Dei: sed a te abest. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Expende, quomodo audias doctrinam Christi contrariam mundo, quomodo internas inspirationes: et an ex Deo sis agnosces.

2. *Responderunt Judaei: Nonne bene dicimus nos, quia samaritanus es tu, et daemonium habes?* (Ibid.). — Quam immanis calumnia! Filius Dei daemoniacus! Quam miti verbo retunditur: *Ego daemonium non habeo?* Quo tu sensu ferres? Quas diras non refunderes? *Ego honorifico Patrem meum,* quod daemon non facit. *Et vos inhonorastis me* calumnia, qui tamen Deus sum. Et hoc facit daemon. Videte, cujus spiritus sitis. *Ego non quaero gloriam meam* (Ibid.) vindicando me, quod gloriae tribuitur a mundo. Et tu vermis, quantum studes gloriae tuae? Time illud: *Est qui quaerat et judicet:* qui tibi cum confusione gloriam detrahet, et reponet ei, cui debetur omnis honor et gloria.

3. *Dixerunt Judaei: Quinquaginta annos non-*

dum habes, et Abraham vidisti? (Ibid.). — Quod paulo ante asseveraverat Christus. *Dixit eis Jesus:... Antequam Abraham fieret, ego sum,* quia Deus ab aeterno. *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum* (Ibid.). *Tanta duritia, quo curreret, nisi ad similes, scilicet lapides?* (S. Aug. tr. 43 in Joann.). Haec agit cor durum et in sua passione obstinatum. Verba dura in proximum sunt lapides, quibus Deum in illo petis. *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo* (Jo. 8). Ita Deum fugas, qui in proximum es durus. *Exivit,* ut furori cederet, ut tu discas, *ignem non fovere.*

FER. VI HEBD. XX POST PENT.

Med. 347. — Curatur caecus a nativitate.

1. *Jesus vidit hominem caecum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit? Hic, aut parentes ejus...?* (Jo. 9). — *Quaerunt temerarium jactantes judicium, in quod et tu facili indicio pronus es* (Rub. 1. 9 in Jo.). Sed, ut isti, plerumque erras. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus* (Jo. 9). Mala enim corporis non immittuntur solum ob peccatum; *sed ut manifestentur opera Dei.* Sed unde caecitas mea? Utinam *ut manifestentur opera Dei* sic disponentis! Sed heu! *Supercecidit ignis* concupiscentiae, et *non* video *solem* (Psal. 57).

2. *Exputt in terram, et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos ejus* (Ib.). — Lutum in oculis etiam videntem excaecat: quomodo caecum illuminat? Deus quandoque per opposita media operatur mira: per tentationes confirmat, per ariditatem illuminat, per humilitatem exaltat, etc.

Ergo abnegato tuo judicio, ejus te providentiae committe. Quod obesse videtur, convertet in bonum.

3. *Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë* (Ibid.). — Respondere poterat: haec virtus non est aquis, sed tibi. Tu iis non eges. Si aqua opus, cur non vicina? Risus ero populo infectus luto. *Nihil tale repetivit,* ait Chrysost. (Hom. 25 in Jo.), *illud dumtaxat curavit, ut parèret in omnibus.* Et ecce fructum caecae obedientiae: *Abiit, lavit et venit videns* (Jo. 9). Ita nunquam sine solatio est executio voluntatis divinae per superiores intimatae.

SABB. HEBD. XX POST PENT.

Med. 348. — Illuminatus coram pharisaeis veritatem miraculi tuetur.

1. *Vicini... dicebant: Nonne hic est, qui sedebat et mendicabat?* (Jo. 9). — Alii asserebant, alii negabant. *Ille vero dicebat: Quia ego sum.* Quaerebant: *Quomodo aperti sunt tibi oculi?* Ait: *Jesus lutum fecit et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë et lava. Et abii, et lavi, et video* (Ibid.). Cui tribuit beneficium? Non luto, non aquis, non suae fidei, sed ei, *a quo est omne datum optimum.* In hoc solum est omnium bonorum scaturigo. Si per homines accipis, sunt instrumenta. Illi gratias debes.

2. *Adducunt eum ad pharisaeos* (Ib.). — Quaerunt iterum *quomodo vidisset. Dicunt... caeco: Tu quid dicis de illo?* (Ibid.). Vocant parentes, petunt: *Hic est filius vester, quem vos dicitis quia caecus natus est?* (Ib.) etc. Quorsum tam longum

examen? Ex Dei consilio, ut pateat ad plurium conversionem miraculum; ex intentione hominum, ut sepeliatur fama Christi, vel ut calumnientur, quod *non custodit sabbatum*. Quam gravis est invido alterius fama? Num et tibi proximi gloria?

3. *Vocaverunt ergo rursus hominem* (Ibid.). — Sub specie religionis urgent: *Da gloriam Deo* (Ibid.). Auctoritate sua volunt persuadere, ut contra veritatem edicat: *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Attende defendentis libertatem: *Scimus quia peccatores Deus non audit... Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Nondum noverat eum esse Deum et tanto zelo ejus honorem tuetur. Quid tu agis, qui Deum per fidem nosti? Non timet auctoritatem. Quam facile tu ob respectus humanos desistis a bono, pateris injurias Dei? etc.

DOMINICA XXI POST PENT.

Med. 349. — Illuminatus ejicitur e synagoga et a Christo recipitur.

1. *Et ejecerunt eum foras* (Jo. 9). — Causa fuit defensus Christus. Sic qui pro virtute, pro Christo stat, non admittitur, vel non gratus est dyscolis; quia non convenit genio, non consentit sermonibus et levitatibus eorum. Visne pro doctrina Christi, pro regula, pro virtute stare? Debes ergo ad hanc injuriam te resolvere: Dyscoli te fugient. Sed quid tum? Deus te colliget.

2. *Cum invenisset eum* (Jesus) *dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille... Quis est, Do-*

mine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum; et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum (Ibid.). — *Cum primum ignominiae nota pro Christo affectus,* ait Cyrill. Alex. (l. 6 in Jo. c. 10), *protinus se illi Christus praesentem ostendit,* et illuminat eum interne. Sit hoc tibi solatio, si propter virtutem exosus es.

3. *Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident* simplices, rudes et despecti, illi *videant* per gratiam meam illuminati: *et qui vident* (Ibid.) tumida quadam sapientia, illi non videant coelestia; quae abscondit *a sapientibus... et* revelat *parvulis* (Matth. 11). Christus ergo discernet, an, et quid videas. Ambis interim videre divina? Debes non videre, non aestimare terrena.

FER. II HEBD. XXI POST PENT.

Med. 350. — Christus est ostium.

1. *Ego sum ostium ovium* (Joan. 10). — Corpus ostio grandius non ingreditur per ostium. Detruncanda sunt, quae excedunt, ut immitti possit. Humilis porta superbum verticem non admittit. Ostium, quo ad vitam penetres, est *verbum breviatum* (Rom. 9). Quomodo intrabis, qui ambulas *in magnis* et *in mirabilibus super* te? (Psal. 130). Conforma te ergo humili portae et non exalta *animam* tuam.

2. *Per me si quis introierit, salvabitur* (Ibid.). — Nulla certior ad salutem porta, quam per humilitatem Christi Jesu. Hic *humiliavit semetipsum...* propterea *exaltavit* eum *Deus* (Phil. 2).

Ingredietur (Jo. 10) meditando divinitatis arcana, quae Deus non revelat, nisi parvulis. *Et egreditur* imitando ejus vitam, quae tota fuit humilis et contempta: *et pascua inveniet*, cum, ut ait S. Greg. (l. 1 Regist. c. 16), *intus mentem devotionibus impinguat et foris se piis operibus satiat.*

3. *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant* (Ib.). — Ad quid factus est homo Filius Dei? Ad quid exinanivit semetipsum? *Ut vitam habeas* animae. Humilitate ergo Christi constat vita tua. Sed non satis est, quod ipse pretium posuerit, ut vivas: *ut abundantius vitam habeas.* Vult, ut de tua quoque adjicias; et ut interpretatur S. Bonaventura, quotidie magis ac magis crescas. Non crescis autem nisi humilitas Christi transeat in tuam. An putas, quod non meretur brevem humiliationem aeternitas?

FER. III HEBD. XXI POST PENT.

Medit. 351. — Christus pastor bonus.

1. *Ego sum pastor bonus* (Jo. 10). — Qui ovis est Christi, tres habet hostes, *lupum*, rapacem daemonem: *mercenarium*, fallacem mundum; *et furem*, latentem amorem proprium. Quantis isti te impetunt! Sed habes pastorem bonum, qui te protegit, Jesum. Patitur hostes tuos: sed ut tu vincendi occasionem habeas, ille te coronandi. Ille in te, et tecum pugnat: si vinceris, non est victoris virtus, sed tuum vitium. *At pastor bonus* bonam quoque ovem postulat. Esne tu talis? Mitis, patiens, mansueta? etc.

2. *Et cognosco* oves *meas... et animam meam*

pono pro ovibus meis (Ib.). — Duae sunt hae notae boni pastoris. 1. Oh quantum solatium animae, in quacumque difficultate, si vere credat, et dicat: Novit me Pastor meus, novit me, qui novit omnia; agit mecum, ut agendum novit; tam sapienter et provide, quam res postulat! Hinc ergo me ejus providentiae resigno. 2. Quis animam suam pro te posuerit, expende et nota amorem; et si non es lapis amorem redde.

3. *Oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me* (Ibid.). — Ovium Christi duplex est nota. Audis vocem ejus te etiam ad dura vocantis? Quid si dicat: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum?* (Matth. 10). Si times, si refugis, non es ovis Christi. Sequerisne eum? Quid si ducat ad arida pascua? Dicisne: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit?* (Psal. 22). Quid si ducat te ad macellum? Paterisne te tamquam ovis ad occisionem duci? Aliter non eris ovis Christi.

FER. IV HEBDOMADAE XXI POST PENT.

Med. 352. — In encaeniis volunt Judaei Christum lapidare.

1. *Circumdederunt eum Judaei* (Jo. 10) tamquam *vituli multi, tauri pingues* (Ps. 21). *Et dicebant ei* (Jo. 10), *non veritatem inquirendo, sed insidiando* (Beda): *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (Jo. 10). Quae perversitas! Cum verbis erudiuntur, dicunt: *Quod signum ostendis nobis, quia haec facis?* (Jo. 2). Cum operibus ejus virtus demonstratur, dicunt: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Sic operibus clamantibus, ad verba; verbis ad opera

confugiunt. Sed nec verbis credunt, nec factis. Quid aliud facio, qui nec doctrinam Christi sequor, nec exempla?

2. *Respondit eis Jesus: Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me* (Ibid.). — Quis quisque sit, efficacius non probat, quam factis. *Testimonium a rebus*, ait Chrysost. (Hom. 37 in Matth.), *credibilius est testimonio, quod est a verbis.* Itaque ex factis vult nosci Christus, qui exhibet ea signa *quae nemo alius facere potest.* Quid de te loquuntur opera tua? Quam metuo, ne tibi objiciat Deus: *Non invenio opera tua plena* (Apoc. 3). *Religiosi, factis, non verbis sumus* (S. Cyrill.).

3. *Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum* (Ibid.). — Postquam illum audiverunt: *Ego, et Pater unum sumus* (Ibid.). Causam praetexunt zelum vindicandi blasphemiam, quam ipsi blasphemi Deo imputant; reipsa est odium, et invidia, quae illos obcaecabat. Quam dolosae sunt passiones, quae ipsas virtutes in suum obsequium trahunt! Sic actus humilitatis depravat superbia, zelum iracundia. Vide ne tibi imponant. Ideo actiones tuas omni passione depura.

FER. V HEBDOM. XXI POST PENT.

Med. 353. — Missio LXXII discipulorum.

1. *Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam* (Luc. 10). — Magistri oculus conservat attentum discipulum. In ejus facie nihil sui muneris negliget. Ambulandum tibi est in praesentia Dei. *Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii au-*

tem pauci (Ibid.), ut unus plurium defectum suppleret; et tu disceres, dum plura potes, omnia illa velle, ac libenter suscipere pro Deo. *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios* (Ibid.). Non vult otiosos; otiosus autem in parte es, si, cum plura potes, aliqua detrectes. *Mitti* vult operarios, non sibi deligere locum, procurare, aut extorquere munus. Expecta ergo et tu, ut per obedientiam mittaris, non vero, quo mittaris, delige. Si deligis, in teipso stas; si mittaris, in Deo. Utrum vis?

2. *Ite: ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos* (Ibid.); non sicut agnos ad amoena sensui pascua. Theoph. hic: *Praedicit eis persecutiones, ne si repente in talia inciderent, magis turbarentur.* Quid tibi animi ad ejusmodi missiones? Certus es difficultatum, sed certus etiam es ingentis gloriae Dei. Utrum apud te praeponderat? Interim, ut assuescas gravibus, tolera minora.

3. *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (Ibid.). — Qui a Christo mittuntur, ejusdem auctoritate muniuntur, ut legati personam sui regis repraesentant. Agnosce hanc auctoritatem in tuis superioribus, et promptius ac hilarius obedies. Quod enim difficilem tibi reddit obedientiam, est, quod pure hominem jubentem aspicias. Nam si Deum ipsum ea mandantem videres et audires nonne facilius obsequereris?

FER. VI HEBDOM. XXI POST PENT.

Med. 354. — Revertuntur a missione septuaginta duo.

1. *Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo* (Luc. 10). — Etsi non super-

biant de ejectis spiritibus, quia hoc nomini et gratiae Jesu attribuunt; tamen aliquem vanitatis saporem intervenisse, quod ad haec opera idonei visi sint, tradit Greg. (l. 3 moral. c. 4). Etiam in piis et sanctis suboriri solet complacentia de munere bene gesto pro Dei gloria. Sed sicut Deo debes, quod gesseris, ita quod te ad gerendum elegerit; ut tibi nulla, Deo omni ex parte cures satisfacere. Nec si daemonia passionum tuarum subjiciantur tibi, tuum est; sed totum Dei.

2. *Videbam Satanam tamquam fulgur de coelo cadentem* (Ibid.). — Exultantes vanitate discipulos memoria cadentis Luciferi corrigit: non quod delicto sint pares, sed quod eos velit etiam a minima vanitatis umbra abesse. Idipsum, cum te erigit superbia, aut de donis tibi concessis complacentia, tibi ingere: *Videbam Satanam cadentem.* Adde, unde? *De coelo.* Quid tu firmum speres in terra! Quis? Nobilissimus Angelorum. Et in te tolerabitur? Quomodo? *Tamquam fulgur.* Vix sumpsit cogitationem, adfuit poena. Nullum peccatum velocior punit Deus, quam superbiam.

3. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis* (Ibid.). — Gratiae gratis datae dicendi, docendi, ingenii, agendi cum proximo, etc., etiam reprobis conceduntur. Quid est, quod de iis exultes, quae te in aeternum perdere possunt? Vena veri gaudii de coelo est, ubi solum est verum bonum. Si nomen tuum in libro vitae reperias, tum exulta, quia es cum perenni bono. Quod gaudium tu quaeris? An aeternum? Vide quid ames. Gaudium enim amorem consequitur.

SABB. HEBDOMAD. XXI POST PENT.

Med. 355. — Quaestio legisperiti et responsio Christi.

1. *Quidam legisperitus surrexit tentans illum et dicens: Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo?* (Luc. 10). — Etsi malo animo proposita, tamen ad praxim optima quaestio. Utinam haec tibi quotidiana sollicitudo! Sed nota: *Quid faciendo?* Non speculando; ne major sit tibi cura sciendi, quam agendi; non vacuis desideriis suspirando, *sed faciendo:* operibus enim ad coelum itur. Indignus siquidem coelo est, qui coelum non desiderat, et pro eo comparando non operatur.

2. *At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est?* (Ibid.). — Ad legem remittitur quaestionis solutio. Si tibi eadem vitae aeternae cura est, quid facias in lege Dei, in consiliis, in regulis religionis et status tui reperies. Quantum desiderium est vitae, tantum debet esse et viae tenendae. Si aliam viam ambulas, quam praecepta et regulae ostendunt, quomodo dicam te coelum desiderare? Vide ergo quomodo accurate regulas observes. Verum enim est: *Quicumque hanc regŭlam secuti fuerint, pax super illos* (Galat. 6).

3. *Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum, sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac et vives* (Ibid.). — Approbat responsum Christus: ergo id agendum est, quod respondit legisperitus. Vide ergo titulos

amandi : *Dominum, Deum tuum.* Vide modum: *Ex toto corde, ex tota anima, etc. Hoc fac.* Facisne? Nihil aliud est in corde tuo, quod ames? Non vanitas placet? Non tu ipse tibi? etc.

DOMINICA XXII POST PENT.

Med. 356. — Parabola descendentis in Jericho.

1. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho* (Luc. 10). — In hoc homine miserum peccatoris statum intuere. *Descendit ab Jerusalem,* seu divinorum gustu. *In Jericho* seu instabilium voluptate. *Incidit in latrones* (Ib.), daemones et concupiscentias suas. Despoliant *eum* gratia et donis supernaturalibus. Plagis imponunt: intellectui caecitatem, voluntati horrorem boni. Semivivum relinquunt cum sola et informi fide. Expende haec vulnera fortassis aliquando tua; et si sapis, ab Jerusalem, et divinorum tractatione, non descende in Jericho, ad affectum terrenorum. Hinc enim omnium malorum origo.

2. *Accidit autem ut et sacerdos descenderet eadem via:... similiter et levita* (Ibid.). — Vident semimortuum et praetereunt. Transit *samaritanus.* In hoc Christum tui misertum concipe. Vidit te, et *misericordia motus est* (Ib.), etiam dum inimicus esses, *approprians* sua gratia: *alligavit vulnera* intellectus per lumina; voluntatis per desiderium boni. Infudit *oleum* veniae *et vinum* acre contritionis et timoris; et imposuit te *in jumentum* gratiae te portantis; *et duxit in stabulum* suarum ovium, *et curam* tui *egit* divina sua provi-

dentia. Agnosce tuam miseriam et Dei misericordiam, cui praesentem debes sanitatem.

3. *Altera die protulit duos denarios* (Ibid.), amoris et potestatis. *Dedit* eos *stabulario*, superiori tuo. Commendavit te illi: *Curam illius habe*, ut in integra et constanti sanitate conserveris. Quid diceres, si aeger ille noluisset admittere hospitis curam? Non censeres reprehensione dignum? At tu agis, dum vel huic, vel illi superiori subesse fugis, vel monentem non audis. Curam ille sibi demandatam exercet, tu non admittis.

FER. II HEBDOM. XXII POST PENT.

Med. 357. — Christus excipitur a Martha.

1. *Intravit* (Jesus) *in quoddam castellum; et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam* (Luc. 10). — Sciebat illa Christum Judaeis exosum et ad mortem quaeri; non timet tamen eum recipere et affectum ostendere. Talis debet esse in Christum affectus, qui nullo periculo frangatur. Sed quam facili metu tu recedis? Times *ubi non erat*, aut esse non debebat *timor* (Psal. 13). Times perdere gratiam hominis et cur non Dei, *qui potest et animam et corpus perdere in gehennam?* (Matth. 10).

2. *Et huic erat soror, nomine Maria quae etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius* (Ibid.). *At*, ut ait S. August. (serm. 27 De Verb. D.), *quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat.* Vis doctrinam Domini? Sede in quiete spirituali ad *pedes Domini* per humilitatem. *Confluit enim aqua.* Ait idem, *ad humilitatis convallem. Audiebat*, ad obedientiam promptam

significandam. *Sedens audiebat ad obedientiam praeceptoris ad utrumlibet parata* (S. Bern. serm. de Assumpt.). Ita ergo vacandum divinis, ut non minus promptus sis ad opera vitae activae.

3. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium* (Ibid.). — Satagere est *satis agere*. Satis agit, qui id agit, quod agendum est. Unum corpus sumus, multa membra. Singula suum officium agunt. Superior, oculus est: non satis agit si agat, quod manus debet; si in singulorum officia involet, quasi nihil agatur bene, nisi ab ipso. Linguae sunt doctores, concionatores: non satis agunt, si agunt quod capitis est, si superioritatem sibi arrogent. Quodcumque tu sis membrum, in quocumque officio hoc age, quod agendum est et satis agis.

FER. III HEBDOM. XXII POST PENT.

Medit. 358. — Martha queritur de sorore, corripitur a Domino.

1. *Quae* (Martha) *stetit et ait: Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* (Luc. 10). — Queritur et de sorore, quod non serviat; et de Domino, quod non jubeat. Agit eorum personam, qui vitae activae intenti comparant se cum aliis, qui cum proximo minus operantur, vel quia non possunt, vel quia non licet. Hinc murmura: cur non et iste id agat? Cur ego? Ut hoc evites, cogita: Domino sum curae, quocumque occuper; sed et alter est illi curae, etsi hoc non occupetur. Solus debes hoc agere? Quid tum? Etiam Dominus solus torcular calcavit. Et quo tu es melior?

2. *Et respondens, dixit illis Dominus: Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima* (Ibid.). — Servit Domino Martha, sed cum sollicitudine et turbatione, ex qua etiam Dominus arguit. Id vero Domino placere non potest. Turbatus animus non dat considerationi locum. Ut de effundit quaedam praetextu confidentiae, quae non sunt hujus temporis, loci, aut personae, aut non hoc modo dicenda. Sic ergo age, quidquid agis, ut numquam turberis. Praemeditatio agendorum aut dicendorum turbationem tollet.

3. *Porro unum est necessarium* (Ib.). — Unum edulii genus pro corpore sustentando intelligunt S. Hieron. et Gregor. quasi dicat Dominus, supervacaneam esse curam plura parandi. Unum edulii genus pro anima contemplationem Dei interpretatur Cassianus (Coll. I, c. 8). Cujus tibi pascendi potior cura est? Corporis, an animae? At certae animae potior esse debet. Ita enim Dominus probat optimam partem a Maria electam. Vide ergo, quam accurate spiritualia, tamquam pars optima, sint peragenda.

FER. IV HEBDOM. XXII POST PENT.

Med. 359. — Christus a pharisaeo invitatus hypocrisim reprehendit.

1. *Rogavit illum quidam pharisaeus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. Pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium* (Luc. 11). — Et quod tandem delictum est, quod Christus accubiturus manus non laverit? Cur non excusat fama, quae de Christo erat apud omnes? Superbia, sui

ipsius aestimatio sinistrum de Christo judicium ingessit. Qui bonus est et humilis, omnia alterius acta in bonum interpretatur. Dic, quid tu agis? Nonne facile judicas? Nonne ex culice facis elephantem? Nonne ab externis non malis arguis internum malum? Sed quis tibi revelavit, quae soli Deo patent?

2. *Et ait Dominus ad illum: Nunc vos pharisaei, quod deforis est calicis et catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate* (Ibid.). — Non damnat externam munditiem, dum moderata sit, sed majorem curam vult internae haberi. Cujus tibi potior cura est? Conscientiae, an cubiculi? Animae, an vestis? Calceum attendis, ne luto intamines: animae vero quam es incurius!

3. *Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit?* (Ibid.). — Praevenit objectionem, quae fieri poterat, externam munditiem in lege a Deo mandatam esse. At non minor est Deo cura internorum. Non rejicit externos virtutum actus, humiliationem, silentium ad injurias, etc. Sed vult ea ab interno prodire; alias sunt sine anima, et mortua opera. Non sis pictor qui solam actionibus tuis apparentiam tribuas: sed adde insuper, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (1 Tim. 1).

FER. V HEBD. XXII POST PENT.

Med. 360. — Renuit Christus esse judex inter duos fratres dissidentes.

1. *Ait ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum haereditatem* (Luc. 12).

— Satis probat affectum ad terrena, qui ob haec legem charitatis infringit et cum fratre dissidet. De haereditate aeterna cum Jesu agendum erat, quam venit nobis parare et agit de terrena. Quod quis amat, etiam quando cum Deo agendum est, volvit. Unde tuae in orationibus evagationes? Nisi quia, ubi affectus est, illuc rapit cogitationem. Tolle affectus pravos, tolles evagationes.

2. *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* (Ibid.). — *Non dignatur Christus judex esse litium et arbiter facultatum* (S. Hier. in c. 12 Luc.). Quare? Nonne opus erat bonum, asserere cuique, quod suum est? Aut fratres reconciliare? Ad finem suum attendit. Ideo, ait S. Ambrosius: *Terrena declinat, qui propter coelestia descenderat.* Disce alienis a tua vocatione negotiis te non implicare. Qui se Deo addixit, illi se probare debet, ideo enim se illi tradidit. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (2 Tim. 2). Non tibi blandire titulo prudentiae, aut charitatis: nec prudentia, nec charitas est, ut agas, quod non est tuae vocationis.

3. *Videte et cavete ab omni avaritia quia non in abundantia cujusquam vita ejus est* (Ibid.). — Quam errat mundus! *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt* (Ps. 143): Christus negat in horum abundantia esse vitam aut felicitatem. Felicior vita est, ubi animus inordinatis affectibus liber est. Reliquisti semel omnia, ut liber esses? Vide, ne, qui magna reliquisti, nugulis affigas animum. Non inde affectum aestima pravum, quod ampla desideret, aut amet; sed inde, Quod te a Deo avertat. Quid interest sive magno, sive parvo avoceris? Immo insanius est parvo.

FER. VI HEBDOM. XXII POST PENT.

Med. 361. — De divite avaro.

1. *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit* (Luc. 12). — Vide in hoc homine miserias, quas adferunt divitiae. *Cogitabat intra se:* quia non habebat amicum, cui confideret; *dicens: Quid faciam?* (Ibid.). Ecce quam animo anxius! *Quia non habeo.* Vox pauperis ista; quia avarus numquam habet satis. *Quo congregem fructus meos?* En sollicitudo congregandi, quod adhuc potest injuriis coeli destrui. *Hoc faciam: destruam horrea mea et majora faciam* (Ibid.). Ecce instans labor aedificandi et destruendi. At, quod pessimum est, nec unam cogitationem bonam sumpsit, vel Deo gratias agendi, vel iis ad gloriam Dei utendi. Quam felix tu, quem Deus his malis eripuit! Quas non debes Deo tuo gratias? Compatere iis, qui pari avaritia torquentur.

2. *Dicam animae meae* (Ibid.). — Nota hic errores. Secum tamquam cum alio loquitur, quasi non sufficeret concupiscentiae, quod unus esset. *Multa bona habes* (Ibid.). *Bona* vocat quae nomen non merentur. Vocat *animae bona*, quae ejus sunt perditio. *Posita in annos plurimos:* cum illa aut momento eripi possint, aut ipse illis. *Requiesce:* quietem suam in illis ponit, in quibus non est nisi labor, et afflictio. *Comede, bibe, epulare:* tamquam pecus easdem escas ponit animae, quae sunt corporis. Vide, quibus amoribus terrenorum amor hominem involvat! Ut merito judicio Dei *stultus* vocetur. *Stulte, hac nocte, etc.* Hinc conclude, quanto magis accedis affectu ad terrena, tanto

magis es stultus; tanto sapiens magis, quanto recedi.

3. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te* (Ibid.). — Ecce momentum, quod claudit omnia. *Hac nocte:* ubi sunt anni plurimi, quos designabat? *Quae autem parasti, cujus erunt?* (Ib.). Non sumes tecum. Quod congregasti, cedes alteri. Nudus ergo tu remanebis, qui eorum, quae animae prosint, nihil congregasti. *Sic est, qui sibi thesaurizat et non est in Deum dives.* Alio tu igitur mentem converte, ut sis *dives in Deum* meritis, ac bonis operibus. Vide, ne compareas *pauper et miserabilis* (Apoc. c. 3).

SABB. HEBDOM. XXII POST PENT.

Med. 362. — Quomodo expectandus Dominus in supremam horam.

1. *Sint lumbi vestri praecincti* (Luc. 12), et per continentiam castitatis, et per constrictionem appetituum, ne ad terrena defluant. Sic enim, ut talaris vestis, pedes animae impediunt, quo minus viam coeli expedite gradiantur. *Et lucernae ardentes* bonae doctrinae, et sanctorum luminum, non tantum in intellectu, ut cognoscatis; sed etiam *in manibus vestris*, ut opere exerceatis. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum* (Ib.), quasi jamjam pulsantem fores; *Dominus* enim *prope est* (Phil. 4). Vide, quid in te horum desideretur. Pendet anima per inordinatos affectus, quam saepe luto terrenorum foedas. Habes lucernam intellectus, sed non lucentem charitate. Habes lumina veritatum practicarum, sed non in manibus, non operibus expressarum. Non expectas

Dominum tuum, quia in tempore tuo dormis. Miser quid facies, si hoc momento compareat Dominus?

2. *Ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei* (Ibid.). — Nota vigilantis servi est, qui ut pulsantem dominum audiat, nullum tumultum patitur; qui aurem portae intentam habet, et illico Domino aperit; qui omnia parata habet, ut non tum primum debeat aut lucernam accendere aut necessaria parare. Estne ita anima tua constituta, conscientia ordinata, domus interior meritis et virtutibus instructa? Si ita quidem, beatus es. *Beati* enim *servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes* (Ib.). Si vero vixisti futurorum incurius, somno torporis oppressus, nunc tandem evigila. Omne momentum trahit periculum, et a momento pendet aeternitas.

3. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* (Ibid.). — Fur observat horam, qua ipse non observetur. Si non omni hora vigilas, nulla satis vigilas; quia illam observat, qua tu non vigilas. At *dies Domini, ut fur veniet* (2 Petr. 3). *Ecce judex ante januam assistit* (Jac. 5). Ergo *et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet* (Luc. 12). Non mirare quod furis nomen assumat Deus: tui gratia id facit, ut cautum reddat. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus* (Psal. 59).

DOMINICA XXIII POST PENT.

Med. 363. — Parabola ficulneae infructuosae.

1. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit* (Luc. 13). — Tu es arbor illa plantata in vinea religiosi status, aut Ecclesiae. A te quaerit Dominus fructum conformem tuo statui. Ut enim arbor quaevis fructum reddit *juxta genus suum* (Gen. 1), ita Deus non alium a te fructum quaerit, quam si sit juxta vocationem tuam. Quos ergo fructus protulisti hactenus? Quam paucos! Plus foliorum aut apparentiae fuit in te, quam operum. Vestis te religiosum magis probavit, quam vita. Nihil invenit in te Deus. Oh miser! Itane imposterum dimittes famelicum Jesum?

2. *Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?* (Ibid.). — Quot annos expectavit Dominus, ut fructum faceres? Tot quot vitae dedit, quot religionis. Quoties venit per superiores, per inspirationes et gratias quaerens, et monens, ut fructum feras? Et usque in hanc diem es idem, qui fuisti, nihilo teipso melior. Quanta Dei tui in te patientia! Quanta in te sterilitas! Nonne potuit tibi dicere: *Ut quid terram occupas* hanc tam sanctam, in qua alius uberrimos fructus ferret? Quid si dicat: *Mors succide illam:* Superior, succide illam ab hac vinea, non est digna quae terram occupet?

3. *At ille respondens dicit illi: Domine, di*

mitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora: et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam (Ibid.). — Agit hic cultor boni superioris partes. Amat ficulneam, seu subditum, pro quo deprecatur; vult ulteriorem habere patientiam. Vult *circa illam fodere* increpationibus et admonitionibus; vult *mittere stercora*, mortificando, humiliando, ad suae turpitudinis cognitionem inducendo in spem reddendi fructus. Sed quorsum cultor, si culturam non admitteres?

FER. II HEBDOM. XXIII POST PENT.

Med. 364. — Mulier decem et octo annis incurvata sanatur.

1. *Ecce mulier, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere* (Luc. 13). — In hac considera in terram pronas animas, quae *oculos suos statuerunt declinare in terram* (Psal. 16), quarum affectus solum terrena sapiunt. Quo fit, ut oculos cogitationum ad aeterna et divina non erigant. Quid infelicius hoc homine? Sed quot tu annos in hac infirmitate laborasti? Quam parum de Deo cogitasti? Quam immersus fuisti in limo profundi, deprimentibus te passionibus, quarum impetu ferebaris? Oh si nunc saltem erigaris!

2. *Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua* (Ibid.). — Haec est benignitas Jesu, nos sua gratia vocantis, et vota nostra praevenientis. Non dimittimur ab infirmitatibus passionum, nisi vocati accedamus ad Jesum per imitationem. *Et im-*

posuit illi manus, et confestim erecta est (Ib.). Semel tantum tactam esse a Jesu suffecit, ut erigeretur. At quoties te tetigit manus Domini, per externas internasque afflictiones: et nondum te erigis ad divina? Quoties te toto suo corpore et sanguine tetigit in Eucharistia, et adhuc terrena sapis?

3. *Respondens autem archisynagogus* (indignabatur praetexens violationem sabbati) (Ib.). — Dominus autem ostendit posse curari citra violationem sabbati, siquidem et asinus in sabbato adaquatum ducitur. Praetexit sabbati cultum, reipsa invidet gloriae Christi. Imitaris archisynagogum, si larva virtutis tua tegis vitia, si ratione defendis, si externe virtutem praesefers, interne tuo commodo servis.

FER. III HEBDOM. XXIII POST PENT.

Med. 365. — Pharisaei suadent Christo fugam.

1. *Accesserunt quidam pharisaeorum, dicentes illi: Exi, et vade hinc; quia Herodes vult te occidere* (Luc. 13). — Politicum hoc pharisaeorum inventum. Simulant amicitiam in Christum, quem perditum vellent. Gravis illis erat gloria Christi et plausus quem a populo ferebat. Ideo sub alio praetextu fugam suadent. Bene agendi ferenda est invidia. Ob hanc jubeberis aliquando inde abesse, ubi bene es operatus; cedere officium, quo gloriam Dei promovisti; quin et magnorum odium praetexetur. Quomodo ad haec es dispositus?

2. *Et ait illis: Ite, et dicite vulpi illi: Ecce ejicio daemonia, et sanitates perficio* (Ib.). — Quasi dicat: quod mei est muneris facio; hinc Herodem

non metuo. Impenetrabile scutum contra omnes persecutiones est agere, quod muneris est, et vocationis tuae. Quid facies inter odia, et calumnias? *Ejice daemonia* passionum tuarum, ut tunc *nulla tui dominetur iniquitas.* Quid facies oppressus invidia? *Perfice sanitates*, hoc est a sana mente non discede, ut quid indignum agas aut loquaris.

3. *Verumtamen oportet me hodie, et cras, et sequenti die ambulare* (Ibid.). — Ecce in ipso metus objectu constantia Christi. Perseveraturum se ait, quidquid periculi obviet. Quid tu ais, ubi molestiae occurrunt? Non petis mutare locum, non munus, ut eas declines? Hocne vere est ambulare in via virtutis, quae tentatione perficitur? Et cujus id virtutis est? Si ad fundum inspicias, est amoris proprii, est animi suorum commodorum amantis.

FER. IV HEBDOMAD. XXIII POST PENT.

Med. 366. — Sanatur hydropicus.

1. *Et factum est, cum intraret Jesus in domum cujusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum* (Luc. 14). — Cur fit eorum conviva, quorum novit malitiam? Ut eis prosit instruendo. Ita potius consulebat alieno bono, quam suo. Quid tu agis inter eos, qui tibi minus bene afficiuntur? Non declinas? Non evitas? *Observabant eum*, et censurabant acta. Esto paratus observari ab omnibus et in omnibus: alias non observabis omnia, quae observanda sunt. Non enim observabis charitatem, quae *patiens est, benigna est, et omnia suffert* (1 Cor. 13).

2. *Ecce homo quidam hydropicus erat ante il-*

lum (Ib.). — Teipsum cum S. Aug. (2 qu. Evang.) in hoc hydropico considera. *Hydropem habes concupiscentiam.* In hanc quo es indulgentior, eo ipsa evadit dirior. Quo enim cedis magis, magis invalescit. Utinam expertus non esses! Vide, quanto studio sit cohibenda. *Si* tui *non* fuerit, dominata, *tunc immaculatus* eris, *et* emundaberis *a delicto maximo* (Psal. 18).

3. *Jesus dixit ad legisperitos et pharisaeos: Si licet sabbato curare* (Ibidem). — Prudens quaestio, antequam opereris: *Si licet? Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit* (Ib.). Apprehendere est suum facere. *Festinat hominem curare, quem magis suum esse desiderabat* (Sedul. l. 4; Paschal. cap. 13). Nemo est animo sanus nisi eum Christus suum faciat. Vult et te suum facere: cur reluctaris? Cur mavis esse tuus?

FER. V HEBDOM. XXIII POST PENT

Med. 367. — Christus dedocet Pharisaeos ambitionem.

1. *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco* (Luc. 14). — Arcetur hoc aphorismo prioris loci aut honoris appetentia eo argumento, quod eam sequatur confusio ex justa alterius praelatione. Cui te praeponis, is tibi judicio Dei antefertur. Et merito: quia tu tibi Christum postponis. Absit, inquis. Immo facis, si te non omnibus postponis. Christus se omnibus postposuit: *Novissimum vivorum* (Isai. 53). *Abjectio plebis* (Psal. 21). Ergo si vel uni te anteponis, anteponis te Christo, qui se eidem postponit. Igitur merito is, cui te praeponis, judicio Dei tibi an-

tefertur, qui *novissimum virorum* omnibus praeposuit.

2. *Cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco* (Ib.). — Aphorismus hic ad humilitatem spectat. Eum tibi locum suadet Christus, quem ipse elegit: elegit autem *abjectus esse* (Ps. 83) et *semetipsum exinanivit* (Phil. 2). Non velles quam vicinissimus esse Christo? Ergo debes te infra omnes demittere, quia is se post omnes reposuit.

3. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (Ib.). — Alius est ordo mundi, alius Dei. Quo quis inferior est in ordine mundi, eo superior est in ordine Dei, et e converso. Christus in ordine mundi postremus est, in ordine Dei primus. Igitur quantum ad Christum in ordine hominum te depressisti, tantum in ordine Dei cum eo exaltaberis. Unde ergo caecitas tua, qua non vis ex postremis esse? Quid amabilius, quam, esse Christo propinquum? Responde tibi et erubesce.

FER. VI HEBDOM. XXIII POST PENT.

Med. 368. — Parabola de ove perdita.

1. *Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant pharisaei et scribae dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis* (Luc. 15). — Quam oppositus est fastui pharisaeorum spiritus Christi! Illi superbe despiciunt et vitant peccatores tamquam immundos: Christus eos allicit et blande excipit. Uter in te spiritus dominatur? Murmurant, quod *peccatores recipiat*. Quam essemus mi-

seri, si hoc non faceret? Si te non recepisset, in qua abysso volvereris?

2. *Et ait ad illos parabolam istam* (Ib.), qua suum institutum et finem explicat, et sic causam reddit, cur peccatores recipiat. *Homo* quidam (ipse Christus) ex *centum* ovibus, sive ex omnibus creaturis rationalibus tum in coelo, tum in terra, *unam* perdidit, nempe hominem, seu te, per peccatum. Dimisit *nonaginta novem*, nempe angelos: ivit *ad illam, quae perierat* (Ib.), scilicet ad te; quaesivit te, quot angustiis et doloribus! Per quae tormenta sua! Quam arduas vias ivit, a stabulo usque ad crucem! Invenit te, sumpsit te in humeros suos et deportavit te in hoc ovile, in quo vivis. Agnosce, quam turpiter erraveris: quam sequendo unam herbulam voluptatis, in immania praecipitia deveneris. Agnosce tui Jesu benignitatem et amorem, qui te quaesivit, inventam in hoc ovile detulit. Absit, ut posthac erres.

3. *Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat* (Ib.). — Oh bonitas Jesu mei! Ego convocare deberem omnes creaturas, ad gratulandum mihi, quia inventus sum et vitam recepi: ille sibi gratulatur, quasi me invento lucrum reciperet. Ah! si tantum gaudium habet Deus, te invento, noli te ei iterum subtrahere; immo vero te ipsum denuo illi dona.

SABB. HEBDOMAD. XXIII POST PENT.

Med. 369. — Parabola de filio prodigo.

1. *Homo quidam* (Deus) *habuit duos filios* (justos te peccatores): *et dixit adolescentior ex illis* (pec-

cator) *patri: Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit* (Luc. 15), talenta naturae et gratiae, quae bonis et malis Deus distribuit. *Et divisit illis substantiam.* Dat enim unicuique ipse fine optimo, ut eis ad vitam aeternam utamur. Seu justus, seu peccator sis, quanta accepisti a patre tuo? Quae dona naturae? Quantum cumulum gratiarum? Si alteri ea contulisset, quae non praestitisset? Quid tu illis agis?

2. *Et non post multos dies* (Ibid.): neque enim peccator diebus multis a peccato abstinet: *Adolescentior filius peregre profectus est,* procul a patria coelesti, procul a patre Deo, *in regionem longinquam* (Ib.), ut quo remotior esset a patre, eo lincentiosius viveret, nec reverentia oculorum patris refraenaretur. *Et ibi dissipavit substantiam suam,* gratiam, dona supernaturalia; intellectum quoque et voluntatem depravavit, *vivendo luxuriose,* secundum impetum suarum concupiscentiarum. Utinam non is sis, qui hac parabola depingaris! Recogita annos adolescentiae tuae: *Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris... Domine* (Ps. 24).

3. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere* (Ib.). — Semper enim eget, qui nihil Dei habet, qui vivit secundum concupiscentias; nam concupiscentia *ignis* est, qui *numquam dicit: Sufficit* (Prov. 30). *Et abiit, et adhaesit uni civium* (Luc. 15), seu daemonum, seu pravarum consuetudinum. *Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos* (Ib), suos appetitus, sensuum voluptates sequeretur *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis* peccatorum, *quos porci* infernales *man-*

ducabant; et nemo illi dabat ad sufficientiam, quia quo plus peccabat, plus peccare quaerebat veluti famens. Oh misera peccatoris conditio! Quo devenit, qui semel a Deo recedit et non illico revertitur! Oh nobilis creatura, tot ornata donis, quo sponte tua decidis!

DOMINICA XXIV POST PENT.

Med. 370. — Filius prodigus in se revertitur et poenitentia ducitur.

1. *In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* (Luc. 15). — Poenitentis forma describitur: ac primum quidem est agnitio miserandi sui status. Si tuus non est tam miserandus, est tamen qui possit esse felicior, et ad hunc aspira. Non es in regione longinqua situs, qui vivis inter filios Dei; laboras tamen multarum virtutum defectu, et quod pessimum est, earum famem non sentis. In via perfectionis primum debet esse fames virtutis.

2. *Surgam et ibo ad Patrem meum* (Ibid.). — Est propositum *non demorandi in errore impiorum* (Eccli. 17), cum spe veniae concepta ex consideratione affectus paterni. Vidisti, in qua jaceas imperfectionum regione: dic tandem tibi ipsi: *Surgam.* Pater meus coelestis non me rejiciet, qui non vult mortem peccatoris. Dixisti id saepius: surgam; sed numquam id serio praestitisti. Velleitas fuit, non resoluta voluntas. Dic ergo jam:

Surgo ex hac imperfectione, numquam amplius, etsi me mori oportuerit, in eandem lapsurus.

3. *Et dicam ei: Pater, peccavi in coelum et coram te* (Ib.). — Est ingenua confessio et humilis contritio, pure quod patrem offenderit. Si filius improviso casu patrem vulneret, re postea cognita, quis erit boni filii sensus? Unicum dolebit se patrem offendisse. Tu patrem offendisti, non ita quidem ignoranter, ut non peccaveris; sed non ita scienter, ut cogitaveris te patrem offendere. *Ergo saltem amodo voca* eum : *Pater meus... tu es* (Jer. 3). *Jam non sum dignus vocari filius tuus* (Luc. 15). Satisfactio est privativa, qua se bono, quo gaudere poterat, libenter privat. *Fac me sicut unum de mercenariis tuis* (Ib.) est positiva, qua vult affligi. Id tu quoque age. Quoties delinquis, priva te delectabilibus et sensibilem poenam impone sine indulgentia. *Et surgens venit ad patrem suum:* est propositi executio. Oh si talia sint tua proposita, quae statim ad executionem deducas! Infelicissimum est semper parturire et numquam parere.

FER. II HEBDOM. XXIV POST PENT.

Med. 371. — Filius prodigus cum gaudio a patre excipitur.

1. *Cum... adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus... cecidit super collum ejus, et osculatus est eum* (Luc. 15). — Benignitatem Dei in te peccatorem hic cogita. Non exprobrat filio malos mores, qui videt et amat cor contritum et humiliatum. Quam debet in te fiduciam et amorem tanta benignitas et miseri-

cordia excitare! Ut prius velis omnia mundi tormenta et infamem mortem sustinere, quam ab eo amplius recedere, qui te revertentem tam benigne recepit.

2. *Dixit autem pater ad servos: Cito proferte stolam primam* (Ibid.), gratiae justificantis; *et date annulum in manu ejus*, in signum libertatis filiorum Dei, *et calceamenta* verae coram Deo nobilitatis, *in pedes*, seu affectus ejus, quibus coërceantur. *Et adducite vitulum saginatum*, Christum in Eucharistia, *et epulemur*. Vide, quantum gaudium super te peccatore poenitentiam agente Deus ostendit. Ah! Noli illi hoc gaudium tollere, ut revertaris ad porcos.

3. *Erat autem filius ejus senior in agro, et cum veniret... audivit symphoniam... et interrogavit, quid haec essent* (Ibid.). — Audivit reversum fratrem, celebrari ei convivium; indignatus noluit introire, donec rogatus, et persuasus est a Patre. Considera hic non invidiam justorum, qua carent, sed magnitudinem amoris, quo Deus revertentem peccatorem recepit, quae invidiam justis creare posset: et erigere in fiduciam eum semper accedendi, quoties etiam leviter delinquis; quia summa ejus voluntas est peccatores poenitentes recipere. Ut pater seniori filio satisfaciat, ait illi: *Tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.* Haec justorum portio est, esse cum Domino, et in bonis coelestibus cum eodem communicare. Oh quale solatium: *Tu semper mecum es!* Oh qualis felicitas: *Omnia mea tua sunt!* Et quis velit a tam bono Patre discedere?

FER. III HEBDOMAD. XXIV POST PENT.

Med 372. — De villico iniquitatis.

1. *Homo quidam..... habebat villicum, et hic diffamatus est, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae: jam enim non poteris villicare* (Luc. 16). — In hoc villico te considera, cui Deus non tamquam Domino, sed tamquam oeconomo dedit bona corporis et animae, naturalia et supernaturalia. Nihil tui habes, etsi studio tuo te aliquid comparasse credas. Obligaris ergo ea omnia ad placitum Dei impendere. Erit hora qua audies: *Redde rationem*, in quid, quo fine, quo modo ea bona impendisti? Quidquid non cessis ad gloriam Domini, dissipatum est. Ini mature rationes, quia prope est hora.

2. *Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem?* (Ibid.). — Unde haec villici sollicitudo? Ex conscientia pessimae suae administrationis, et certitudine tollendae villicationis. At te nulla tangit reddendae rationis sollicitudo. Oh si serio cogitares, quam infideliter bona tibi concredita administraveris, quam salubriter angereris! Examina, quo impensum corpus? Quo corporis sensus? Quo intellectus, cogitationes, voluntas, affectus, passiones? etc. Non ignoras tibi haec omnia ad Dei gloriam impendenda fuisse. Itane a te actum? Quantum mundo, quantum carni, quantum amori proprio ac vanitati datum est! Ut ergo salubris te cura subeat, cogita nunc serio, quid facias. Postea serus erit labor, sera auxilii meditatio.

3. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* (Ib.).— Sibi in futurum prospicere, res magnae prudentiae est. Hoc est, in quo filii lucis superantur a filiis saeculi in suo genere. Quam illi ad suos fines disponunt media! Quam nullum intentatum relinquunt! Quam instant impense, et quidem *ut corruptibilem coronam accipiant!* (1 Cor. 9). Et quid agis tu, qui filius es lucis, vocatus ad nobilius institutum, gratia majori cumulatus, majoribus auxiliis adjutus? Filii saeculi mundo placere quaerunt, tu Deo. Quas illi vigilias impendunt, quos labores, quas difficultates, quomodo die noctequе de mediis emergendi cogitant! An et tu ista pro Deo, pro aeternitate absorbes!

FER. IV HEBDOM. XXIV POST PENT.

Med. 373. — Parabola de divite epulone et Lazaro.

1. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus... cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis... Sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus* (Luc. 16). — Quem tu ex duobus felicem, quem infelicem arbitraris? Si sensum consulas, divitem dices felicem, Lazarum miserum. At fides contrarium docet. Cui assentiris? Nonne sensus errat? Et tamen quantum isti indulges! Quam e converso odisti necessitate premi, aut re quacumque sensui contraria molestari! Sed quod fugis, ad salutem ducit; quod sequeris, ad perditionem.

2. *Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae* (Ib.). — Hic humilis, aerumnosae et in mundo despectae conditionis est finis. Brevem et morituram afflictionem immortale gaudium excipit. Quam *est momentaneum et leve tribulationis nostrae*, quod *aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (2 Cor. 4). Appende in bilance, *momentaneum et aeternum:* et vide, an sint *condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (Rom. 8).

3. *Mortuus est... dives, et sepultus est in inferno* (Ibid.). — Hic exitus ejus, qui secundum sensum felix videbatur. *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt* (Job 21). Si nondum capis quam infelix sit vita quae secundum sensum ducitur, ex fine intellige. Momentaneam et insanam laetitiam aeternum vae sequitur. Quam merito timere debes omnem sensus indulgentiam! Quam illum affligere! Quam coërcere! Ut ei non nimium indulgeas, ultra necessitatem nihil indulge.

FER. V HEBD. XXIV POST PENT.

Med. 374. — Cruciatus epulonis.

1. *Elevans autem oculos..... vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus* (Luc. 16). — Vidit a longe Lazarum, quem vicinum nec intuebatur. Vidit in gloria, quem in infirmitate despiciebat. Sic rerum vertitur ordo. Rogat: *Pater Abraham, miserere mei* (Ibid.). Sed sero nimis. Elapsum est miserendi tempus: adest tempus aeternae justitiae. In vita agendum est, quo fruaris in aeternitate. *Mitte Lazarum, ut intingat extre-*

mum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam. Nullo non cruciatur membro, de sola lingua queritur. Gravius hujus fuisse tormentum crede, quia lingua inopi Lazaro insultavit. Quid si scommata dixeris, aculeos, detractiones? etc.

2. *Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua* (Ibid.). — Quae? Concupiscentiae carnis: *epulabatur quotidie;* concupiscentiae oculorum: *erat dives;* superbiae vitae: *induebatur purpura et bysso* (Ibid.). *Et Lazarus similiter mala.* Quae? Illis bonis contraria. Nam mendicus erat ulcerosus, despectus. *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Haec vicissitudo est: si hic gaudium, ibi tormentum; si hic tormentum, ibi gaudium. Noli tibi persuadere, et hic tibi posse esse secundum sensum bene, et ibi secundum animam. Ergo quantum hic cruciatum sensui inferes, tantum gaudebis ibi: quantum hic illi concedes, tantum ibi gaudio et gloriae detrahes.

3. *Habent Moysen et prophetas: audiant illos* (Ibid.). — Ita epuloni, ut Lazarus ad fratres vivos poenarum nuntius mittatur, roganti respondetur. Noli quaerere, ut Deus te per inusitata media ad vitam aeternam dirigat, ut ipse tibi compareat, ut Angelum mittat, qui voluntatem Dei explicet. Habes superiores, per quos regaris, his te committe. Ita enim Deus statuit ordinate mundum regere. Ergo usitatis mediis utere et accurate iis insiste, quae statuunt leges.

FER. VI HEBDOM. XXIV POST PENT.

Med. 375. — Parabola iniqui judicis et viduae.

1. *Oportet semper orare et non deficere* (Luc. 18). — Si nullum sit tempus expers periculi, adversus quod oratio sit praesens remedium, tum semper oportet orare. Sed, quae hora est, qua tibi periculum non faciunt mundus, caro, daemon; qua in te non est lucta spiritus et carnis? Hoc periculum tanto gravius est, quanto occultius. Noli ab oratione deficere. Ubi deficis, hostis proficit. Vere et instanter orantibus Deus assistit.

2. *Vidua... erat..... et veniebat ad* judicem, *dicens: Vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus* (Ibid.). — Etsi esset iniquus judex, *qui* nec *Deum timebat*, nec *hominem reverebatur* (Ibid.); vidua tamen quotidie eum interpellabat et toties repulsa orare non desistebat. Videris tibi a Deo repelli, quod non impetres ab hac, aut illa tentatione liberari? *Non vult* Deus *per multum tempus*. Immo tamdiu vult, quamdiu non aufert a te spiritum orationis: quia tam diu te hoc clypeo protegit. Si tu illum rejicias, Deum non culpa.

3. *Post haec autem dixit* judex... *Molesta est mihi haec vidua; vindicabo illam* (Ibid.). — Si iniquus judex hoc fecit, *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte...?* (Ibid.). En habes promissionem vindictae de adversariis tuis. Si nondum eam sentis, signum est, quod non ita ores, sicut illa vidua. Dic, quo affectu ores contra illum adversarium, qui blanditur carni et repugnat spiritui? Aestimatio-

nem sequuntur affectus. Forte nec aestimas tuum hostem, affectum carnis, amorem tui, etc. Et quomodo credam te tanto affectu contra eum orare? Agnoscere ergo debes te hostem tui, et agere quae in hostem ageres; et non cum hoste tuo conspirare.

SABB. HEBDOM. XXIV POST PENT.

Med. 376. — Parabola pharisaei et publicani orantium.

1. *Pharisaeus stans* (Luc. 18). — Estne haec humilis corporis compositio ante Deum? *Orabat: Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut caeteri hominum* (Ibid.). Quae arrogantia, quae, nullo excepto, omnes prae se despicit? *Raptores, injusti, adulteri.* Tales alios judicat, qui se magnum aestimat. *Velut etiam hic publicanus.* Qui sibi uni magnus est, temere de alio judicat, cujus interna non novit. *Jejuno bis in sabbato; decimas do omnium quae possideo.* Quae ista suarum opum est jactantia? Quae mica orationis est in tota hac oratione? Damnas jactabundum pharisaeum? Vide, ne sis talis aliorum contemptor, tui aestimator. *Ne dicas: Sufficiens mihi sum* (Eccli. 11).

2. *Et publicanus, a longe stans* (Ibid.), sed non erecta cervice, indignum se reputans, qui propius aram accederet. *Nolebat nec oculos ad coelum levare,* ex interna sui confusione: *sed percutiebat pectus suum* dolore contritum dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Sibi veniam humiliter rogat. Accipe formam, quam orans sequaris. Sit oratio et meditatio tua humilis; occupetur in tui ipsius cognitione, in expurgatione animi a pravis affectibus.

3. *Dico vobis, descendit hic justificatus in do-*

mum suam ab illo (Ibid.). — Habes hic de utroque orante sententiam Dei. Justificatur humilis, damnatur superbus. Ita tu semper melior ab oratione surges, si ejus tempore versatus fueris in humili tui cognitione et abjectione, iisque affectibus, qui hanc consequuntur. *Videte, fratres, magis placuit Deo humilitas in malis factis, quam superbia in bonis factis. Ita Deus odit superbos* (S. August. in Ps. 93). Hinc nec te laudabis, nec laudari affectabis. Vives te et Deo contentus.

DOMINICA XXV POST PENT.

Med. 377. — Repuerascendum pro regno Dei.

1. *Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret* (Luc. 18). — Multum refert quibus quisque imbuatur principiis a teneris annis. Ipse hoc experiris. Oh si statim allatus fuisses ad Christum! Si instructionem te adducere volentium acceptasses! Hoc non egisti? Expedit ergo, ut jam per virtutem fias parvulus, et te a superioribus ad Christum duci patiaris: idque tanto magis, quanto in vocatione es tenerior. Quia ab hoc principio omnis reliqua vita dependet. Talis in omnem vitam eris, qualis a prima novitiatus disciplina abibis.

2. *Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Jesus autem... dixit: Sinite pueros venire ad me* (Ib.). — Ostendit Christus, quam carum sibi sit animas innocentes ad se venire. Venisti innocens? Gratiam inaestimabilem es consecutus. Ex quo tanto gravius tibi incumbit debitum innocen

tiam apud Christum conservandi. Roga ergo Dominum semper, ut in hunc finem in Eucharistia cor tuum tangat. Committuntur tibi juxta vocationem tuam parvuli? Cura, ut ad Christum adducas potius per virtutem, quam ut per scientias illumines. Non minus enim ad hoc obligaris, quam ad istud. De utroque Deo respondebis.

3. *Talium est enim regnum coelorum* (Matth. 18). — Adverte non *istorum* tantum qui non possunt peccare; sed talium, qui per virtutem non volunt, *est regnum coelorum*. Ergo debes repuerascere; peccata et imperfectiones omnino ignorare, ut bene agas; simplicitate quadam velut naturali in bonum ferri: nisi hoc facias statutum est: *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud* (Marc. 10).

FER. II HEBDOM. XXV POST PENT.

Med. 378. — Dives adolescens eruditur ad vitam aeternam.

1. *Ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* (Matth. 19). — Quantum in hoc adolescente est vitae aeternae desiderium! Sed quantum est tuum? Ex cura, quam ejus consequendae causa impendis, mensurare potes. Si parum aut raro sollicitus es, nullum est tuum desiderium. Et tamen est necessarium. Ergo quotidie quaere potius, quid faciam, quam quid docebo? Quid discam? Quid loquar? Scientiis et verbis non obtinetur coelum sed factis.

2. *Qui dixit ei:... Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Ib.). — Quod saeculari de mandatis Dei, hoc religioso de suis regulis dicitur. Non dico: non ibis ad coelum, si regulas, quae

sub mortali non obligant, non serves; sed dico non ibis via tuae vocationis, non ibis expeditius. Immo si spernis, aegre ibis: quia *qui spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. 19).

3. *Dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea* (Ibid.). — Quam felix, si hoc dicere possis de juventute tua in vita saeculari! Quam felix, si ab ingressu religionis dicere possis te regulas observasse! Sed in utroque quam procul abes! Hoc ipsum tibi motivum esse debet ad accuratam earum observationem; quia Deus vult te per hanc viam ad salutem dirigere.

FER. III HEBDOM. XXV POST PENT.

Med 379. — Diviti adolescenti suadetur perfectio.

1. *Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo* (Matth. 19). — *Jesus intuitus eum, dilexit eum* (Marcus praemittit c. 10). Sed quomodo ostendit dilectionem? Docendo viam perfectionis, et thesaurum spondendo. Docet enim, non tantum quomodo salvus fiat, sed quomodo in gloria major evadat. Quae felicitas tua, si eam bene assequeris, qui sic vocatus es? Quam nihil est, quod dimisisti! Quam magnum, quod reponitur! Majorem hunc thesaurum reddere potes, si affectum e terrenis semper magis purifices.

2. *Cum audisset adolescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones* (Ibid.). — Vide, quantum noceat affectus ad creaturas. Ille etiam innocens adolescens a Christo avellitur. Sed et tu hoc malo laboras. Vis hoc commodo tuo non carere, et simul coelum obtinere? Emendum

est coelum; non plura dando, sed minus retinendo. *Elegi te in camino paupertatis* (Isai. 48). Qui affectu purior in hoc camino est, electus est. Quis hic tibi ad hoc medium obtinendi coelum est affectus? Quam ab omni creatura avulsus?

3. *Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum* (Ibid.). — Veritas haec scripta plana est. Ergo a contrario pauper non difficile intrabit in regnum coelorum. Quam gratulari tibi potes, quod Deus te ad viam coeli reposuerit, qua facilius id obtineas! Sed non crede satis esse, quod reliqueris omnia, nisi et te relinquas, et affectu a creaturis recedas. Non enim Christus tibi difficultatem coeli facit, sed tu ipse, seu affectus inordinatus.

FER. IV HEBDOM. XXV POST PENT.

Med. 380. — Praemium eorum, qui relictis omnibus Christum sequuntur

1. *Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* (Matth. 19). — Ad quaestionem de praemio duo praemittit Petrus: 1. *Reliquimus omnia.* 2. *Secuti sumus te,* quasi tacite dicat: non auderem de praemio quaerere, nisi haec nos praestitisse ostenderem. Reliquistine omnia? Etiam te ipsum? Curam commodorum, honoris, sensualium? Oh quam tibi mentiris, te reliquisse *omnia,* si haec non reliquisti! Esne Christum secutus in paupertate, in contemptu? etc.

2. *Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis... sedebitis et vos su-*

per sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël (Ibid.). — Dignum est honorari a Christo eos, qui ejus amore omnibus facti sunt despecti. Quam tunc jucundum erit Christum inopem et contemptum elegisse? Cur ergo nunc non eligis? An nunc alia veritas, tunc alia? Dies Domini revelabit falsum, quo nunc niteris; verum, quod spernis. Quoniam honor ille praesente contemptu venalis est.

3. *Et omnis, qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores... aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (Ibid.). — Relinquenti sua spondetur praemium. Quantum? Centuplum. Neque id in alteram vitam rejicitur, sed in hac datur. Quid utilius? Adjicitur certitudo futurae vitae. Quid jucundius? Quare ergo quandoque tristis es, anima mea? Fierine potest, ut non vivas contenta tuo centuplo? Non recepi, inquis. Mentiris. *Nemo est, qui reliquerit* omnia, *qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc... cum persecutionibus* (Marc. 10). Si non recepisse te dicis, mendacem facis Deum. Non experior, inquis. Ergo vere non reliquisti omnia, non te omnino expoliasti. Ergo affectum omnem evacua, ut experiaris.

FER. V HEBDOM. XXV POST PENT.

Med. 381. — Parabola operariorum in vinea.

1. *Simile est regnum coelorum homini patrifamilias* (hic Deus est), *qui exiit primo mane.. circa horam tertiam... sextam et nonam* (in omni hominum aetate) *conducere operarios in vineam suam* (Matth. 20), sive in statum quemdam cuique certum vivendi. *Circa undecimam vero exiit.*

et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Agnosce te in vineam ad societatem vocatum et gratias age. Vide, ne hic sis otiosus, si forte, antequam conducereris, fuisti. Nihil est magis tuum, quam tempus: cujus usus a te uno solo pendet, ut omni momento uti possis vel in vitam, vel in mortem. Sed nihil est minus tuum, quam tempus; cujus aeque ac vitae tuae abusus est vetitus. Quod *enim vivimus*, Deo *vivimus* (Rom. 14). Quantum tu temporis projicis otiosis colloquiis? *Tantam gloriam omni hora negligis, quanta bona interim facere potuisses* (S. Bonav. l. 1 de prof. relig. c. 13).

2. *Cum sero autem factum esset* (primo post mortem momento), *dicit Dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem* (Ib.). — Quanto hoc verbum erit solatio! Sed solum operariis, non otiosis. Illum vesperum saepe cogita. *Adesse festinant tempora* (Deut. 32). Reddit ergo mercedem, aequalem omnibus, etsi alii longiore, alii breviore tempore laboraverint. Deus enim in opere magis fervorem et puritatem intentionis attendit, quam tempus impensum. Veneris autem mane, aut sero, ad mensuram fervoris recipies. Noli tibi de annis religionis blandiri: Deus ponderat fructum emendationis.

3. *Venientes autem et primi... accipientes murmurabant* (Ib.). — Hic seniorum, sed tepidorum defectus est. Putant sibi plus deberi, quia diutius sunt in religione; et non cogitant, quo animo, quo profectu. Nos *portavimus pondus diei et aestus* (Ib.): contemnunt alios. *Hi novissimi una hora fecerunt:* isti juvenes, heri nati, etc. Et non conferunt suum teporem cum illorum fervore.

Denique invident : *Pares illos nobis fecisti ;* si quid juveni bene merito concedatur, si elevatur, etc. Quibus merito respondetur : *Non facio tibi injuriam.* Absint ista a te ; sed quantum tempore, tantum virtutibus et meritis procede.

FER. VI HEBDOMAD. XXV POST PENT.

Med. 382. — De Lazaro aegrotante.

1. *Miserunt ergo sorores* (Lazari) *ad* Jesum, *dicentes : Ecce, quem amas, infirmatur* (Jo. 11). — Quaerunt fratris sanitatem ab optimo medico cum fiducia et indifferentia. Non allegant sua merita, nec suum aut fratris in Christum affectum, sed solum amorem Christi in Lazarum. Id enim quo solo persuadetur, ut nobis benefaciat, est amor, quo in nos fertur. *Dixit eis Jesus : Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei* (Ib.). Sano judicio credere debes, morbum illum fuisse Lazaro beneficium, quod inde emergeret gloria Dei. Non aliud de tuis malis judica, ut te illis subdas humiliter, ne Deo gloriam fureris.

2. *Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum* (Ib.). — Quomodo ergo, *ut audivit quia infirmabatur, tunc... mansit in eodem loco duobus diebus?* (Ib.). Hoc ergo est amare, non succurrere in tempore? Pati amici mortem amicorum afflictionem? Ita Deus amat, non molliter, sed utiliter ad finem, ad quem nos creavit. Patitur, et vult Lazarum mori, quia hoc erat pro gloria Dei. Credisne, Deum velle eas afflictiones quas pateris ? Certe si nollet, non affligerent. Ergo crede esse pro gloria Dei ; quia quidquid vult, ad hunc finem vult. Hoc si serio cogitaveris, mollius feres.

3. *Lazarus mortuus est: et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi* (Ib.). — Ostendit Jesus, ita a sua providentia ordinari ea quae putamus mala, ut inde emergant bona. Et hunc ex afflictionibus tuis vult fructum Deus, nisi tu impedias. Pateris? Vult, ut credas eum esse Dominum, te servum; eum posse de te ad libitum disponere. te obligatum obsequi. *Sed eamus ad eum.* Hoc in omni tribulatione solatium cape, quod ait Deus per Psalmistam: *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. 90).

SABB. HEBDOM. XXV POST PENT.

Med. 383. — Venit Jesus Bethaniam, ut Lazarum resuscitet.

1. *Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem* (Jo. 11). — Non illico Deus adest afflictis rebus, sed desperatis, vel ut, dum humana juvare non possunt remedia, ipse adjuvisse intelligatur; vel ut nostra quoque, quamdiu possumus, applicetur industria. Sic in Domino spera, ut tu quoque ad te juvandum coopereris: sic cooperare, ut spem totam in solo Deo reponas.

2. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (Ib.). — Duarum sororum Marthae et Mariae haec est querela, sed modesta et amica. Errant, si credant, quod absens corpore mortem impedire non potuerit. Potuit, sed non voluit: immo ideo adesse distulit, ut non velle intelligeretur. Mira res, quod Dei voluntatem ad nostram trahere velimus. Oppositum faciendum est: divina voluntas est nostra regula. Si tuam illi perfecte substernas, nihil unquam eveniet mali: quia quam illa est Deus, tam malum velle non potest.

3. *Martha vocavit sororem suam silentio dicens: Magister adest et vocat te* (Ib.). — Quae fidelitas Marthae! Vult participem solatii Mariam. Quod solatium Mariae! *Magister adest.* Quae dulcedo! *Vocat te.* Quis affectus et amor Mariae! *Ut audivit, surgit cito et venit ad eum.* Estne tuus tantus, ut statim properes, cum te Deus vel obedientiae signo, vel bona inspiratione vocat? Non detinent te aliquando solatiola humana? Maria autem reliquit Judaeos, *qui erant cum ea in domo et consolabantur eam.*

DOMINICA XXVI POST PENT.

Med. 384.— Lazari resuscitatio.

1. *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem infremuit spiritu... et lacrymatus est. Dixerunt ergo Judaei: Ecce quomodo amabat eum* (Jo. 11). — Ex paucis lacrymis quas Christus pro Lazaro fudit, colligunt Judaei magnum illius in hunc amorem, quem non capiunt, sed admirantur. Majora pro te fecit Christus: sanguinem fudit; vitam posuit; in sancta Eucharistia se ipsum dedit: et amorem nondum intelligis? Si intelligeres, redamares: non verbo, sed opere. Hoc certe non satis ostendis. Nam qualia sunt opera tua?

2. *Ait Jesus: Tollite lapidem* (Ibid.). — Quae in suscitatione Lazari aguntur, typus sunt eorum, quae fiunt, ut ab imperfectione tua surgas. Tollendus est lapis, seu affectus omnis, qui impedimento esse potest ad resurgendum. Posset Jesus verbo eum tollere, sed mandat tibi, ut tollas, quia

tuam vult cooperationem: tu autem velles, ut a se solo te sanctum faceret et tu nullam subires difficultatem. *Dicit ei Martha: Domine, jam foetet: quatriduanus est enim.* Agnosco foetorem imperfectionum mearum, in quibus non quatriduo, sed multis annis jaceo. Sed quam bonus Jesus! Non offenditur foetore, ut abstineat suscitare. Miserum me, si ejus bonitas non esset tanta!

3. *Tulerunt ergo lapidem* (Ibid.). — In circumstantiis resuscitantis Jesu et resuscitati Lazari, agnosce, quid tecum agatur, ut resurgas. 1. *Tulerunt lapidem;* quia deponenda est cordis durities, et obstinatus affectus. 2. Elevat *sursum oculos:* quia cogitatio a terrenis vertenda est ad cœlestia. 3. *Voce magna* clamat; quia audiri vult, ut inspirationibus ejus obsequaris. 4. Prodit Lazarus *ligatus pedes et manus;* quia etiam post mille proposita, quibus tibi videris resurgere, adhuc adhaerent tibi pravi habitus. Sed de his dicitur: *Solvit eum*, ut in iis tollendis serio labores.

FER. II HEBDOM. XXVI POST PENT.

Med. 385. — Filii Zebedaei primas sedes ambiunt.

1. *Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis... petens ab eo... Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram et alter ad sinistram in regno tuo. Respondens... Jesus dixit: Nescitis quid petatis* (Matth. 20). — De regno agunt, dum Christus de Cruce: etiam in schola Christi reperitur ambitio. Didicisse in hac debebas humilitatem et tui contemptum. Oh pessime discipule, qui terrena sapis et punctum honoris quaeris, ubi Deus

adjicitur! Vere nescis, quid petas. Regnum Dei non acquiritur honore, sed contemptu. Hunc tu fugis et tamen vis regnum Dei. Quae stoliditas tua?

2. *Dixit... Potestis bibere calicem* (Ib.). — Insinuat viam obtinendi regnum: non sedendo, sed per violentiam, per passionem, per mortificationem. *Quem ego bibiturus sum?* Si dicat tibi Jesus: Ego Dominus tuus, Deus tuus praecedam te; amarus est calix, ad cujus solam cogitationem ego sanguinem sudabo; sed tamen *bibiturus sum*; quid tu dices? Ah! resolve te, dic animose: possum per gratiam tuam, et volo. Dulcior est, postquam Jesus eum bibit. Quid non fecisti pro noxia in terris gloria? Et vilius tibi erit coelum?

3. *Sedere... ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis* (Ib.). — Vobis ambitiosis, et absque meritis; sed sola cognatione praetendentibus: *Non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis* (Ambr. l. 5 de fid. c. 2). *Regnum coelorum non personae, sed vitae paratum est* (S. Hier.). Merita ergo Christus exigit. Sed, quae sunt tua? Quam lentus affectus! Quam sterilis manus!

FER. III HEBDOM. XXVI POST PENT.

Med. 386. — Caecus mendicans apud Jericho illuminatus.

1. *Bartimaeus caecus sedebat juxta viam mendicans* (Marc. 10). — In hoc caeco statum animae tuae considera: 1. *Caecus* es ad divina, quibus intelligendis mentem non applicas; et dum lucem mundi quaeris, coeli amittis. 2. *Sedes* in torpore animi, dum in spiritu nihil progrederis, etiam post tot annos religionis. 3. *Juxta viam es*, non

in via regularum tuarum. 4. Mendicas a pertranseuntibus creaturis solatiola, non a Deo quem fastidis. Nonne taedet et pudet te miseriae tuae?

2. *Cum audisset, quia Jesus Nazarenus est, coepit clamare* (Ibid.). — Quod in curam corporis egit hic caecus, agendum tibi est in curam animae. 1. Captat primam occasionem: tu quot praeteriisti? Quae hodie dabitur, forte ultima est. 2. Increpitus a turba, magis clamat: *Jesu fili David, miserere mei* (Ib.). Non placebis mundo, tumultuabuntur passiones; perseverandum est; quia contra sensum eundum est. 3. *Projecto vestimento suo* exiliit. Projicienda est larva simulatae vitae, quae te tegit, et in candore animi ambulandum.

3. *Jesus dixit illi: Quid tibi vis faciam?* (Ibid.). — Bonitas Dei magna! Sed perversa tua caecitas, si quaerendum a te sit: quid tibi velis fieri, et non potius cum indifferentia et promptitudine quaeras: *Domine, quid me vis facere?* (Act. 9). Si videre vis quanto praestantius sit, te Dei voluntati adhaerere aut superiorum, quam eorum voluntatem ad tuam flectere, dic cum caeco: *Domine, ut videam* (Luc. 18) voluntatem tuam; quam ubi vides, debes illuminatus *eum* sequi *in via* (Marc. 10).

FER. IV HEBDOM. XXVI POST PENT.

Med. 387. — Zachaeus quaerit Jesum videre.

1. *Et ecce vir nomine Zachaeus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives; et quaerebat videre Jesum, quis esset* (Luc. 19). — Mira, quia rara res; *dives et princeps publicanorum* desiderat videre Christum, sed motus instinctu

Spiritus Sancti. Ad quem instinctum *quaerebat?* Ut videas non curiosum tantum, aut languidum fuisse desiderium, sed operativum. Scio, quod velis videre Jesum; sed non quaeris; non adhibes constanter ea media, quae huc faciunt. Miserum te, qui meris desideriis consumeris!

2. *Et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat* (Ibid.). — Duo hic habes, quae te impediunt, quo minus Deum perfecte videas et ei prope jungaris; primum est, *turba*, seu tumultuantes tui affectus et indomitae passiones animi; hae, ubi te vis Deo applicare, te retundunt; secundum est pusillitas tua, qua nec super illas emines, nec perrumpis. Agnosce ex te ipso, quam hoc verum sit, ut cognitione hac ad eas opprimendas ducaris.

3. *Et praecurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus* (Ibid.). — Hic habes, quid agere debeas, ut Jesum videas. 1. Debes *praecurrere* turbam, assidua praemeditatione et declinatione occasionum, quibus soles tuis passionibus obsequi. Laberis, quia quid agas non satis cogitas. 2. Debes te collocare eo loco, quo *Christus est transiturus*, idest occasionem boni quaerere et amplecti. 3. Debes *ascendere sycomorum*, idest *vanitatem saeculi vestigio proterere* (S. Ambr. lib. 8 in Luc.). Debes id non refugere, quod mundani censent stultitiam. Quid tibi ad haec animi est?

FER. V HEBDOM. XXVI POST PENT.

Med. 388. — Zachaeus Christum excipit hospitio.

1. *Suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit et excepit illum gaudens* (Luc. 19). — Non deerant plura Christo diversoria: Zachaei domum elegit, quia ille maximo ejus videndi tenebatur desiderio. Desidério ergo trahitur maxime. Noli a desiderio remittere, etiam cum inveneris Christum; quia semper habes, quod quaeras. Quidquid enim scias et agas, semper plus est, quod nec scis, nec agis. Fructus desiderii est, quod Christus divertat. Quomodo? *Oportet,* quasi cum quadam necessitate, *me manere:* non transeunter divertere. Vellesne hoc tibi evenire? Ergo accende in te desiderium Christi.

2. *Stans autem Zachaeus,* jam generosus et ad calcanda bona mundi resolutus, *dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (Ibid.). — Quod fuit desiderium absentis Christi, migravit in amorem praesentis. Quasi non posset hic amor stare cum amore temporalium, statim horum contemptus secutus est. Oh quoties divertit ad te Christus, idem omnino qui ad Zachaeum! Et necdum fastidis tua commoda et sensuum oblectamenta. Unde hoc? Quia nec vivum habes Christi desiderium, nec amorem. Age, si erro, quibus operibus probas amorem?

3. *Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est* (Ibid.). — Euthymius hic: *Salus fa-*

cta est, ejecta perditione, quae in ea morabatur. Audis? Quod non antea fiat salus, quam ejiciatur perditio. *Perditio tua ex te* (Os. 13). Non ergo antea salus quam tu a te ipso ejiciaris; nisi exturbes amorem excellentiae, commoditatum, gloriae. Si haec menti tuae adhuc inhaerent, longe est a salute: nec Christus in te inhabitat. Recede a te; et Christus, ac cum eo salus accedet ad te.

FER. VI HEBDOM. XXVI POST PENT.

Med. 389. — Granum frumenti cadens in terram.

1. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Joan. 12). — *Seipsum Jesus dicebat: ipse erat granum mortificandum* (S. August. tract. 51). Cecidit hoc granum in terram mortalitatis nostrae, mortificatum est per passionem et crucem. Fructum attulit salutem omnium praedestinatorum, et gratias reproborum. An et tu granum es in spica Ecclesiae aut religionis, quae ex illo grano prodiit? Debebis ergo fieri *panis Christi*, ut de se ajebat S. Ignatius M. Ergo debes triturari, ergo moli, ergo subigi, ergo in fornace multarum adversitatum excoqui. Non hoc ages ac patieris, ut Christi panis efficiaris?

2. *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam* (Ibid.). — Sensum de grano frumenti ad nos extendit ut multum fructum feramus in vitam aeternam. In qua classe es tu? Amantium animam suam sensuali amore, an eam odio habentium, resistentium pravis appetitibus et

sensui nihil indulgentium? A te stat, ut hoc, aut illud eligas. At, obsecro, non consule sensum, sed finem. Hic amantium, est perditio ibi, et in aeternum. Veritas dixit. Hic mortificantium, est ibi beatitudo aeterna. Huc consilia dirige, quo creatus es.

3. *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (Ib.). — Ad eos sermo est, qui ministrant Christo in procuranda aliorum salute. Ab his *operum sequelam, ac imitationem exigit* (S. Jo. Chrysost.), per viam solidae mortificationis; quam cum suadere debent omnibus, quos volunt in viam salutis adducere, necessarium est, ut et ipsi eam ambulent. Quid ergo tu agis? Vis ministrare Christo, sed non vis mortificari. Si rei ipsius honestas, et Christi exemplum tibi hoc non persuadent, persuadeat praemium: *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (Jo. 12).

SABB. HEBDOM. XXVI POST PENT.

Med. 390. — Christus in cruce exaltandus.

1. *Ego si exaltatus fuero a terra* (Jo. 12). — Sermo est de exaltatione in cruce. Suam ergo exaltationem et gloriam constituit Christus in crucis humilitate. Et nos *gloriari* oportet *in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. 6). Quam vereor, ut tu gloriam tuam quaeras non in confusione, sed in laude hominum, in plausu, in jactantia talentorum! Hoc vero est gloriae Christi adversari. *Omnia traham ad me ipsum* (Jo. 12), hoc est, meae potestati subjiciam. Per crucem enim adeptus est Christus, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur* (Philipp. 2). Scis quare passiones tuas tibi

non subjicias? Quia non *exaltaris a terra*, non ascendis in crucem per calcatam superbiam. Posthac ergo *absit* tibi *gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. 6).

2. *Respondit ei turba:.... Quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?* (Jo. 12). — Haec est ignorantia turbae. Videt et audit praesentem *Filium hominis*, et non agnoscit. Tu quidem ignorantiam similem non prodis verbis, sed factis. Offert se humilitatis occasio: audis interne monentem Deum: Hic calca tuam superbiam. Respondet confusionis timor: Erit alia occasio: non est opus haec publice fieri, etc. Tamquam Christus non esset in facie mundi suspensus. Merito ergo te reprehendat Christus: *Adhuc modicum lumen in vobis est* (Ibid.). Merito moneat: *Ambulate dum lucem habetis*, licet modicam, qua utendum est, ut ad majorem pertingas.

3. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis* (turbis), *non credebant in eum* (Ibid.). — Vita prava et corrupta afferebat impedimentum. Multa Christi dogmata intelliges mente, sed quia pravi affectus alio inclinant, facto non exprimis. *Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum* sed quam imperfecte! Nam *propter pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur* (Ib.). Quid non possunt humani respectus? *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Oh pudor, ne displiceas homini, elegis Deo displicere!

DOMINICA XXVII POST PENTEC.

Med. 391. — Ex lumine quisque suo judicabitur.

1. *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat* (Joan. 12). — Sedemus in tenebris intellectus obfuscati, et in umbra mortis, quam nostrae faciunt concupiscentiae. Offert se lux et invitat nos. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (Joan. 8); sed amamus magis tenebras. Unde? Quia lux haec non est otiosa, fides non sufficit mortua, sed operativa esse debet. Piget lucem semper se moventem, Christi virtutes sequi. Et semper ita? Ademptam corpŏris lucem ut recuperares, quid non ageres? Tam parvi est tibi lux animae?

2. *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo* (Ibid.). — Absit, inquis, ut spernam Christum: immane hoc scelus est. At non *accipis verba* ejus per inspirationes et lumina per regulas, nec tibi dicta per superiores. Atqui hoc ipsum est Christum spernere. Haec te *judicabunt in novissimo*. Dicetur enim: Hoc lumen oppressisti, hanc admonitionem sprevisti, hanc regulam proculcasti. Vide ergo, ne qui spernis, spernaris.

3. *Ego ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit... quid loquar* (Ibid.). — Quam felix in illa hora futurus es, si dicere possis: Ex me ipso nihil locutus sum, nihil egi, sed omnia ex mandato Dei vel superiorum. Sed hoc forte magis voves, quam prae-

stes. Nihil agis ad invitationem sensus? Nihil dicis ex passione? Hocne est agere et loqui ex mandato Patris? Noli te supremo illo solatio privare, quod nemo tibi alius dare aut tollere potest, quam tu ipse.

FER. II HEBDOMAD. XXVII POST PENT.

Med. 392. — De ficu maledicta.

1. *Mane revertens in civitatem, esuriit. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: et nihil invenit in ea, nisi folia tantum* (Matth. 21). — In hac ficu te considera. Esurit Dominus fructus operum tuorum, quos, si ingenuus es, hoc ipso titulo reddere debes, quia ille esurit. Venit ad te per tot gratias, quas ad bene operandum impertit. Veniet per particulare judicium in morte. Age, quos fructus protulisti? Nihil invenit, quod sapiat. Qua delusisti homines simulatione et externa virtutis facie, fuerunt *folia tantum*. Vellesne in illo judicio ita fructuum vacuus inveniri?

2. *Et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum* (Ibid.). — Et quare? Quia tantum folia habet. Sed tamen nondum *erat tempus ficorum* (Marc. 11). Mystica est significatio. Si ab arbore extra fructuum tempus fructum requirit, quanto certius requiret a te in tempore reddendae frugis? Et adhuc tempus negligis? Occasiones praeteris? Gratias dissipas? Et solis contentus foliis, simulas fraudulenter virtutem? Non times illud: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter?* (Jer. 48).

3. *Et arefacta est continuo ficulnea* (Matth. 21).

— Subtracto scilicet succo, quo aleretur. Haec est eorum poena, qui gratiis non respondent. Succus quo alantur in fructus bonorum operum, sunt auxilia gratiae; haec merito subtrahuntur iis qui non utuntur. Hi exsiccantur deserti a gratia, sine qua certum est non posse a nobis ullum opus meritorium fieri. Unde qui noluerunt cum poterant, non poterunt cum volent. Non satis hoc est, ut ad correspondendum gratiis te moveat?

FER. III HEBDOMAD. XXVII POST PENT.

Med. 393. — Parabola vineae elocatae.

1. *Homo erat paterfamilias* (Deus) *qui plantavit vineam* (Matth. 21), animam tuam; *et sepem circumdedit ei* (Ib.) mandatorum ac regularum; *et fodit in ea torcular* sacramentorum, ex quibus gratia fluit; *aedificavit turrim*, sive providentiae suae, sive angelicae protectionis, sive superiorum vigilantiae; *et locavit eam agricolis*, tibi. Plantavit ergo te, qui creavit te, in spem fructus, ut Dominum Deum tuum laudes et reverearis, eique servias. At quem fructum dedisti? Forte labruscas et uvas fellis. Quoties dissipasti sepem? Quoties *ferus aper*, seu depravatus affectus *depastus* est vineam? Quae reverentia tua in sacramenta sanguinis Christi? Quis respectus et cura vigilantiae divinae, angelicae, superiorum? Et tamen non tibi donata est haec vinea, sed locata. Exigetur a te fructus; quid respondebis?

2. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus* (Ib.). — Quid fecerit Deus tibi, quid tu illi, exprimitur. Quoties *misit* ille *servos suos*,

concionatores, superiores, internas inspirationes, monentes ut fructum dares! At tu, sicut *agricolae apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt* (Ib.); ita gratias in vanum accepisti, quibus noluisti cooperari, inspirationes extinxisti, admonitiones sprevisti. O bonitas Dei! O tua ingratitudo!

3. *Iterum misit alios servos plures prioribus; et fecerunt illis similiter* (Ib.). — Et quidem tertia vice. Habes perfectae obedientiae typum. *Cum compertum haberent* (ait S. Greg.) *alios servos crudeliter caesos, cum tamen mittuntur, nec dubitant, nec rationes excusandi quaerunt, sed imperata sine discussione perficiunt.* Nonne parem a te obedientiam status tuus exigit? Lege regulas tuas. Estne talis tua obedientia?

FER. IV HEBDOMAD. XXVII POST PENT.

Med. 394. — Unici filii trucidatio.

1. *Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum* (Matth. 21). — Post tot contemptas gratias poterat te Deus plectere. Sed usus misericordia, misit adhuc Filium suum in viscera tua sub speciebus eucharisticis, ut ejus te charitas accenderet, humiliatio deprimeret, crux et passio ad mortificationis fructum dandum induceret. Debebas vereri Filium Dei; ejus doctrinam et exempla amplecti. Sed quam longe tu ab ejus vita abiisti?

2. *Agricolae autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est haeres; venite, occidamus eum* (Ibid.). — Quam parum reveriti sunt filium! Neque tu magis, qui non es veritus peccare. Ejecisti

eum extra vineam, ubi locum dedisti peccato. Occidisti eum in temetipso, et sanguinem ejus indigne proculcasti. Tu non es reveritus Filium Dei : reverebitur eum Pater, cum ad judicandum venerit, et Filii vulnera contra te perorabunt.

3. *Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis? Ajunt illi: Malos male perdet* (Ibid.). — Quid aliud expectare poteras ex tam indigna Filii Dei tractatione? Sed misertus est tui Deus. Ne *male* te perderet, eo te loco constituit, ubi te bene perdas per assiduam mortificationem. Hoc vero quam necessarium est tibi fraenum, ne relabaris? Sed quam facile illud excutis, et declinas?

FER. V HEBDOMAD. XXVII POST PENT.

Med. 395. — Nuptiae filii regis.

1. Rex *fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos... et nolebant venire* (Matth. 22). — Pater aeternus desponsavit Filium humanae naturae. Instruxit convivium evangelicae doctrinae et perfectionis. Ad hoc cum multis etiam te invitavit. Addixisti te venturum per susceptionem religiosi status. *Misit* ergo *servos suos*, inspirationes sanctas, quae dicerent tibi: *Prandium meum paravi* (Ib.): occasio, qua perfectioni studeas, in promptu est. Sed tu neglexisti; abiisti *in villam* pravorum affectuum; ivisti *ad negotiationem* solatiorum a creaturis; sprevisti invitantes inspirationes. Advertis indignitatem?

2. *Rex autem... iratus... perdidit homicidas illos* (Ib.). — Cur non misit alios, atque alios servos, ut superior paterfamilias ad vineam? Cur

statim iratus est, et perdidit illos? Quia illic servi debitum exigebant, hic gratiam convivii offerebant. Apud Deum autem, ut insigne majestatis est, conferre gratias, ita crimen est laesae majestatis contemptus gratiae. Et quot tu gratias ejus contempsisti! Idem enim est contemnere, ac nolle cooperari. Ergo perdi meruisti. Misericordiae Dei debes, quod ad te adhuc alios servos mittat, alias atque alias inspirationes ac lumina. Vide ut humanius excipias.

3. *Nuptiae quidem paratae sunt; sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias* (Ib.). — Detrectasti hactenus convivium evangelicae perfectionis, seu taedio veniendi, seu difficultate te a terrenis abstrahendi. Indigne te egisse agnoscis. Pone ergo te ad exitus viarum tuarum, dico ad exitum vitae. Consule mortem, quid suadeat: an eundum ad hoc convivium perfectionis, an negligendum? Accipe consilium. Quod tunc egisse desiderabis, nunc age. Serum tunc est desiderium.

FER. VI HEBDOM. XXVII POST PENT.

Med. 396. — De homine non vestito veste nuptiali.

1. *Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali* (Matth. 22). — Per vestem nuptialem intellige vitam et mores statui conformes. Expende an tui sint tales. *Et ait illi* cum indignatione: *Amice,* per ironiam, *quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* (Ib.). Non satis est apparere te religiosum; esse oportet moribus et vita. Si Deus

hoc momento ad examinandum te particulari judicio evocaret, qualem putas inveniret? *At ille obmutuit.* Apud Deum nullam poteris excusationem praetexere: confusus obmutesces. At nunc, dum tempus habes, loquere deprecando; et vestem, quae Domino placet, para.

2. *Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores* (Ib.). — Expellitur, ait S. Ambr. (ser. 3 de Nativ.), *quia cum peccator esset, sanctitatis sibi meritum vindicavat.* Non facile tolerat Deus in religione eum, qui mores et vitam religioni non conformat. Certe quod timeas habes, si tua vita est alia. Etsi te latere in multitudine posse credas, Deus manifestabit abscondita. Etsi non ejiciaris a religione, ejicieris a facie Dei, qui est lux vera in tenebras et caecitatem mentis. Ligabuntur tibi manus et pedes, ne opereris bene, laqueis tuarum affectionum. His enim plerumque stringitur, qui nimis laxus est.

3. *Multi... sunt vocati, pauci vero electi* (Ibid.). — Hoc est, quod te in timore tenere debet, et curam vocationis ingenerare, ut his studeas satisfacere. Non ideo electus es, quia vocatus; vocari non est tuum, sed Dei gratia, etiam sine praevia tua dispositione. At ut eligaris ad gloriam, de tuo conferre debes. Sequere consilium Apostoli: *Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis* (2 Petr. 1).

Med. 397. — Quaestio de tributo Caesari pendendo.

1. *Magister, scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum* (Matth. 22). — Verissima haec Christi laus est. Utinam et tu citra adulationem hanc merereris, qui te Christum sequi profiteris. Esne verax tibi ipsi? Non mentiris tibi bonum malum, et malum bonum? Tenesne *viam Dei?* Viam mandatorum et regularum? An vadis post vestigia sodalium et passionum tuarum? *Non est tibi cura de aliquo* extra Deum? Non de te ipso? *Non respicis personam hominum?* Non huic adularis? Illi te adjungis? Illum particulari amore amplecteris? Quam procul abes a laude Magistri tui malus discipulus?

2. *Quid tibi videtur: licet censum dare Caesari, an non?* (Ibid.). — Quaestio in verbis non mala: sed latet in animis nequitia. Erat enim proponentium *consilium... ut eum caperent in sermone* (Ibid.). Ideo eos increpat: *Quid me tentatis, hypocritae?* Ostendit, quam sibi displiceat dolus. Petit videre *numisma:* exhibetur. Ait illis: *Cujus est imago haec et superscriptio?* Cujus es tu imago? Dei? Sed quam deformis! Tu eam fecisti imaginem terreni hominis. Tempus est ut *sicut* portasti *imaginem terreni* hominis, ita portes *et imaginem coelestis* (1 Cor. 15). Reforma te ipsum, *donec formetur Christus in* te (Gal. 4), et dicere possis: *Vivo... jam non ego; vivit vero in me Christus* (Gal. 2).

3. *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari, et*

quae sunt Dei, Deo (Ibid.). — Cuique suum reddendum. Dei es, quantus es: corpus, anima, sensus, potentiae omnes sunt Dei. Reddisne Deo corpus et sensus tuos? Uteris eo ad suam gloriam, an ad tua commoda? Reddis animam cogitando, amando ac timendo eum, an affectibus tuis serpis circa creaturas? Vide, quot titulis te Deo debes. Creavit te, redemit te, servavit te, vocavit te, tot beneficiis te cumulavit. Redde et proximo quod debes, charitatem. Est imago ejus, cujus tu; ab eodem creatus, eodem sanguine redemptus.

DOMINICA XXVIII POST PENT.

Med. 398. — De magno charitatis mandato.

1. *Interrogavit eum unus..... legis doctor.....: Magister, quod est mandatum magnum* quod Deus pro omnibus requirit? *Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... Hoc est maximum et primum mandatum* (Matth. 22). — Intelligis? *Primum;* ergo hinc incipiendum est: *maximum;* ergo hic terminandum est. Amor rex affectuum est et primus motor; ergo huc omnes movere debet et ipse rapi, tamquam in suum finem, extra quem nihil est amabile. Habuistine hoc praeceptum tamquam *primum et maximum?* Nihil unquam Deo praetulisti? O utinam! Sit saltem posthac *primum et maximum* amare Deum. Quod probabis, si omnia ad ipsum dirigas, si nullam cordis partem tribuas amori creaturarum; si audebis cum Apostolo difficultatibus insultare: *Quis... nos separabit a charitate?* (Rom. 8).

2. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (Ibid.). — Regula amandi proximum est quisque sibi. Nemo se ficte, nemo non sincere amat. Nemo sibi vult malum, ne minimum quidem: nemo non sibi vult bonum et inter bona optimum. Debes ergo (et hoc mandatum magnum est) amare non ficte proximum; amoliri, qua potes, ab illo malum, curare bonum. At proximus tuus non est unus, sed omnes. Non debes ergo affectum ita uni affigere, ut aliis subtrahas.

3. *In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae* (Ib.). — Motivum hic habes diligendi Deum et proximum, observatio legis absolute tibi est necessaria. Nullam vis transgredi? Ita quidem sperem a cordato homine. Ergo dilige: *Qui... diligit... legem implevit* (Rom. 13). Huc ergo cogitationes, huc verba et opera dirige, ut tota vita tua sit exercitium dilectionis.

FER. II HEBDOM. XXVIII POST PENT.

Med. 399. — Arguuntur pharisaei.

1. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite* (Matth. 23). — Etsi non bonus superior, at bonum imperium; parendum est. Etsi malus doctor, at sana doctrina; servanda est. Sed non insistendum exemplo. *Secundum opera vero eorum nolite facere* (Ibid.). Nulla ergo est illa tui excusatio: superior ipse quod fieri jubet non facit. Ille de se, tu de te rationem reddes. *Dicunt enim et non faciunt.* Absit hoc a te. Benedicere non est clavis ad coelum, sed benefacere.

Non quid dixeris, quaereris; sed quid egeris. Quam turpe est docere virtutem verbo ; et facto doctrinam suam improbare!

2. *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus* (Ibid.). — Alterum vitium, quod in pharisaeis carpit, est quod aestimari et laudari quaerant ab hominibus: his si placeant, sibi satisfaciunt. *Amant primos recubitus... et primas cathedras... et salutationes in foro* (Ibid.), ac publicam honoris delationem. Haec si assequantur, in coelo sunt. Non ita tu, qui vis servus Dei esse. Certum est illud Apostoli: *Si... hominibus placerem, servus Christi non essem* (Gal. 1). Non potest Deo non displicere, qui nimium studet hominibus placere. Fac te impetrasse, ut placeas. *Mercedem recepisti.* Ergo in hunc fumum laborasti?

3. *Vae vobis, scribae et pharisaei... quia similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia* (Ibid.). — Tertium hoc est vitium, quod arguitur, simulatio sanctitatis. Ubi ficta est virtus, ibi sunt certo vera vitia. Nihil prodest, immo plurimum obest apparere, si non subsit esse. Deus non aspicit, quis appareas, sed quis sis. Talis apud Deum es, qualis in animo et conscientia. Ab illo pro aeternitate judicaberis, non ab hominibus.

FER. III HEBDOMAD. XXVIII POST PENT.

Med. 400. — Praedictio desolationis.

1. *Cum videritis abominationem desolationis... stantem in loco sancto* excisi templi Jerosolymitani, *qui legit intelligat* (Matth. 24). — Intel-

quod tu sis templum Dei, quod **immineat tibi** desolatio per mortem. Dissolvetur enim templum hoc. Intellige, quid agendum antea, ne pericliteris. Frustra enim tunc voles, cum non poteris. *Qui in Judaea sunt, fugient ad montes* (Ib.). Es in populo electo : ut tunc securus sis, nunc fuge ad montem, qui Christus est, ut eum imiteris. « *Qui in tecto* es excelsae virtutis, *non* descende ad humilia saecularium » (S. Hilar.). *Qui in agro* Christo plantatus es, *non* reverterè unquam *tollere tunicam* veteris conversationis. Quam tutus tunc eris, si nunc ista agas !

2. *Vae autem praegnantibus... in illis diebus* (Ibid.). — Supremus ille dies semper instat ; forte iste est. Vae tibi, si usque in illum praegnans es : plenus bonis desideriis, et non antea ea paris in actum. Quidquid nunc boni concipis, statim pariendum est : quia tunc non erit tempus. *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme* (Ib.). Provide, ut non superveniat tibi mors, dum friges in obsequio Dei. *Vel sabbato*, dum ferias agis, et in socordia vivis. Haec omni tibi hora curanda sunt, quia nulla hora vacat periculo.

3. *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi* (Ibid.). — Intellige improvidis et tepidis, qui distulerunt in illud tempus agere, quo amplius non licet. Torquebitur lucta suprema corpus, sed multo magis conscientia. Vivacius tunc intelliges bonum et malum. Sarcinam tuam majorem reperies, quam unquam existimaveris, etc. Ergo ut tribulationem effugias, nunc age quod tunc actum voles : nunc cave, quod tunc cavisse desiderabis. Mortem de agendis consule, sed et consilium audi.

FER. IV HEBDOM. XXVIII POST PENT.

Med. 401. — Vigilandum ad adventum Domini.

1. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit* (Matth. 24). — Prudenter semper metues, quod certo veniet, nescis quando. Quid si ante paucos annos venisset Dominus, qualem te reperisset? Quid si hoc momento veniret, quid velles fecisse? Quid si scires post horam venturum, quid ageres? Quod agendum statueres, illud age, quia forte veniet. Ideo occulta est tibi illa hora, ut omnem habeas suspectam.

2. *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem* (Ib.). — Tanti est vigilare, ut a sola vigilantia Dominus pronuntiet servum beatum. Vigilanti non irrepit fur, qui parta tollat: non praeterit boni occasio, quam non arripiat. Dic ipse: ubi Deo attendisti, admisistine vel levissimam culpam, an uni pravo appetitui cessisti? Nonne omni occasione in bonum usus es? At nonne hoc ipsum est esse beatum, ita vivere, ut macula careas? *Beatus* vir, *qui inventus est sine macula* (Eccli. 31).

3. *Si autem dixerit malus servus ille* (Ibid.). — Bono ac vigilanti servo malum oppone, qui dicit *in corde suo: Moram facit dominus meus venire* (Ibid.): qui in tempore suo cogitat adhuc superesse tempus, quo ferventer agat. Oh miser! *Veniet dominus... illius, in die qua non sperat.* Quis tunc ejus timor? Quae trepidatio? Quid si percutiat *conservos suos*, indulgendo appetitui irascibili? Quid si *manducet... et bibat* laxando fraenum con-

cupiscibili? Credo non velles talis deprehendi. Ergo esto paratus. At nunquam eris satis paratus, nisi sis semper paratus.

FER. V HEBDOM. XXVIII POST PENT.

Med. 402. — Parabola decem virginum.

1. *Simile* est *regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae* (Matth. 25). — Et haec parabola ad vigilantiam monet. Omnes fuerunt virgines, omnes acceperunt lampades, omnes *exierunt obviam*, omnes *moram faciente sponso, dormitaverunt* (Ibid.). Et tamen *quinque... erant fatuae et quinque prudentes.* Sed non omnes *sumpserunt oleum secum.* Ideo illae *prudentes quae sumpserunt oleum in vasis suis.* Fides lampas est, sed non sufficit. Imprudens es, si non etiam oleum charitatis accipis, et ea media, quae te coram sponso Deo securum reddant, ne lampas extinguatur : nam *fides sine operibus mortua est* (Jac. 2).

2. *Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit* (Ibid.). — Venit, cum minime cogitamus, Dominus. *Tunc surrexerunt omnes virgines.... et ornaverunt lampades suas* (Ibid.). Quae omnium sollicitudo? Quia coram sponso comparendum erat. Tunc fatuae errorem suum viderunt, quod oleum deficeret bonorum operum. Sed serum nimis est tunc velle incipere, cum desinendum est. *Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro;* sed frustra: aliena opera tibi non proderunt, ubi *retribuitur unicuique secundum opera sua.* Putas non doluisse fatuas, solatio ple-

nas fuisse prudentes? In quarum sorte desideras esse, earum sollicitudinem assume.

3. *Et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias* (Ibid.): non quae primum *ibant ad vendentes*, seu quae differunt se parare. Periculum salutis subit, qui differt media. Praestitisse oportet antea quae sunt salutis, non tunc velle. *Novissime veniunt et reliquae virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis* (Ibid.). Sed pulcra verba nihil juvant, ubi pensantur opera. Non prodest tunc verbis profiteris dominum, quem in vita factis negaveris. Ergo nunc, dum sunt dies salutis, dum tempus acceptabile, insistendum est bono. Adhuc enim porta patet. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.* Hoc fulmen olim time, si nunc Deum non noscas, et secundum quod cognoveris ei non servias.

FER. VI HEBDOMAD. XXVIII POST PENT.

Med. 403. — Parabola de talentis.

1. *Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua* (Matth. 25). — Etiam haec parabola praeparationem suadet. Dedit uni quinque, alteri duo, tertio unum talentum: *Unicuique secundum propriam virtutem* (Ibid.). Cogita, quae accepisti a Deo talenta corporis, animae, naturae, gratiae. Non tua res sunt, sed Dei. Parum tibi videris accepisse? Deus ad tuam virtutem mensuravit. De pauco rationem reddes. Plus accepisse tibi damno fuisset. Quo fine tibi data sunt? Ut negotieris: *Negotiamini dum venio* (Luc. 19). Perit Domino lucrum, quod tu non facis. Non potes ergo aliter uti, quam Deus velit: et tamen

fecisti? Quid faceres servo, qui pecunia tua ad sua commoda et voluptates uteretur? Vide an non tu sis talis.

2. *Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis* (Ibid.). — Eam et tecum inibit; forte non post multum temporis. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque... similiter qui duo... alia duo* (Ibid.). Lucrum fecerunt ad proportionem talenti. Uterque vocatur *servus bonus et fidelis.* Uterque invitatur *in gaudium Domini* sui. Non praevalet ergo apud Deum qui plus accepit. Deus enim usum talentorum et gratiarum spectat, non cumulum. Non fuisset vocatus bonus et fidelis, qui quinque acceperat, si tantum duo lucratus fuisset. Ita Deus nullam gratiam vult esse vacuam. Ergo assidue tibi curandum est, ut nullam gratiam in vacuum recipias. Hic vero esto vigilans.

3. *Qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es... et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes, quod tuum est* (Ibid.). — Non perdidit talentum, sed servavit. Cur ergo reprehenditur? *Serve male et piger* (Ibid.). Quia non est negotiatus, non fecit lucrum, quod Dominus requirebat. Unicum ergo talentum neglectum ita castigat Deus. Quid respondebis, qui tot millia defodisti in terram, gratiis tibi ad lucrum coelestium concessis ad terrena, ad sensus commoda abutendo? Ergo nunc tandem ita rebus tuis invigila, ut audire merearis: *Euge, serve bone et fidelis... intra in gaudium Domini tui.*

SABB. HEBDOM. XXVIII POST PENT.

Med. 404. — De extremo judicio.

1. *Cum... venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo: tunc sedebit super sedem majestatis suae* (Matth. 25). — En judicem illum, quem habuisti hactenus *advocatum... apud patrem* (1 Jo. 2); illum, in quem confixerunt peccatores; illum quem contempsisti. Et *congregabuntur ante eum omnes gentes* (Matth. 25). En judicandorum multitudinem in qua et tu eris. *Et statuet ovis... a dextris suis; haedos autem a sinistris* (Ibid.). En diversam judicandorum conditionem. Quis in his pavor et trepidatio! Quod in illis animi solatium et gaudium! Et qui erunt a dextris? *Oves,* quae ductum et vocem pastoris sunt secutae. Et qui a sinistris? *Haedi,* qui concupiscentiis suis serviunt. O Deus! Quantumcumque vis, pone me hic a sinistris, ut ibi collocer ad dexteram.

2. *Tunc dicet... his qui a dextris... erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (Ibid.). — Prius bonos ad praemium vocat, quam reprobos damnet: quia paratior est semper ad benefaciendum (ait S. Jo. Chrys. in Imperf.). Hoc enim secundum naturam agit: poenas invitus infligit. Quam suavis accidet haec justis sententia! Desideras et tu illam audire? Operibus impetrabis. Haec allegat judex: *Esurivi... et dedistis mihi manducare,* etc., sine his in vanum speras. Ergo: *quod potest manus tua, instanter operare.* Nec parva neglige, quia nihil est tam par-

vum quod vestitum charitate in Deum, ibi non evadat regno aeterno dignum.

3. *Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite* (Ibid.). — Oh quale tonitru in auribus reorum! *A me.* Quale fulmen, Deo in aeternum carere! *Maledicti.* Qualis dolor, Deo in aeternum exosum esse! *In ignem aeternum.* Qualis desperatio, in aeternum poena sensus torqueri! *Qui paratus est diabolo* a me, a te autem tibi. Qualis cruciatus, aeternum cum daemonibus habitare! Et quae tam horrendae sententiae causa? *Esurivi... et non dedistis mihi manducare,* etc. Opera non praestitistis, quae exigebam; egistis, quae vetabam. Oh Deus! *Hic ure, hic seca, modo in aeternum parcas.* Oh aeternitas, aeternitas! *Quam amara est memoria tua!* (Eccli. XLI, 1).

Visto: nulla osta alla ristampa.
Torino, 20 Novembre 1898.

Can. AGOSTINO BERTEU, *Rev. Eccl.*

INDEX RERUM NOTABILIUM

PARS PRIMA

Ad lectorem . . . . . Pag. v
Nicolai Avancini notitia . . . . . » vii
Formulae aliquae affectuum . . . . . » 1
Alphabetum affectuum pro via purgativa . . . . » 3
— — — illuminativa . . . » 8
— — — unitiva . . . . » 14

MEDITATIONES

Hebd. I Adventus — De Deo et creatione . . . » 21
Hebd. II Adventus — De incarnatione . . . . » 29
Hebd. III Adventus — De annunciatione . . . . » 36
Hebd. IV Adventus — Ab annunciatione ad nativitatem » 42
Die XXV decembris — De nativitate Domini . . . » 47
Die I januarii — De circumcisione . . . . . » 53
In Epiphania — De vocatione magorum . . . . » 57
Hebd. I post Epiphaniam — De adoratione magorum . » 63
Hebd. II post Epiphaniam — De infantia Christi et purificatione B. M. V. . . . . » 69
Hebd. III post Epiphaniam — De oblatione Christi et prophetia Simeonis . . . . . » 76
Hebd. IV post Epiphaniam — De prophetia Annae, et furore Herodis . . . . . » 83

Hebd. V post Epiphaniam — De caede Innocentium, fuga in Aegyptum et reditu . . . . . *Pag.* 91
Hebd. VI post Epiphaniam — De inventione Jesu in templo, et vita ejus usque ad annum trigesimum . „ 98
Hebd. Septuagesimae — Paratur passio Christi . . „ 106
Hebd. Sexagesimae — Ab ingressu in Jerusalem . „ 115
Hebd. Quinquagesimae — De institutione SS. Sacramenti Eucharistiae . . . . . „ 124
Hebd. I Quadragesimae — De agonia in hortu . . „ 133
Hebd. II Quadragesimae — De comprehensione Christi et judiciis Annae et Caiphae . . . . . „ 142
Hebd. III Quadragesimae — De negatione Petri et primo judicio Pilati . . . . . „ 151
Hebd. IV Quadragesimae — De judicio Herodis, flagellatione et spinea coronatione Christi . . . „ 159
Hebd. V Quadragesimae — De sententia, cruci affixione, et primis tribus verbis Christi . . . . . „ 167
Dominica Palmarum — De aliis verbis, morte et depositione Christi . . . . . „ 175
Dominica Resurrectionis — De resurrectione Christi, et apparitionibus mulieribus . . . . . „ 184
Dominica in Albis — De aliis apparitionibus Petro et Magdalenae . . . . . „ 191
Hebd. II post Oct. Pasch. — Christus apparet duobus discipulis in Emmaus et apostolis in coenaculo . „ 198
Hebd. III post oct. Pasch. — Manducat cum discipulis, dat illis Spiritum Sanctum ac monet Thomam . . „ 205
Hebd. IV post oct. Pasch. — Docet discipulos, tradit oves Petro, et apparet 500 discipulis . . . . „ 212
Hebd. V post oct. Pasch. — De ultimis verbis Christi, ejusque promissionibus . . . . . „ 220
In Ascensione — Christus ascendit in coelum in monte Olivarum . . . . . „ 227
Hebd. VI post Pasch. — De fructibus ascensionis, electione Mathiae et expectatione Spiritus Sancti . . „ 237

PARS SECUNDA

MEDITATIONES

De adventu Spiritus Sancti . . . . . Pag. 234
De mysterio Ss. Trinitatis . . . . . „ 241
De Ss. Eucharistia . . . . . „ 249
De attributis Dei . . . . . „ 257
De baptismo et jejunio Jesu Christi . . . . „ 266
Nuptiae in Cana Galilaeae . . . . . „ 274
De mercatoribus in templo . . . . . „ 276
Colloquia Christi cum Nicodemo . . . . „ 277
De Joanne Baptista 268, 279
De Samaritana . . . . . „ 281
De filio reguli . . . . . „ 283
De piscatione Petri . . . . . „ 284
Vocatio Apostolorum 272, 285
Curatur daemoniacus . . . . . „ 286
„ Socrus Simonis . . . . . „ 288
Tres frustra vocati . . . . . „ 289
Sedatur tempestas maris . . . . . „ 290
Legio daemonum expulsa . . . . . „ 291
Christus discedit a Gerasenis . . . . . „ 292
Sanatur paralyticus . . . . . „ 294
Vocatio Matthaei . . . . . „ 296
Mulier curata a sanguinis fluxu . . . . . „ 297
Jairi filia resuscitatur . . . . . „ 298
Duo caeci illuminati . . . . . „ 299
De paralytico piscinae . . . . . „ 301
Discipuli vellunt spicas . . . . . „ 303
Sanatur manus arida . . . . . „ 305
Eliguntur 12 apostoli . . . . . „ 306
Sermo Christi in monte . . . . . „ 307
De qualitatibus apostoli . . . . . „ 313
De bono exemplo . . . . . „ 314
De legis observantia . . . . . „ 315

De tollendo scandalo	Pag. 317
De oratione dominica	„ 319
Thesaurizandum est in coelo	„ 324
Oculus simplex	„ 325
De duobus dominis	„ 326
De temporalium sollicitudine	„ 327
De judicio temerario	„ 328
Commendatur oratio	„ 330
De via angusta	„ 331
De falsis prophetis	„ 332
De divina voluntate	„ 333
Mundatur leprosus	„ 334
Sanatur servus Centurionis	„ 335
Suscitatur filius viduae	„ 337
Legatio Joannis Baptistae	„ 338
Magdalenae conversio	„ 340
De daemonio caeco et muto	300, 342
Signum Jonae prophetae	„ 343
Mater et fratres Jesu	„ 344
Parabola seminantis	„ 345
— zizaniorum	„ 348
— grani sinapis	„ 349
— thesauri et margaritae	„ 350
Christus male accipitur in patria	„ 351
Missio apostolorum, et monita	„ 352
Jugum Christi suave	„ 357
Decollatio Joannis	„ 358
Satiantur 5000 hominum	„ 359
Christus ambulat super aquas	„ 360
Discipuli accusantur de illotis manibus	„ 362
De muliere chananaea	„ 363
Sanatur surdus et mutus	„ 366
Reficiuntur 4000 hominum	„ 367
De fermento pharisaeorum	„ 368
Curatur caecus Bethsaidae	„ 369
Confessio Petri	„ 370
Christus mortem suam praedicit	„ 371
De cruce ferenda	356, 372

De transfiguratione Christi . . . . . Pag. 374
De puero lunatico . . . . . „ 378
Christus solvit didrachma . . . . . „ 380
De correptione fraterna . . . . . „ 383
Parabola de servo debitore . . . . . „ 384
Festum scenopegiae . . . . . „ 386
Mundantur 10 leprosi . . . . . „ 389
Christus docet in templo . . . . . „ 390
De muliere adultera . . . . . „ 393
De caeco a nativitate . . . . . „ 398
Christus est ostium . . . . . „ 401
Christus pastor bonus . . . . . „ 402
Judaei volunt Christum ligare et lapidare . 391, 397, 403
Mittuntur 72 discipuli . . . . . „ 404
Christus et legisperitus . . . . . „ 407
Parabola de Samaritano . . . . . „ 408
Christus excipitur a Martha . . . . . „ 409
Christus exprobrat pharisaeum . . . . . „ 411
Christus renuit esse judex . . . . . „ 412
De divite avaro . . . . . „ 414
De domino expectando . . . . . „ 415
Sanatur mulier incurvata . . . . . „ 418
Christus fugere recusat . . . . . „ 419
Sanatur hydropicus . . . . . „ 420
Commendatur humilitas 381, 421
Parabola de ove perdita . . . . . „ 422
— de filio prodigo . . . . . „ 423
— de villico iniquitatis . . . . . „ 428
— de epulone et Lazaro . . . . . „ 429
— de judice iniquo et vidua . . . . . „ 432
— de pharisaeo et publicano . . . . . „ 433
Puerorum est regnum coelorum . . . . . „ 434
De perfectione, ejusque praemio . . . . . „ 435
De operariis in vinea . . . . . „ 438
De Lazaro aegrotante . . . . . „ 440
Filii Zebedaei ambiunt primas sedes . . . . . „ 443
Sanatur caecus Jericho. . . . . „ 444
Vocatur Zachaeus . . . . . „ 445

Parabola de grano frumenti . . . . . Pag. 448
Christus in cruce exaltandus . . . . . „ 449
Quisque ex lumine judicandus . . . . . „ 451
De ficu maledicta . . . . . „ 452
Parabola vineae elocatae . . . . . „ 453
— de nuptiis filii regis . . . . . „ 455
De tributo solvendo . . . . . „ 458
De magno charitatis mandato . . . . . „ 459
Arguuntur pharisaei . . . . . „ 460
Praedictio desolationis . . . . . „ 461
Vigilandum ad adventum Domini . . . . . „ 463
Parabola 10 virginum . . . . . „ 464
— de talentis . . . . . „ 465
De Judicio extremo . . . . . „ 467

INDEX EVANGELIORUM PER ANNUM

Dominica I Adventus	*Medit.*	401, 404
— II „	„	294
— III „	„	232
— IV „	„	25
Natali Domini	„	29
Dominica infra Nativitatem	„	64, 69
Circumcisio Domini	„	36
Epiphania	„	41
Dominica infra oct. Epiph.	„	79, 84
— II „	„	237
— III „	„	291, 292
— IV „	„	251
— V „	„	303
— VI „	„	304
Dom. septuagesimae	„	381
— sexagesimae	„	301
— quinquagesimae	„	95, 386
Dominica I quadrag.	„	230, 231
— II „	„	326
— III „	„	261, 298
— IV „	„	313
— passionis	„	346
— palmarum	„	96, 97
— resurrectionis	„	8, 160
Fer. II post Pascha	„	167
Fer. III post Pascha	„	172
Dominica in albis	„	176, 178
— II post Pascha	„	351
— III „	„	189
— IV „	„	204
— V „	„	287

Ascensione Domini	*Medit.*	192
Dom. infra Oct. Ascens.	„	195
Pentecoste	„	202, 208
Dom. Ss. Trinitatis	„	209
Dom. I post oct. Pent.	„	286
Festo Corporis Christi	„	213
Dominica infra oct. Corp. Christi	„	216
— III post Pent.	„	368
— IV „	„	246
— V „	„	275
— VI „	„	320
— VII „	„	289
— VIII „	„	372
— IX „	„	99
— X „	„	433 376
— XI „	„	319
— XII „	„	355
— XIII „	„	389 339
— XIV „	„	284
— XV „	„	293
— XVI „	„	366, 367
— XVII „	„	398
— XVIII „	„	254, 255
— XIX „	„	395, 396
— XX „	„	245
— XXI „	„	335
— XXII „	„	397
— XXIII „	„	258. 259
— XXIV „	„	400, 404

246.723
Av15
44452

AVANCINUS, S. I., NICOLAUS

AUTHOR

Vita Et Doctrina D. N. Jesu Christi

TITLE

...In Meditationum Materiam
...Distributa.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Robinson	
	Egües	
	Aráoz	
	STORAGE - C	

44452